SCRIPTORUM
VETERUM
NOVA COLLECTIO.

1

IULIUS. PARIS. LICI
NIO CYRIACO SUO.
SALUTEM.
EXEMPLORUM CONQUISITI
ONEM. CUM SCIREM ESSI
NON MINUS DISPUTANTI
BUS QUAM DECLAMANTI
BUS NECESSARIAM.
DECEM VALERII MAXIMI
LIBROS DICTORUM ET FACTO
RUM MEMORABILIUM.
AD UNUM VOLUMEN EPITOMAE
COEGI' QUOD TIBI MISI.
UT ET FACILIUS INVENIRES
SIQUANDO QUID QUAERERES.
ET APTA SEMPER MAIESTIS
EXEMPLA SUBIUNGERES'
FINIT EPISTULA'

2

C' IIII PROBI
FINIT EPITOMA
HISTORIARUM
DIVERSARUM.
EXEMPLORUMQ'
ROMANORUM'

FELICITER EMENDAVI
DESCRIPTUM RAVENNAE
RUSTICIUS HELPIDIUS DOMNULUS V.C.

3

ETFAC
TUSESTSUDOR
EIUS.SICUT
GUTTAESANGUI
NISDECURREN
TESINTERRAM.

4

necideoconsente
nuntinearhomi
nesquiaiamuale
bantadsignifica
tionemsedideo
ualentquia

5

hocius
diuinumhasscrib
turassanctasdefe
ditconstantinus
seniordicens.licet
mesublimissimu
adqueomnium
dnm.mesentiam

6

ETINPRAESENTIREQUI
EM ETINPRIMARESUR
RECTIONEPARTICIPES
per d nm

SCRIPTORUM VETERUM

NOVA COLLECTIO

E VATICANIS CODICIBUS EDITA

AB ANGELO MAIO

BIBLIOTHECAE VATICANAE PRAEFECTO.

TOMUS III.

ROMAE

TYPIS VATICANIS

M · DCCC · XXVIII ·

HOC VOLUMINE CONTINENTUR

PARS I.

PARS III.

EDITORIS PRAEFATIO.

I. Tertii voluminis prologum conscripturus, haud de cunctis agam, quorum scripta eduntur, auctoribus: etenim multa iam in argumentis monitisve praeoccupavi, quae notitiam hominum et operum suppeditabant; quaedam etiam scripta sunt vix ullius admonitionis vel prologi desiderantia.

DE EPHRAEMIO CHRONOLOGO.

Historia romani imperii, quod mature in occidente extinctum, longe diuturnius in oriente usque ad captam a Turcis Constantinopolim vitam suam propagavit, multorum profecto ingenia facultatemque scribendi exercuit; atque in his praecipue byzantinos (ut vulgo loquimur) facundi oris homines, quorum magna et perutilia volumina a gallicanis olim typis accepimus, nunc autem consociatis curis recognita novisque monumentis locupletata, Germani homines doctissimi, consilio et ope ill. Niebuhrii, rursus exhibent. Mihi ex iis qui caesaream historiam scripserunt valde utilis atque exoptabilis visus est Ephraemius, cuius chronicon iambicis versibus elaboratum, ab imperii fundatore Iulio Caesare usque ad receptam a Graecis e Francorum dominatione Constantinopolim, per mille scilicet ac trecentos annos extenditur. Iam hic historicus non solum ineditus erat, verum etiam tantae raritatis, ut nonnisi in unico bibliothecae vaticanae codice 1003. superesse videatur. Primus hunc auctorem commemoravit, quod ego sciam, saeculo quinto decimo Raphaël volaterranus in commentariis urbanis lib. XV. p. 176: *Ephraem graecus ducentis abhinc annis vitas principum constantinopolitanorum iambico carmine scripsit, quod opus in bibliotheca vaticana cernitur.* Atque hoc Volaterrani testimonium non latuit Vossium de hist. gr. lib. II. 29. Deinde Ephraeminm saepe ad partes vocavit magnus Allatius (1), qui nunc *chronographum byzantinum*, nunc *monachum* appellat, sed nullam praeterea notitiam hominis tra-

(1) De consensione p. 435. 699. 702. 725. 776. Et dissert. de Georgiis (ed. Fabric. Bib. gr. T. X.) p. 664. 687. 807. Item de Psellis (ed. Fabric. Bib. gr. T. V.) p. 22. Et contra Creyghtonum p. 306. 330. 526. 539. 614. 701. Et in adnotationibus ad Acropolitam cap. 6. 13. 16. 18. 33. Idem Allatius de consens. p. 435. et ad Acropolitam cap. 33. dictum Ephraemii adprobat de Trinobi episcopo Bulgariae primati subiecto; non byzantino, ut ait Acropolita; quare et ego ad Allatii sententiam iam accedo. Rursus idem in adnot. ad Acrop. cap. 6. falli ait Ephraemium qui Camaterum patriarcham pulsum a Latinis Byzantio narrat, quum ipse sponte antea recessisset. Denique contra Creygh. p. 701. egregie explicat dictionem πομπὴ ἐπισόδιας, quod sit nempe sollemnis in aulam ingressus novi Caesaris. Quamobrem versus 6337. in Alexio III. sic explicandus est; lexicographi autem vocabuli ἐπισόδιας rationem deinceps habebunt; nec non 1253. γρίφων; et v. 1517. κανίς; et v. 2096. τερμέριον; v. 3875. 4141. et alibi ὑγρόχερσος. Item animadvertent philologi, notam ℠ adhiberi ab Ephraemio non ad dimidiam sed ad quamlibet fracti numeri partem significandam.

dit. Laudata apud Allatium fragmenta Ephraemii legisse identidem se demonstrant Vossius hist. gr. II. 28. 29, Cangius in glossario, Cavaeus in ecclesiasticis scriptoribus, Fabricius in gr. bibliotheca, Lequinius in patriarchatu constantinopolitano, denique Bruckerus hist. philos. tom. III. p. 549. Hi enim auctores a me sunt observati; neque tamen dubito quin alii quoque ex Allatio Ephraemium noverint. Iam Allatium ad excerpenda Ephraemii fragmenta usum fuisse codice vaticano 1003, valde adfirmarem, nisi varietates scripturae aliquot perplexum me redderent (1). Praeterea in codice acephalo vaticano nomen Ephraemii non legitur; neque id ego divinavissem, nisi comparato codice cum laudatis ab Allatio fragmentis, mihi innotuisset. Superest ergo ut Allatius vel alium codicem prae manibus habuerit, vel certe vaticanum nondum fortasse tum acephalum legerit; paucas autem varietates ipse exscribens effecerit. Profecto quum folium tantummodo primum a codice absit, in quo nomen auctoris esse debuit, valde suspicor post Allatii aetatem id excidisse, cum codex Pio VI. regnante cuius nunc stemmata gerit, a bibliopego compactus fuit. Et sane mihi narrant, multa huiusmodi damna ab operarum inscitia vaticanis codicibus, praesertim graecis, accidisse. Sed de codice hactenus. Iam quum neque Allatius, ut dixi, neque alii eruditi, quicquam de Ephraemio chronographo narrare videantur; mihi quidem de viro hoc quaerenti occurrebat Ephraemius ille, quem Iohannes XII patriarcha constantinopolitanus, ante sacram suam dignitatem legitimis nuptiis genuit; de quo nominatim Ephraemio verba facit Pachymeres in praedicti patriarchae notitia T. II. lib. IV. 11. dum ait, episcopos inter ceteras criminationes patriarcham reprehendisse, quod bona ecclesiae Ephraemio filio suo dispensanda relinqueret, non constituto prout leges iubebant oeconomo. Reapse et noster chronographus in patriarcharum catalogo memorat masculum Iohannis XII. filium; sed de seipso haud diserte loqui significat. Et tamen aetas apprime congruit: namque hic Iohannes patriarchatum retinuit usque ad Christi annum MCCCIV; noster autem Ephraemius chronicon suum anno MCCCXIII. concludit. Iam ego fontes ephraemicae chronologiae comperi, Zonaram quidem usque ad Alexii I. comneni obitum; Nicetam choniatam usque ad Balduinum I. imperatorem; deinde vero Georgium acropolitam. Age vero quod Ephraemius historiam poëtico metro conscripserit, nemo magnopere irascatur; primo quia carmen iambicum narrationis

(1) Hae varietates partim quidem nihil aliud sunt nisi menda typographica apud Allatium: partim vero, quia fortasse in codice videbantur deteriores lectiones, ab Allatio fuisse suspicor tacite immutatas. Nonnullae tamen variae lectiones diversum codicem designare videntur. Sic v. 4764. apud me, id est in codice vaticano, est τὶς τυγχάνων; at Allatius contra Creygh. p. 527. τυγχάνων τι. Apud me v. 6031, et 10238. est ἴθαλα; at Allat. ἰθαλῆ, ut p. 241. n. 2. dixi. Apud me v. 7713. κρατάρχει; at Allat. adn. ad Acropol. cap 18. κατάρχει. Item v. 7716. apud me ἀνδρεῖον; at Allat. loc. cit. ἄρειον. Apud me v. 7197. et alibi θεοτοῦ.; at Allat. ad Acrop. cap. 13. θεοῦ. Apud me 7206. ἐμπαθεῖ θέᾳ; at Allat. loc. cit. ἐμπαθῆ θέαν. Apud me v. 7404. ἐπισπευστικῶς; at Allat. loc. cit. ἐπισπευστικῶς. Apud me v. 10355. τῷ, et 10359. ἰνδοῖς; at Allat. τοῦ et ἰνδοὺς, ut proprio in loco dixi.

perspicuitati peridoneum est, et memoriam legentium apprime iuvat; deinde quia Pisidas etiam, Constantinus Manasses, atque Tzetzes impune suas historias versibus composuerunt; qui nihilo minus auctores, praecipueque Tzetzes, magno usui apud eruditos sunt. Atque ego Ephraemii quidem historiam, propter suam eximiam utilitatem ad latinam consuetudinem, soluta tamen oratione, transtuli: etsi enim olim poëticam non neglexi, nunc tamen pangendorum versuum plus decem millibus otium mihi voluntasque defuit.

DE METHODIO.

II. De Methodio monacho verba multa non faciam; nam quod aetas eius in medium saeculum XIII. inciderit, ex eo schismate constat, cuius ipse ferventis causa opusculum scripsit: sed nihil praeterea de hoc homine mihi compertum est. Quicquid autem auctor de schismato dicit, nihil id pertinet ad maius illud diuturniusque schisma inter Graecos atque Latinos: etenim ipse de peculiari tantummodo byzantinao ecclesiae dissensione loquitur, quae fuit inter arsenianos et iosephianos; quorum ambo protagonistae, Arsenius atque Iosephus, etsi inter se propter infulas byzantinas aemuli, de maiore tamen schismate, ut puto, consentiebant. Verum seposita scribendi opusculi occasione, visum mihi est prorsus utile atque praeclarum, si tot notabilia ex ecclesiasticis historiis excerpta, latina facerem atque in lucem emitterem, quae Methodius ob causam schismatis hoc libelle suppeditat. Homines enim sic generati sunt, ut plura atque libentius ex lumine historiae quam aliunde condiscant. Iam quod adtinet ad Methodii sententiam, is quidem manifeste fatetur atque praedicat legitimum sanctorum canonum ius ac potestatem; graecosque principes damnat, qui vim ecclesiasticis constitutionibus tam saepe intulerunt: ceteroquin existimat byzantinam praesertim ecclesiam nonnullosque patres prudenter egisse, cum vitandi schismatis gratia communicarunt cum orthodoxis episcopis, quos violenti Caesares, pulsis legitimis aeque orthodoxis, sed sibi improbatis, in sedes substituebant. Neque sane adfirmationes cunctas Methodii vel probare studeo vel refellere otium est. Utique legitimorum pastorum explusio vix umquam sine magnis christiani populi vel motibus vel certe querelis accidit: id quod fasti ecclesiastici luculenter demonstrant. Ego vero schismatis doctrinam heic prolixe non tradam, quod sane definitur recessus vel hominis vel alicuius christiani populi a communione universalis ecclesiae aut romanae sedis apostolicae, in qua centrum esse unitatis iurisque ac potestatis primatum orthodoxi omnes consentiunt. Ad nostrum autem propositum quod adtinet, illud apprime exploratum est, eos qui laica manu in statione sacra, eiectis legitimis episcopis, collocantur, re quidem vera non esse populi pastores, neque iuris habere dictionem. Nihilo tamen minus, vel indulgentibus cedentibusque pacis causa iustis episcopis, vel consentiente tacite ecclesia, ne summa nimirum mala contingerent, neve populus re omni sacra careret, vitiisque et hae-

resibus aditus maximus patefieret, substituti per vim episcopi, si modo essent catholici, tolerati haud semel fuerunt. Causae vero necessitatis huius apud Graecos praecipuae erant, praepotentia ac superbia Caesarum, improvisae coactiones, difficile et quandoque impossibile ad supremam Pontificis maximi auctoritatem perfugium. Ceterum ex his ecclesiae malis sapienter concluditur, quam necessaria sit totius corporis unitas. Nam si universum ecclesiae aedificium in apostolico Petri fundamento, quod ipse Christus constituit, constanter nitatur; id videlicet cunctis turbinibus atque infestarum undarum periculis, ut apud Matthaeum VII. 25. dicitur, fortius resistet.

DE VICTORINO.

III. Gaii Marii Victorini commentarios in apostoli Pauli epistulas bis commemorat divus Hieronymus, semel in viris illustribus, iterum in prologis; sed testimonium secundum paulo infra recitabo; nunc primum ponam quod ita se habet vir. ill. cap. CI. *Victorinus natione afer, Romae sub Constantio principe rhetoricam docuit; et in extrema senectute Christi se tradens fidei, scripsit adversus Arrium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis non intelliguntur, et commentarios in apostolum.* Ceteroquin eius operis codices sine dubio perrari superfuerunt; quandoquidem nec opus umquam typis editum fuit; unusque, quod sciam, Sirmondus (1) de codice gallicano a se observato sic loquitur: *obscuritatem Victorinus in dogmaticis praecipue libris sectatus videtur. In commentariis enim aliquot epistularum s. Pauli, quos idem herivallensis codex continebat, stilus planior et apertior.* Haec Sirmondus, qui nescio quo impedimento prohibitus, praedictos Victorini commentarios non edidit; quamquam ex illo codice opuscula duo Victorini eiusdem protulit, *contra Manichaeos* videlicet, et *de quibusdam verbis Geneseos.* Nunc illi ad apostolum commentarii in tribus vaticanae bibliothecae codicibus, de quibus proprio in loco (part. II. p. 147.) verba feci, a me lecti fuerunt. Ne igitur de veritate operis dubitemus, testis adest Hieronymus: rursus ne de eiusdem usque ad nostra tempora conservatione fides vacillet, vaticani tres codices, qui inscriptum gerunt Victorini nomen, cum gallicano paris epigraphes exemplari conspirant. Atque haec quidem externa argumenta sunt; quibus interna accedunt: etenim apud me Victorinus p. 60. locum suum memorat, qui revera in libris adversus Arrium extat, ab eodem auctore scriptis. Item p. 63. de arriana haeresi loquens, *apud nos*, inquit, *hic error est natus*, idest temporibus nostris, ut Graeci aiunt καθ' ἡμᾶς: quibus verbis auctor contemporalem se arrianismo surgenti ait, quae reapse fuit aetas Victorini. Et quidem Victorinus in opere adversus Arrianos lib. II. 9. de illa haeresi ait similiter: *verbum* ὁμοούσιον *nuper est positum, quia nuper erupit venenata cohors haereticorum.* Ipsae locutiones editorum operum cum his com-

(1) Oper. T. I. p. 345. ff. V.

mentariis aliquando conspirant. Verbi gr. lib. de ὁμοουσίῳ cap. I. dicit Victorinus: *Graeci, quos paganos vocant.* Ad Galatas autem lib. II. p. 29. ait: *apud Graecos, id est apud paganos.* Item Galat. p. 29. scribit *est* pro *licet*, ut contra Manich. cap. 2. Tum vocabulum *hylicus* apud nos p. 111 legitur, et adv. Arr. I. 32. Item apud nos p. 32. *cognoscentia*, quod haud semel in tertio Victorini hymno usurpatur. Qui denique Victorini latinitatem prout est in sacris eiusdem opusculis consideraverit; quique rursus elocutionem eius, rationemque diffusam, pedestrem, humilem interpretationis in Tullii rhetoricam, cum his ad Paulum commentationibus comparaverit; haud hercle dubito, quin unum eundemque scriptorum horum auctorem statim sentiat. Quae quum ita se habeant, speravi equidem pretium operae me facturum, si tam antiqui auctoris copiosum scriptum et ineditum tandem aliquando typis imprimerem. Etsi enim Victorinus neque verborum puritate, neque phraseos elegantia, neque sacrae doctrinae altitudine cum primariis illis ecclesiae luminibus comparandus est; nihilominus a tineis atque blattis vindicandae erant lucubrationes vetustissimi auctoris, qui sub Constantio principe, ut narrat Hieronymus, rhetoricae cathedram Romae tenebat: neque vero inglorius; quandoquidem ait in chronico idem Hieronymus ad Christi annum CCCLV, Constantii decimum nonum: *Victorinus rhetor, et Donatus grammaticus praeceptor meus, Romae insignes habentur; e quibus Victorinus etiam statuam in foro Traiani meruit.* Immo sub Caesare eodem iam christianus nicaenam fidem adversus Arrium Victorinus propugnabat; cuius rei testis ipsemet est libro II. cap. 9. adv. Arr.: ὁμοούσιον *conditum iuxta veterem fidem in civitate Nicaea, probatum autem ab imperatore imperatoris nostri patre*; idest a magno Constantino Constantii, sub quo Victorinus scribebat, genitore.

IV. Sed enim ut Victorini nostri res gestae, summa virtus, pectus vere christianum innotescat, recitandus est de eo S. Augustini locus, etsi paulo prolixior atque ab aliis iam observatus; quo ego certe perhonorifico testimonio nullam Victorini editionem carere velim. Sic ergo Augustinus confess. lib. VIII. cap. 2. *Perrexi ad Simplicianum, patrem in accipienda gratia tua tunc episcopi Ambrosii, et quem vere ut patrem diligebat. Narravi ei circumitus erroris mei. Ubi autem commemoravi legisse me quosdam libros platonicorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romae, quem christianum defunctum esse audieram, in latinam linguam transtulisset, gratulatus est mihi, quod non in aliorum philosophorum scripta incidissem, plena fallaciarum et deceptionum secundum elementa huius mundi: in istis autem omnibus modis infirmari Deum et eius Verbum. Deinde ut me exhortaretur ad humilitatem Christi, sapientibus absconditam et revelatam parvulis, Victorinum ipsum recordatus est, quem, Romae cum esset, familiarissime noverat, deque illo mihi narravit, quod non silebo. Habet enim magnam laudem gratiae tuae confitendam tibi, quemadmodum ille doctissimus senex, et omnium*

liberalium doctrinarum peritissimus, quique philosophorum tam multa legerat et diiudicaverat et dilucidaverat, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne praeclari magisterii, quod cives huius mundi eximium putant, statuam in romano foro meruerat et acceperat, usque ad illam aetatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere romana nobilitas inflata spirabat, populusque etiam et omnigenûm deum monstra, et Anubem latratorem, quae aliquando contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam tela tenuerant, et a se victis iam Roma supplicabat, quae iste senex Victorinus tot annos ore terricrepo defensitaverat, non erubuerit esse puer Christi tui, et infans fontis tui subiecto collo ad humilitatis iugum, et edomita fronte ad crucis opprobrium. O Domine, Domine, qui inclinasti caelos et descendisti, tetigisti montes et fumigaverunt! quibus modis te insinuasti illi pectori? Legebat, sicut ait Simplicianus, sanctam scripturam, omnesque christianas litteras investigabat studiosissime et perscrutabatur, et dicebat Simpliciano, non palam, sed secretius et familiarius: noveris me iam esse christianum. Et respondebat ille: non credam, nec deputabo te inter christianos, nisi in ecclesia Christi te videro. Ille autem irridebat eum dicens: ergone parietes faciunt christianos? Et hoc saepe dicebat, iam se esse christianum; et Simplicianus saepe illud respondebat: et saepe ab illo parietum irrisio repetebatur. Amicos enim suos verebatur offendere, superbos daemonicolas, quorum ex culmine babylonicae dignitatis, quasi ex cedris Libani quas nondum contriverat Dominus, graviter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Sed postea quam legendo et inhiando hausit firmitatem, timuitque negari a Christo coram angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri, reusque sibi magni nominis apparuit, erubescendo de sacris sacrilegis superborum daemoniorum, quae imitator superbus acceperat: depuduit vanitati et erubuit veritati: subitoque et inopinatus ait Simpliciano, ut ipse narrabat, eamus in ecclesiam; christianus volo fieri. At ille non se capiens laetitia, perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis instructionum sacramentis, non multo post etiam nomen dedit, ut per baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente ecclesia. Superbi videbant et irascebantur, dentibus suis stridebant et tabescebant. Servo autem tuo dominus Deus erat spes eius, et non respiciebat in vanitates et insanias mendaces. Denique ut ventum est ad horam profitendae fidei, quae verbis certis conceptis retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romae reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino a presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctae mul-

titudinis profiteri : non enim erat salus, quam docebat in rhetorica, et tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri debuit mansuetum gregem tuum pronuncians verbum tuum, qui non verebatur in verbis suis turbas insanorum? Itaque ubi ascendit, ut redderet, omnes sibimet invicem, quisque ut eum noverat, instrepuerunt nomen eius strepitu congratulationis. Quis autem ibi non eum noverat? Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collaetantium, Victorinus, Victorinus. Cito sonuerunt exultatione, quia videbant eum; et cito siluerunt intentione, ut audirent eum. Pronunciavit ille fidem veracem praeclara fiducia, et volebant eum omnes rapere intro in cor suum, et rapiebant amando et gaudendo. Et sub finem capituli IV. atque initio capituli V. *Quanto igitur gratius cogitabatur Victorini pectus, quod tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus obtinuerat; et Victorini lingua, quo telo grandi et acuto multos peremerat; tanto abundantius exsultare oportuit filios tuos, quia rex noster alligavit fortem, et videbant vasa eius erepta mundari et aptari in honorem tuum, et fieri utilia Domino ad omne opus bonum. Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino ista narravit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim et ille narraverat. Postea quam vero et illud addidit, quod imperatoris Iuliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere litteraturam et oratoriam; quam legem ille amplexus, loquacem scholam deserere maluit, quam verbum tuum, quo linguas infantium facis disertas, non mihi fortior, quam felicior visus est, quia invenit occasionem vacandi tibi.* Hactenus Augustinus.

V. Sed heic mihi obiiciet aliquis grave divi Hieronymi de Victorini commentariis iudicium in prologo interpretationis epistulae ad Galatas: *non quod ignorem Gaium Marium Victorinum, qui, me puero, rhetoricam Romae docuit, edidisse commentarios in apostolum: sed quod occupatus ille eruditione saecularium litterarum, scripturas omnino sanctas ignoraverit; et nemo possit quamvis eloquens de eo bene disputare quod nesciat.* Ita quidem Hieronymus, qui tamen, ut de aliis eius locutionibus haud semel critici observant, plus fortasse dixit, et minus voluit intelligi. Nam quod Victorinus scripturarum sacrarum studiosissimus fuerit et satis intelligens, demonstrat S. Augustini testimonium supra recitatum: tum ipsius Victorini edita hactenus sacra opera adversus Arrianos, satis eum comprobant divinorum librorum assiduum peritumque lectorem. Profecto Hieronymus sancti quoque Ambrosii (suppresso tamen auctoris nomine) libros de Spiritu sancto paulo liberioribus verbis vilificavit (1); quos tamen maurini praesertim editores contra doctoris maximi telum naviter protegunt; ecclesia vero, quod pluris interest, libenter eos nec mediocri cum fructu legit. Rursus idem Hieronymus in viris illustribus cap. CXIX.

(1) Lib. de Spir. s. initio, et apud Rufin. apol. II. 21.

Diodoro tarsensi episcopo, quasi incultioris stili auctori, diserte imputat *ignorantiam saecularium litterarum.* Atqui hic Diodorus inter doctissimos saeculi sui fuit, et Iohannis quoque chrysostomi florentissimi oratoris magister; eiusque operum plurimorum memoria apud bibliographos superest; inter quae illud insigne habetur, quod Eusebii chronographiam emendavit. Nominatim vero Hieronymi censuram de stilo Diodori sic retundere videtur Photius, idoneus hercle causae index, in bibliotheca cod. CCXXIII: ἔστι δὲ (Διόδωρος) τὴν φράσιν καθαρός τε καὶ εὐκρινής: *Diodori elocutio pura est atque perspicua.* Quis denique Hieronymi dictis omnibus, in aestu praesertim contentionum prolatis, quae Rufini aquileiensis vel aliorum scripta deprimunt, peremptoriam tribuat auctoritatem? Atque ut aliud exemplum addam, S. Damasus papa, elegantis licet vir ingenii, volumen ingens epistularum Lactantii abs Hieronymo sibi missum fastidire se rescripsit (ep. I.): *quia*, inquit, *raro de nostro dogmate disputant*; *quo fit ut legenti fastidium generet longitudo*; *et siqua brevia sunt, scholasticis magis sint apta quam nobis, de metris et regionum situ et philosophis disputantia.* Quis nunc tamen, pace Damasi, praelongas disertissimi Lactantii epistulas, si adhuc extarent, non cupide legeret? Sed de his hactenus: neque enim ego Victorini patronus sum sed editor.

VI. Quamquam, si forte commentariorum horum patrocinium aliquod gerere velim, argumentis non destituar, quibus eorum utilitatem possim commendare. In primis enim Iesu Christi divinitas eiusque aeterna nativitas multis locis a Victorino religiosissime aperteque adseritur v. gr. pag. 2. 6. 62. 63. 86. 87. 89. 109. 116. 123. Item Petri supremam in ecclesia auctoritatem, cui Paulus quoque subesse debuerit, confirmat idem p. 9, ubi insuper cum Petrum ecclesiae fundamentum dicit, satis demonstrat, se de Petri persona intelligere Christi verba *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*; non autem de fide Petri, ut quibusdam interpretibus placuit. Atque haec Victorini de Christo Deo, et de vicario eius, catbolica testimonia nemo plurimi non faciet, quoniam hominis sunt, cuius adulescentia in nicaenae synodi aetatem incurrit; quo tempore prius dogma consensu orbis terrarum firmatum fuit; de secundo autem nulla adhuc controversia vel invidia commota fuerat. Neque non utilis notitia est p. 9 Symmachianorum veterum haereticorum, quos historia ecclesiastica vix memoraverat: item Iacobi p. 10 Hierosolymorum episcopi in apostolis non numerandi; quae valde perplexa controversia apud criticos erat: deinde quod *tempora* iam tum appellarentur p. 34. ut hodie fit, ieiuniorum praefiniti dies. Spiritalem cognationem baptizati hominis agnoscit Victorinus p. 37. cum baptizante simul et eum eo qui e fonte suscipit baptizatum: gratiam quoque auxiliantem a Deo contra diabolicas tentationes suppeditatam homini, cuius tamen liberum arbitrium est, p. 133. et 153. Iam fidei praestantiam eximiumque meritum saepe praedicat v. gr. p. 18. 110. 111; idem tamen bonorum operum utilitatem non diffitetur p. 22. 23. Cha-

ritas magnis laudibus extollitur p. 43. 59. 64. 120; et tamen summa legis christianae a Victorino dicitur, ut unusquisque humilis sit deiectus et infimus p. 46. Age vero sacri philologi, sumpto in manibus Victorino, eo praecipue curam suam mittent, ut biblici textus varietatem, quae permulta apud ipsum est, sibi adnotent; id quod in libris olim editis non neglexit Millius prolegom. ad N. T. p.74. ff. 778. Atque is quidem recte, ut puto, observavit, locos quosdam biblicos apud Victorinum libere interdum, id est interpolatos, citari; id quod apud alios quoque patres quandoque usuvenit. Et iam omissis quae Millius nimis breviter perfunctorieque dicit, ego ipse Victorini opus adversus Arrianos lectitans, miratus sum, quod idem biblicus locus bis a Victorino laudatus, constantiam non servaret. Exemplum ponam operis praedicti lib. I., ubi cap. 24. in textu ad Coloss. I. 16, legit Victorinus *sedes* et *constituta*; idemque mox auctor cap. 36. sui quodammodo immemor scribit *throni* et *creata*. Porro apud nos in commentario ad Philipp. II. 6. p. 59. textus paulinus a Victorino laudatus, conspirat cum eodem paulino textu apud Victorinum adv. Arr. IV. 8; sed dissidet ab eodem prout est adv. Arr. I. 21. De Victorini inconstantia satis; qui ceteroquin haud raro alibi a vulgato paulino textu insigniter apud nos differt, praesertim p. 18. 20. 30. 35. 48. 70. 128. Immo universus apud Victorinum biblicus textus, quoniam antiquior Hieronymi recensione est, philologorum criticorumque sacrorum studia invitat; quos tamen dictorum a me nuper velim memores, nempe quod Victorinus dissidentes aliquando fluxasque lectiones habeat, vel quia memoria seniove lapsus est, vel quia diversa exemplaria diverso tempore habuit, vel quia interdum librarii illum subverterunt: quae res universa nonnisi multo otio cognosci dicique potest, quo ego maxime careo.

VII. Sequitur illa quaestiuncula num Victorinus ad tres tantummodo commentatus fuerit Pauli epistulas an ad omnes. Codex quidem gallicanus non nisi ad aliquot epistulas interpretationem Victorini habuit, teste Sirmondo; adeoque vix dubito, quin ipsimet hi tres commentarii ibidem extiterint, qui sunt in codicibus vaticanis: immo itali codices, quoniam satis recentes sunt, unoque fonte derivati, a gallicano (qui est antiquus, teste Sirmondo p. 2) desumpti videntur. Iam et Hieronymus etsi absolute appellat Victorini commentarios in apostolum, tamen quia de his nonnisi in prologo epistulae ad Galat. iudicium profert, videtur mihi epistulae huius interpretationem, quam nunc habemus, praecipue designare. Ipse utique Victorinus scripta sua, quae permulta fuerunt, saepe commemorat, tum in opusculis editis, tum etiam in his commentariis p. 2. 19. 34. 43. 60. 61. 90. 97. 102. 103. 104. 105. 106. 126. 135. 141; opus etiam quoddam promittit p. 125. et p. 19; verumtamen non nisi commentarios in epist. ad Ephes. p. 60. nominatim appellat, qui quidem in nostro numero sunt. Sed enim cum p. 126, dicat Victorinus se de tertio caelo multa dixisse in praeterito, plane videtur significare commentarios suos in epistulam ad Corinthios secundam, in

qua Paulus ad tertium caelum raptum se narrat. Utrum vero p. 127. loquatur Victorinus de epistula Pauli prima ad Corinthios cap. 12, an de suis in eam commentariis, non definio. Haec igitur quaestio, vel magis dubitatio, utrum tres tantum Pauli epistulas an universas Victorinus interpretatus fuerit, relinquenda in medio videtur.

VIII. Quibusnam ego commotus rationibus opusculum *de physicis*, seu potius *adversus physicos*, quod ex iisdem Victorini codicibus edidi, Victorino ipsi adserendum censuerim, proprio in loco iam dixi p. 147. Sed ecce ipsemet Victorinus in commentario epistulae ad Ephesios lib. II. p. 126., praedicti scripti parentem fortasse se dicit. *Passio*, inquit, *Christi et resurrectio et ascensio, perfectio est omnium tam in mundo quae salvari possent, quam in aeternis et super omnes caelos: quod mysterium plenissime unius libri explicatione tractavimus.* Quae mihi verba partem illam opusculi *contra physicos* indicare videntur, in qua Victorinus de Servatoris vita universa ordinatim disserit. Scribitur autem id opusculum ob religionem tum naturalem tum christianam adversus illos philosophos protegendam, qui argumentis physicis narrationem mosaicam ac deinde evangelicam oppugnabant. Ergo auctor primo adserit creationem rerum ex nihilo; potestatem divinam creato homini legem imponendi; iustam, propter liberum arbitrium, alieni peccati permissionem; deinde remedium congruenter suppeditatum. Hinc gradum facit auctor ad loquendum de universa incarnationis dominicae oeconomia; quodque Christo possibile fuerit libitumque de virgine nasci, obscurum inter homines versari, pati, mori, resurgere; hominem denique salvum in caelos secum transferre. Haec est videlicet totius opusculi summa, quod, pro Victorini stilo, non insuaviter legitur.

VIIII. Neque porro desunt Victorino, si minus maculae, certe naevi, qui ad duo praecipue genera revocantur; rerum primo ad theologiae christianae regulam non satis interdum exactarum; deinde durae elocutionis non solum ob structuram, verum etiam ob vocabulorum novitatem vel enormitatem, quae asperam Afrorum indolem quodammodo referunt. Victorini, qui sero ad christianam fidem accessit, infirmam aliquando theologiam incusavit, ut alios sileam, Petavius (1); defenderunt partim Ballerinii (2). Nunc in his commentariis pauca oppido, sed tamen aliqua, haud satis recta Victorino exciderunt. Profecto p. 90. et 93. falsa est doctrina illa de humanis animabus ante res mundanas a Deo creatis; et p. 105. de angelorum substantia aëria: etsi uterque error non unum adseclam in ecclesiasticis viris olim habuit. Quin adeo p. 90. 93. 94. 95. origeniani deliramenti vestigia quaedam censor praestans theologus videre se aiebat. Mire item Victorinus p. 117. vocabulum *creator* haud Deo convenire dicit; ad quem locum censor theologus sic egregie adnotabat: " fortasse subtiliter Victorinus vim fa-

(1) Apud nos p. 64. n. 1.

(2) Ad S. Zenonem dissert. II. cap. I. ff. 8. p. 85.

„ cit in nomine *Dei*, quod per se sumi solet ad significandam naturam divi- „ nam, non virtutem creatoris; quam quidem Deus non exserit nec potest „ exserere nisi per Verbum suum, *omnia per ipsum facta sunt*. Deum quip- „ pe nobis cogitare licet exsistere potuisse, etiamsi numquam creator fuisset: „ verum (post revelationem trinitatis personarum) creator dici nequit, nisi „ prout nos fides docet, nempe per Verbum suum „. Insuper p. 42. videtur acrius Victorinus de iudaicis quibusdam ritibus post evangelium abolitis pronunciare. Iam quod p. 18. 23. alibique fidei praestantiam prae bonorum operum meritis videtur exaggerare, id aliis Victorini locutionibus facile temperatur. Denique quod p. 97. Deum ait esse *motum*, id secundum quamdam philosophicam ideam dicere credendus est; veluti Tertullianus apolog. cap. XXII. ait: *velocitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur*. Et sic prorsus in commentario inedito ad Platonis de rep. librum decimum Proclus ait: τὸ ἀεικίνητον θεῖον. Denique Cicero in somnio, Platonem imitans, dicit: *quod semper movetur, aeternum est*.

X. Afrorum latinitatem singulariter asperam iampridem novimus, ex Tertulliano puta et ex Martiano Capella: sed ne Victorini quidem loquela patriam non prodit, tum in his ad apostolum commentariis, tum multo magis in editis olim libris. Certe in vulgatis nunc primum commentariis inaudita vocabula offendimus v. gr. p. 13. *subinductus*; p. 21. *quare*, et p. 150. *stare*, substantivo sensu, et alia quaedam; p. 24. et alibi *salvatio*; p. 27. *apostropho*, *as*; p. 34. *empirius*, et *enydrus*, et *usitatio*; p. 50. *conservio*; p. 60. *circumformo*; p. 61. 62. *existentia*, *subauditor*; p. 62. *obauditor*; p. 68. *taediari* sensu passivo. p. 74. *propitiator*; p. 94. *immaculatio*; p. 103. *effatio*, (Servio tamen teste, usitatum olim vocabulum); p. 112. *superaedificatio* (item notum Tertulliano); p. 113. *coaedificatio*; p. 124. *magnanimiter*; p. 150. *innativitas*; p. 155. *implicitatio*; p. 158. *sociator*; p. 257. *adsolido*. Sed enim multo est maior farrago illa abnormium vocabulorum, quam in cognitis Victorini libris vel unica lectione deprehendere licet; talem scilicet ac tantam ut noster afer sit inter ferreos scriptores facile princeps. En praecipua: *abolefieri*; *adintelligitur*; *aisse*, ab aio; *alocalis*; *alteritas*; *bigeminus*; *bipotens*; *blasphemiter*; *circumspector*, *oris*; *circumterminavit*; *coexistens*; *connaturalis*; *consumbstantiatus*; *counire*; *counitio*; *counitus*; *dualiter*; *effulgenter*; *effulgentia*; *effulsio*; *elucescentia*; *essentialitas*; *essentitas*; *existentialitas*; *existentialiter*; *exsequenter*; *filiatio*; *grassamina*; *gyrans gyrando*; *imaginalis*; *impartibilis*; *imparticipatus*; *impassionabiliter*; *incidentia* substantivum; *incognoscibilis*; *indiscernibilis*; *inexistens*; *inexistentialiter*; *ingenerabilis*; *inqualitas*; *insensualis* (habet Cassiod.); *insubstantiatus*; *intellectibilis*; *intelligentialis*; *intelligentialitas*; *intracaelestis*; *iudex futurus venire*; *inversibilis*; *mascularis*; *milium miliorum*; *omnin-*

telligens; *omnividens*, *omnivivens*; *optimitas* (habet. Martianus); *potentialiter* (habet Sidon.); *potentificari*; *potentificatus* adiect.; *praecaussa*; *praecognoscentia*; *praeexistentialis*; *praeexistere*; *praenoscentia*; *praeprincipalis*; *praeprincipium*; itemque eadem substantiva in *entia*; *noeta* (νοητὰ); *quadripotens*; *posse* pro *potentia*; *potestas dare vivere* (pro *dandi ut vivant*); habet August. *revivere* (habet Paulin.); *substantialitas*; *superelevativus*; *se datur evenire*; *tripotens*; *supracaelestis*; *vulnerarum* pro *vulnerum*; *vivefacit*; *revivefacit*; *unitio*; *vivefieri*. Nonne igitur Victorinus prae tanta colluvie librorum olim editorum, in commentariis ad Paulum nunc primum editis purissimus est? Sed enim in commentariis quoque ad Ciceronis rhetoricam quaedam habet Victorinus vocabula, quae lexicographi haud scio an recte praetermiserint v. gr. *disertudo* (pro *disertitudo*); *iureiuratus*; *realis*; *versidicus*. Sed illud in commentariis Victorini rhetoricis notabilius est, quod ipsi corruptissimi in editionibus extant; et quidem in illa praestante, ut creditur, Capperonerii editione; id quod ego collatione antiquorum codicum comperi; atque aliquando palam facturus sum. Atque haud scio an ipsam Victorini grammaticam lexicographi satis consuluerint. Sed quoniam in colligendis inusitatae vel ruentis vel rusticae latinitatis vocabulis operam aliquam posui, congruum est illa quoque scribere, quae in ceteris antiquis voluminis mei opusculis extant. Ferrand. pag. 172. *minoratio*; p. 173. *inconsequenter*; p. 182. *intransgredibile* vel potius *intransgressibile*. Comm. in Luc. p. 191. *complecti* passive, (ut Cic. apud Priscian.) p. 192. *parabolarius*; *ab intus*; p. 193. *conversor*, *oris*; p. 195. *affectualis*; p. 197. *planctus*, *ti*; p. 193. *orire* pro *oriri*; p. 201. *summansorium*; p. 202. *immensurabilis*. p. 203. *chartemanus*, fortasse pro *cataphractus*; p. 204. *acius*, *a*, *um* num pro *assus?* p. 205. *tibus*, pro *tibia* vel *tubus*; *circumcingere*; *eruptuans*; p. 206. *capriola*. Fragm. antiq. p. 208. *arbitro*, *as*; p. 213. ut in fragm. iur. vat. p. 42; *circumtenere*; p. 216. *invertibilis*; p. 218. *intuere* pro *intueri*; *gradus*, *i*; *scrutinatus*, *a*, *um*; p. 219. *indisciplinosus*; *inproperium*, confirmatum vocabulum; *confrangere*; *conminutare*; p. 220. *secta* pro *dogmate* p. 220. (et part. III. p. 20); p. 222. *manupositio*; p. 224. *sequentia*, confirmatum vocab.; p. 226. *transiet* pro *transibit*; p. 228. *dealitas*; p. 233. *capitulus* pro *capitulum*; p. 233. *inpartibilis*; p. 234. 280. *finctus*; p. 235. *ipsut* (at p. 287. *ipsud*); p. 235. *deservitio*; p. 240. *lapis* genere femineo, ut Ennius apud Nonium; p. 241. *indisco*; p. 243. *cohinabitans*; *segretare* pro *segregare*, nisi mendum est; p. 245. *confilius*, nisi mendum est; *clibanus*, armatura cataphracti militis; p. 247. *asperaliter*. Evang. p. 257. *retia*, *ae*, unde confirmatur Plauti lectio; p. 258. *lugo*, *is*; *iota*, *ae*, ut Ausonius; p. 259. *scammillum*. neutr. (Iam quia *scammillum* heic est pro *scabellum*; num vitruviani *scamilli*, de quibus tanta lis est, reapse *scabella* seu *bases* quaedam sunt?) *odiunt* pro *oderunt*, et p. 260. *odiet*; p. 260. *in palam*; p. 261. *neunt*, ut Tibullus, pro *nent*; p. 270. *eructuari* depon.; p. 271. *exient* pro *ex-*

ibunt; p. 272. *pedestrae*; p. 281. *lamento*, *as*; *perfodiri*; p. 283. *veniri* pro *vendi*; p. 284. *dispargo*; p. 285. 288. *rememoror*, *aris*; p. 286. *corba*, *ae*. Part. III. Paris. p. 27. *obsequito*, *as*; p. 32. *carnuncula* pro *caruncula*; p. 38. *pale* pro *pugna*, ut apud Statium. Nepot. p. 94. *calliphanus*, *a*, *um* si sana lectio est; p. 95. *gabinatus*, *a*, *um*; p. 97. *monitrix*. Music. p. 124. 125. *metire* pro *metiri*; p. 131. *consocietas*; p. 133. *secatio*. Homil. p. 139. *persequi* passive, ut Candidus arrianus in epist. ad Victorinum; p. 135. 136. *persollicitus*; p. 136. *ineffrenatus*; p. 140. *annuatim*. Atque ex brevi hoc specimine satis, credo, fit palam quam imperfecta adhuc lexica sint, quantaque pars latinitatis in mss. editisque libris vel lateat vel nondum observata fuerit, tum etiam quam inconstanter lexicographi in excerpendis auctoribus versati sint. Et iam mitto Cangium et Carpentarium qui meram fere barbariem peculiari instituto suo coacervant; cur ex. gr. praestantissimus Forcellinus utitur Hieronymo, Augustino, Paulino nolano, Cassiodorio, Boëthio, Ennodio, ipsisque Aldhelmo, Paulino Petricorio, Venantio Fortunato aliisque; negligit autem Zenonem veronensem, Hilarium pictaviensem, Ambrosium mediolanensem, Luciferum calaritanum, quarti saeculi homines? Cur item missos facit romanos pontifices Damasum ac Leonem? cur Maximum taurinensem, Rufinum Hieronymi coaetaneum, Prosperum, Cassianum, aliosque plures? Cur denique Victorini nostri scripto uno utitur, omittit alterum?

DE FERRANDO DIACONO.

XI. Ferrandum diaconum ecclesiae carthaginiensis ante medium saeculum sextum, Iustini I. praesertim ac Iustiniani temporibus, vitae sanctimonia et scriptorum sapientia inclaruisse, satis exploratum est. Scriptae ab eo extant dogmaticae quinque epistulae, paraeneticus ad Reginum comitem sermo, et breviatio canonum. Sextae quoque fragmentum epistulae ad Eugippium in editionibus legebatur; sed nullus hactenus codex hanc epistulam integram inlibatamque obtulerat. Nunc casinensis codex a rmo et clmo monacho Octavio Frangipanio, ut proprio in loco iam dixi, observatus universam lucubrationem, libelli instar prolixam, tandem aliquando suppeditavit. Occasio autem scribendae epistulae haec fuit. Eugippius presbyter, et lucullanensis apud Neapolim abbas, vix erepto e vivis Fulgentio Ruspae episcopo, id est anno Christi DXXXIII, scripsit ad Ferrandum diaconum, epistulari quidem commercio nondum sibi familiarem, fama tamen et admiratione meritorum notissimum. Eugippii epistula non extat, sed ea videtur fuisse officiosissima, quoniam Ferrandi animum mirifice exhilaravit (ep. casin. ff. 1.) Ibi inter ceteras laudes dixerat Eugippius videri sibi Ferrandum Fulgentii nuper denati fore in episco-

patu successorem: cui dicto qua par erat modestia respondet Ferrandus, multo se inferiorem magistro suo Fulgentio profitens, cuius neque religiosas virtutes neque doctrinae apicem posset aemulari. Post officiosum prohoemium exposuerat Ferrando Eugippius quaestiones dogmaticas (ff. 1. 3.) ab arriano quodam Gothorum comite nuper propositas, quibus catholicum dogma de Christi divinitate et patri suo aequalitate ab haereticis oppugnabatur: petiveratque a Ferrando Eugippius, ut pro sua praestante theologicae rei peritia plenissime responderet. Cui petitioni non gravate occurrens Ferrandus, primo quidem arriani erroris perspicuam sedulamque facit descriptionem; deinde adgrediens ad dogmaticam disputationem, nihil plane omittit, quod ad pestiferam convellendam perimendamque Arrii blasphemiam pertinere videbatur: obiterque alios quoque haereticos, qui de dominica incarnatione prave senserunt, photinianos, manichaeos, patripassianos, nestorianos, praecipueque eutychianos, quorum error recentior erat, perstringit. Illa vero insperata notitia est, quod ff. 13. *Absentium* cognoscimus misisse ad Augustinum sermonem illum arrianorum, quem summus doctor disputatione latissima refutavit. Neque tamen hinc recte concluditur *Absentium* fuisse arrianum vel sermonis eius auctorem: nam Eugippius quoque, catholicus apprime vir, et augustinianae doctrinae amator, misit (ut nunc item cognoscimus) ad Ferrandum nostrum propositiones arriani comitis, ut ab eo dissolverentur. Denique ex opistulae fine, annus etiam quo haec scripta fuit, innotescit, nempe Fulgentii mortuario: simulque dicitur scribi iam, sive ab ipso Ferrando sive certe eius cura iussuque, Fulgentii vita, quam anonymam quidem habemus, sed tamen esse Ferrandi opus, nemo fere dubitat.

DE MATTHAEI EVANGELIO

VERSIONIS ANTEHIERONYMIANAE.

XII. Antiquarum biblici textus interpretationum utilitatem si commendare velim, actum profecto agam: cui etenim erudito incognita sunt, quae iamdiu hac super re a vetustorum codicum editoribus dicta fuerunt? Matthaei quidem evangelium ex antiquissimis codicibus latine editum extat; nempe ex vercellensi ab Irico; ex Bezae cantabrigiensi a Klipingio; ex veronensi, brixiensi, corbeiensi, rursusque vercellensi a Blanchinio; ex colbertino a Sabaterio, qui postremus varietatem quoque lectionum plurimam ex aliis mss. atque ex patrum operibus addidit. Atque in his cunctis codicibus interpretationes ante Hieronymum curatae contineri dicuntur; neque sane incredibiliter vel immerito; etenim plurimae hae fuerunt, uti adfirmant Hieronymus ipse (1) atque Augustinus (2). Iam inter antiquissimos evangeliorum latinorum codices recensetur gallicus claromontanus, quem olim Sabaterius (3) saeculi septimi esse iudicavit; eoque in scholiis suis,

(1) Praef. in evang.

(2) De doctr. ch. II. 1.

(3) Monit. in quatuor evangelia p. XXXV.

ubi tantam lectionum varietatem congessit, rite usus est. Porro is codex claromontanus, Pio VI. pontifice maximo, bibliothecae vaticanae magno pretio acquisitus fuit: quem ego inspiciens, eiusque eximio genere et antiquitatis laude commotus, vulgandi consilium coepi. Nam si desumptae carptim lectiones iure utiles existimantur, universi sane contextus continua praesensque editio multo commodior est et iucundior ac fructuosior. Pauci quippe homines lectiones varias in eruditorum scholiis dispersas ac prope submersas legunt; nisi forte peculiari quodam studio vel suscepti alicuius operis ratione trahuntur. Est is codex vaticanus, olim claromontanus, eximiae ut Sabaterius recte dixit antiquitatis, scripturae prope quadratae, ut specimen a me cusum demonstrat n. 3; continetque evangelia quatuor; sed ex his Matthaei tantummodo evangelium antehieronymianam versionem, et quidem a supradictis diversam, prae se fert: reliqua evangelia, etsi paris scripturae sunt, ad Hieronymi recensionem proxime accedunt. Unum igitur Matthaei textum edendum putavi; in quo ipso lacunae duae sunt (quales videlicet Sabaterius in hoc codice dum adhuc in Gallia esset, iam viderat) nempe initio usque ad cap. III. 15; in medio autem a cap. XIIII. 33. usque ad cap. XVIII. 12. Et coeperam equidem vaticani codicis comparationem cum antiquis aliis curare exemplaribus, praesertim cum quadruplici Blanchinii evangelio, videbamque codicem vaticanum cum brixiensi saepius congruere quam cum ceteris. Sed enim postea visum mihi est omnem hanc criticen et observationem legentium otio curiositatique esse permittendam. Scholia itaque nulla adtexui; nisi quod in vocabulis insolitis vel abnormibus aut corruptis, saepe admonui *ita se codicem habere*; ne forte lector menda potius libri mei typographica quam scripturam codicis esse putaret.

DE IULIO PARIDE.

XIII. Iulius Paris Valerii Maximi breviator ex antiqua quadam praefatiuncula iam innotuerat, quae libri decimi reliquiis praeponi solet, et quam ego quoque repetendam p. 90 curavi. Verumtamen eius epitomae fragmenta duo tantummodo edita erant, nempe libri decimi titulus primus *de praenominibus*, et praeterea fragmentum libri I. cap. II. ff. 16. usque ad capitis quarti finem; in qua parte operis quum Valerius deficeret, ab Aldo suppletus fuit epitomae nostrae segmento, quod ei Cuspinianus ex antiquo vindobonensi codice sumptum suppeditavit. Post illam vero aetatem vix ullus, quod sciam, integer Iulii Paridis codex innotuit, certe vero nihil vulgatum est. Atque haud scio quidnam ipsi vindobonensi codici acciderit; nunc enim in Caesaris bibliotheca nonnisi epitomam libri decimi video apud Kollarium T. II. p. 829. Sed ecce nobis vaticanus codex, calligraphia et vetustate spectabilis, Iulii Paridis epitomam integram exhibet, excepto libro decimo cuius nonnisi primus

titulus conservatus est. Paridis ad Cyriacum epistolium operi praepositum, nec non Titi Probi, qui alius breviator fuit, titulum operi Paridis nescio cur subscriptum, aere incidendum curavi. Iam epistula dictusque titulus speciosis sane magnisque litteris constant; operis tamen scriptura multo minutior est atque inclinata, quamquam valde perspicua nec indecora; eaque ad decimum ferme saeculum pertinere videtur. Porro huius edendi auctoris multiplex, meo indicio, fructus est. Nam primo nemo iam dubitabit, id quod hactenus nonnulli critici fecerant, utrum Valerii Maximi opus ad compendiorum genus pertineat nec ne: nunc enim cognita Paridis epitoma, Valerium ipsum ab hac omnino ratione abhorrere intelligimus. Novum insuper addimus latinis classicis auctorem Paridem, quem antiquis valde temporibus vixisse apparet: eius enim latinitas et pura est et perspicua, et omni vitio sequioris aevi carens; neque is verbis Valerii perpetuo utitur, sed lingua sua saepe loquitur; immo non verbis tantum, verum etiam quandoque rebus sententiave dissidet v. gr. p. 4. 14. 32. 39. 46. 68., sive sponte ab archetypo discedens, sive potius exemplaribus diversis utens. Valerii ipsius lectiones optimas, partim omnino novas partim in antiquis codicibus iam observatas, sed a typographis inique exclusas, nunc Paris revocat. Cuius rei ut aliquot exempla proferam, lib. I. 3. 12. desideratam in Valerii editionibus notitiam, quod cultores dei Sabazii (Sabaoth) IUDAEI fuerint, nunc Paris restituit, habetque consentientem Nepotianum, de quo mox dicam. Rursus II. 1. 21. ait Paris tribunos pl. subscribere solitos senatus consultis litterâ C, qua videlicet significabant tribunos quoque sic CENSUISSE. At in Valerii codicibus editionibusque scribitur perperam, ut puto, T. id est TRIBUNI. Denique I. 5. 9. apud Paridem Samii Prienensibus misisse dicuntur *Sibyllam*, cuius ductu et omine Prienenses rem bene gesserunt: at in Valerii editionibus scribitur *cymbula*: et quamquam in Valerii codicibus aliquot *Sibylla* item fuerit, nihilominus editores *cymbulam* praetulerunt: mihi vero secus videtur; nam et samia Sibylla notissima est; atque ad omen ducatumque praestandum multo aptiorem vatem quam cymbulam esse video: nec dissimile exemplum extat in vaticanis excerptis apud Diodorum (1). — Sed quid statuemus de C. Tito Probo, cuius epitoma finire dicitur (p. 92) post Paridis libri decimi titulum primum, qui unicus restat, quamvis indiculus (p. 2.) sex promittat? Certe Probus ad Paridis novem libros nihil contulit: nihil item lucubrationum eius superesse iudico ad librum decimum: etenim titulum *de praenominibus* Probus ipse in praefatiuncula ad Paridem auctorem refert. Res ergo prorsus obscura mihi videtur; quamquam eam declarare nititur Vossius (2), cuius opinionem, etsi haud scio quam sit probabilis, recitabo. *Sic statuere velim, Valerium ipsum memorabilia scripsisse: horum epitomem fecisse*

(1) Coll. vat. T. II. p. 12. Adi etiam Pausaniam III. 15.

(2) De hist. lat. lib. I. 24.

Paridem : eundem (Paridem) *reliquisse librum de nominibus* (Romanorum): *huius libri compendium fecisse Probum.*

DE IANUARIO NEPOTIANO.

εἰς βασιλείας τὸ κράτος προεκρίθη·
ὁ δ' ἦν ἀπειθὴς πρὸς τὸ δέξασθαι κράτος,
Χριστοῦ μὲν αὐτὸν οἰκέτην εἶναι λέγων,
καὶ μὴ κρατάρχειν ἀσεβοῦς στρατοῦ θέλειν·
τούτων δὲ Χριστὸν ἀνακραξάντων σέβειν,

IOVIANUS MENS. VIII. SEU UT ALII AIUNT
AN. I.

Iuliano, sicut dixi, vita orbato
post sceleratam biennii tyrannidem,
suffragio optimatium castrensis consilii
Iovianus per id tempus tribunus militum,
vir bonus atque Christi pius famulus
ad imperii dignitatem fuit subvectus.
Ceteroquin ipse regnum respuebat
Christi se famulum esse dicens
atq. ethnicis militibus imperaturum negans.
Hi vero quum Christicolas se inclamassent,

tunc imperium Iovlanus recepit protinus.
Et pace mox composita cum persa rege
atque Antiochiam reducto exercitu,
exsules dudum principes pastores
ad suos greges edicto revocavit,
quos inter Athanasium divinum praesulem;
cunctisque exhibuit Christianis
ver tranquillum et orthodoxiae lumen.
Hic Galatarum Ancyram delatus,
ibi improviso obitu excessit terris,
recentibus, ut fama est, voratis fungis,
haud plusquam octo mensibus regno fruitus.
Pietate is, ut dixi, fuit inclytus,
bonus, tranquillus, benivolus, erga subditos,
staturaque corporis procera cluens;
litteris etiam mediocriter eruditus;
vini tamen atque amoris illecebris obnoxius.
Huius cadaver apud Byzantium urbem
in sancto apostolorum templo est conditum.

εὐθὺς ἀνεζώσατο τὴν κρατααρχίαν
καὶ σπένδεται δὲ τῷ κρατοῦντι Περσίδος·
καὶ σὺν στρατιᾷ τὴν Ἀντιόχου φθάσας
τοὺς πρὶν φυγάδας ἀρχιθύτας ποιμένας
εἰς σφῶν ἐπανήγαγε ποιμεναρχίας,
μεθ᾽ ὧν Ἀθανάσιον ἔνθεον θύτην,
καὶ πᾶσιν ἐβράβευσε τοῖς χριστωνύμοις
ἔαρ γαληνὸν ὀρθοδοξίας φάος.
εἰς Ἄγκυραν δὲ ἀφθακὼς Γαλατίας
ἐκεῖ τελευτῇ δεάγων ἐξαπίνης
φαγὼν μύκητας ἀρτιφυεῖς, ὡς λόγος,
ὀκτὼ κατασχὼν μῆνας ἀρχὴν καὶ μόνας·
ὑπῆρχεν οὗτος εὐσεβὴς μὲν, ὡς ἔφην,
χρηστὸς γαληνὸς εὐμενὴς ὑπηκόοις,
ἀναδρομὴν σώματος εὐμήκη φέρων,
καὶ γραμμάτων δὲ μετρίως γεγευμένος·
ἥττητο δ᾽ οἴνου σὺν ἐρωτοληψίαις·
καὶ τοῦδ᾽ ὁ νεκρὸς ἐν πόλει Βυζαντίδι
ἐν εὐαγεῖ τέθαπτο κηρύκων δόμῳ·

VALENTINIANUS AN. XI.
SIVE UT ALII AIUNT, AN. X.

Post hunc insedit regiam dignitatem
iustitiae simul clementiaeque exemplar
Valentinianus Christianorum decus,
vir strenuus animosus ac robustus,
generis ex Pannonia stirpem trahens;
princeps bonus et providus erga subditos,
qui peregrinas quondam in regiones
utpote christianus deumq. Christum colens,
ab apostata Iuliano pulsus fuerat;
nunc redux ad exercitum, tribunus erat.
Is ubi supremam dignitatem adiit,
imperii socium fratrem adscivit suum
aerumnosum Valentem Arii adseclam,
cui partes orientis regendas tradidit:
ipse vero occiduis pie praefuit,
ubi trophaea nobilia de barbaricis
gentibus victor statuit ope Numinis.
Hic omnia boni officia exprimens principis
iustitiaeque amore praesertim flagrans,
orthodoxorum dogmatum defensor,
spatiosum vitae curriculum emensus est,
et cursu vitae et termino beatus visus,

ΟΥΑΛΕΝΤΙΑΝΟΣ ΕΤ. ΙΑ.
ΟΙ ΔΕ. ΕΤ. Ι.

Εἶτα παρῆλθεν εἰς βασίλειον κράτος
δικαιοσύνης πραότητος αὖ τύπος
Οὐαλεντιανὸς εὐσεβῶν κλέος,
γεννάδας ἀνὴρ εὐσθενὴς βωμαλέος
ἐκ Πανονίας ἀρχῆθεν ὡρμημένος,
κράτωρ ἀγαθὸς κηδεμὼν ὑπηκόων,
εἰς ἀλλοδαπὴν ἐξορισθεὶς που χθόνα
ὡς χριστιανὸς καὶ θεὸν Χριστὸν σέβων
Ἰουλιανοῦ πρὸς παραβάτου πάλαι·
εἶτ᾽ ἀνακληθεὶς χρηματίζει τριβοῦνος·
ὡς οὖν ἀνεζώσατο τὴν κρατααρχίαν,
κοινωνὸν ἀρχῆς σύγγονον προσλαμβάνει
ἄθλιον Οὐάλεντα μύστην Ἀρείου·
καὶ μοῖραν αὐτῷ παραδοὺς τὴν τῆς ἕω,
αὐτὸς κατῆρχεν εὐσεβῶς τῆς ἑσπέρας,
περιφανῆ τρόπαια κατὰ βαρβάρων
καὶ νίκας ἱστὰς τῇ θεοῦ συμμαχίᾳ·
καὶ πάντα ποιῶν οἷς σεμνύνεται κράτωρ,
δικαιοσύνης ἐς τὰ μάλιστα φίλος,
καὶ δογμάτων πρόμαχος ὀρθοδοξίας,
πολυετής τις ἀναφανεὶς ἐν βίῳ,
καὶ μακαριστὸς τοῦ βίου καὶ τοῦ τέλους,

βιοὺς ὀγδοήκοντα τῆς ζωῆς χρόνους
πρὸς τέτρασιν αὖ εὐθέως εὐδαιμόνως,
ἀφ' ὧν κατῆρξεν ἕνδεκα κραταρχίας·
αὐτὸς τελευτᾷ διάγων ἐν Γαλλίαις.
υἱῷ λελοιπὼς Γρατιανῷ τὸ κράτος,
ἀνδρὶ προμάχῳ δογμάτων ὀρθοφρόνων.

expletis quatuor supra octogina annis
summo in favore Numinis beatitateque;
ex quo imperium auaceperat, annis undecim.
Hic dum in Galliis degeret, mortem obiit,
Gratiano filio imperium relinquens
viro rectorum dogmatum defensori.

ΟΥΑΛΗΣ ΕΤ. Γ. (1) ΟΙ ΔΕ ΕΤ. Δ.

Ὁ δ' αὖ Οὐάλης βασιλεύων τῆς ἕω,
καὶ καθυπαχθεὶς ἀρειανῶν μανίᾳ,
σφοδρὸς διώκτης ὀρθοδοξούντων λάχους
ἦν καὶ κολαστὴς δυσμενὴς φρικαλέος·
ἀρχιθύτας μὲν ποιμένας διδασκάλους
ποίμνης ἐλαύνων καὶ τιθεὶς πορρωτάτω
καὶ ποικίλαις σφᾶς ἐστρέβλου βασάνοις·
Θεοῦ δὲ θύτας κωλύων θείων δόμων
εἱρκταῖς ἐναπέκλειε δεσμωτηρίοις·
ἄλλους δὲ βυθῷ καὶ πυρὶ θαλαττίῳ
σὺν πυριφλέκτῳ νηῒ κατεπυρπόλει·
ἔστεργε δ' ὡς μάλιστα μύστας Ἀρείου,
καὶ τοῦδε τοῖς δόγμασιν ἀπρὶξ ἐμμένων
ἐκκλησίας ἔνειμεν αὐτοῖς τὰς ὅλας,
σφῶν ὀρθοδόξους ἐκβαλὼν κακοτρόπως.
σκυθῶν δὲ Θρᾴκας καταδραμόντων ὅρους
καὶ πάντα δρώντων σκυθικὴν ἐρημίαν,
ἄναξ ἐπεστράτευσε τοῖσδε βαρβάροις,
καὶ συμπλακεὶς ἥττετο δυσκλεῶς σκύθαις·
τὸν ἐκ ξίφους φυγὼν δὲ θάνατον τάλας
ἀχυρμιᾷ τινι συρφετώδει προστρέχει,
κἀκεῖ τροφὴ γίνεται πυρὸς παμφάγου,
σκυθῶν ἀναψάντων γε κώμης οἰκίας·
κατῆρξεν αὐτὸς πρὸς τρισὶ δέκα χρόνους,
βαρὺς κολαστὴς ὀρθοδοξούντων λάχους,
θερμὸς δ' ἐραστὴς καὶ πρόμαχος Ἀρείου.

VALENS AN. III. SEU IV.

Orientis interim regnator Valens
arianorum deditus vesaniae,
partis orthodoxae persecutor vehemens
saevusque tortor erat et horribilis.
Pastores quidem praecipuos et magistros
gregibus suis pulsos et procul ablegatos
variis praeterea poenis excruciabat:
tum et Dei sacerdotes sacris aedibus
prohibitos, arctis detinebat vinculis:
alios aquis praefocabat, medioque mari
combusta nave flammis extinguebat.
Arii vero adseclas impense colens,
atqueeius dogmatibus mordicus adhaerens,
ecclesias ipsis cunctas regendas dedit,
eiectis inde per scelus orthodoxis.
Deinde Gothis Thraciam populantibus
et vastitatem scythicam efficientibus,
imperator barbaros bello adgressus
proelio infelici vincitur a Gothis;
dumque miser fatum a gladio imminens
fugit, ac vili se paleario abdit,
ibi flammarum esca fit edacium,
dum Gothi ignem subiiciunt pagi domibus.
Hic annis ferme tredecim imperavit,
gravis orthodoxae carnifex ecclesiae,
fervidus Arii amator et defensor.

ΓΡΑΤΙΑΝΟΣ ΕΝ ΡΩΜΗι.

Οὕτω φθαρέντος Οὐάλεντος ἀθλίως
ὁ Γρατιανὸς σὺν κασιγνήτῳ φίλῳ
πάσης κατῆρξαν ἑσπέρας καὶ τῆς ἕω.
κράτος μὲν εἶχε Γρατιανὸς πατρόθεν·
ἡ δ' αὖ στρατιὰ τοῦ πατρὸς τεθνηκότος,

GRATIANUS ROMAE.

Sic pereunte misere Valente,
cepit Gratianus cum germano fratre
eoi orbis occiduique imperium.
Gratianus quidem a patre rex fuerat dictus;
verumtamen exercitus, defuncto patre,

(1) Intellige tres vel quatuor annos post Valentiniani fratris obitum.

quoniam Gratianus funeri non intererat,
Valentinianum iuniorem acclamavit,
admisitque frater regni communionem.
Gratianus porro caesar paternae aemulus
pietatis ac dogmaticae rectitudinis,
Valenti patruo auxilia postulanti,
dum Gothis arma inferret, non submisit;
non oportere auxiliari hostibus Dei dicens.
Tum etiam sacros praesules doctores,
quos Valens ab ovilibus pepulerat
ob orthodoxae fidei pium dogma,
rursus quemque suis ecclesiis reddidit.
Dein Gothis Thraciam adhuc infestantibus,
eiectis incolis facta solitudine,
agris late cunctis pessum datis,
quum hostes nulla comprimi vi iam possent,
Gratianus imperator advocavit
splendidum ex Hispania Theodosium
virum martialem strenuum consiliosum,
pietate autem maxime conspicuum,
quem supremum armorum electum ducem
cum ingenti exercitu ac fortissimo
adversus Gothos barbaros expedivit.
Is autem proelio inito victor fuit,
Gothis vi summa armorum profligatis,
gladioq. propemodum cunctis caesis.
Mox ibi derelicto in castris milite,
ad Gratianum ipsemet nuncius advolat
in Pannonia tunc temporis diversantem,
et de patrata victoria certiorem facit,
summam Gothorum significans occidionem.
Gratianus porro ut daret victoriae praemium,
alioqui id iam existimans prodesse imperio,
imperatorem creat Theodosium
totius orientis, et Macedoniae ac Thraciae;
occidui mundi terris servatis sibi.
Post haec in Galliis degens interficitur
a duce quodam nomine Andragathio,
qui dolo ad caedem eius grassatus est,
postquam sex annis circiter regnaverat;
bonus, imperator piusq. Christi famulus.

καὶ μὴ παρόντος Γρατιανοῦ τῷ μόρῳ,
ἀνεῖπεν Οὐαλεντινιανὸν νέον,
καὶ σύγγονος δέδεκτο τὴν κοινωνίαν·
ζηλῶν βασιλεὺς Γρατιανὸς πατέρα
εἰς εὐσέβειαν ὀρθότητα δογμάτων,
αἰτοῦντι θείῳ τῷ Βάλεντι συμμάχους
οὐκοῦν παρέσχεν ἐξιόντι πρὸς σκύθας,
οὐ συμμαχεῖν δεῖ τοῖς ἐχθροῖς θεοῦ φράσας·
καὶ ποιμένας δ᾽ αὖ ἐνθέους διδασκάλους
πρὸς Οὐάλεντος ποιμνίων ἐξωσμένους
τῆς εὐσεβείας ὀρθοδοξίας χάριν,
αὖθις ἐπανήγαγε ταῖς ἐκκλησίαις·
λεηλατούντων τῶν σκυθῶν δ᾽ ἔτι Θρᾴκην,
καὶ τῆσδε πάντας ἐξερημούντων ὅρους,
καὶ τὰ πέριξ ἅπαντα κατεφθαρκότων,
ἅτ᾽ ἀκαθέκτων τῇ νίκῃ δεδειγμένων,
μετακαλεῖται Γρατιανὸς αὐτάναξ
λαμπρὸν Θεοδόσιον ἐξ Ἱσπανίας,
ἄνδρα ἀρεϊκὸν γεννάδα βουληφόρον,
τῇ δ᾽ εὐσεβείᾳ μᾶλλον ὡραϊσμένον·
ὃν καὶ στρατηγὸν ἀποφήνας ταγμάτων
μετὰ στρατιᾶς ἱκανῆς ῥωμαλέας
κατὰ σκυθῶν πέπομφε τούτων βαρβάρων·
ὃς συμβαλὼν ἥττησε τοὺς ἀντιπάλους
τρεψάμενος σφᾶς ἐν μάχῃ κατὰ κράτος,
καὶ πάντας ἄρδην παραδοὺς μιαροῦ ξίφει·
ἐκεῖ τ᾽ ἀφεικὼς στρατιὰν αὐτοῦ μένειν,
πρὸς Γρατιανὸν αὐτεπάγγελτος φθάσας
ἐν Παννονίᾳ διάγοντα τῷ τότε,
αὐτὸς βασιλεῖ μηνύει τὰ τῆς νίκης,
καὶ τὸν σκυθῶν ὄλεθρον ἅμα καὶ φόνον·
ὅθεν βασιλεὺς εἰς ἀμοιβὴν τῆς νίκης,
ἄλλως τε κρίνας ἐμπρέπειν κραταρχίᾳ;
στέφει Θεοδόσιον εἰς βασιλέα
πάσης ἑῴας, Μακεδονίας, Θρᾴκης·
αὐτῷ δ᾽ ἀποκλήρωσιν ἑσπέρας τόπους·
ἐν Γαλλίαις οὖν διάγων ἀνῃρέθη
ὑπὸ στρατηγοῦ κλῆσιν Ἀνδραγαθίου
δόλῳ κατασπράξαντος αὐτοῦ τὸν φόνον·
ἓξ που κατασχὼν τὴν βασιλείαν χρόνους,
κράτωρ ἀγαθὸς εὐσεβὴς Χριστοῦ λάτρις.

ΟΥΑΛΕΝΤΙΑΝΟΣ ΝΕΟΣ ΕΝ ΡΩΜΗΙ (1).

Τούτε θανόντος, ἦρξεν ἑσπέρας ὅλης
Οὐαλεντιανὸς σύγγονος νέος,
ὅστις γε μητρὸς ὑπαχθεὶς συμβουλίαις
Ἰουστίνης δέδεκτο δόγματ' Ἀρείου·
κἀντεῦθεν ἀπέστεργεν εὐσεβῶν στίφος·
καί τινος αὐτῷ Μαξίμου στρατηγέτου
ἐπαρθέντος καὶ νικήσαντος μάχῃ,
πρέσβεις πέμψας πρὸς κρατάρχην τῆς ἕω
λαμπρὸν Θεοδόσιον αἰτεῖ συμμάχους·
ὁ δ' αὖ ἐδόκει μὴ τεθαυμάζειν λέγων
εἰ δοῦλος ὢν Μάξιμος ὤφθη δεσπότου
ὑπέρτερός τε καὶ νικητὴς ἐν μάχαις,
σοῦ δεσπότην σὸν ἀθετηκότος, κράτορ,
καὶ τόνδε δούλοις συγκατηριθμηκότος,
σύμμορφον ὄντα τῷ πατρὶ κατ' οὐσίαν·
ὅμως στρατεύσας κατὰ Μαξίμου κράτωρ
ἀνεῖλε τοῦτον καταχρατήσας μάχῃ·
καὶ τὴν κεφαλὴν δ' Ἀνδραγαθίου τέμνει,
ἐκπράξας αὐτὸν εὐθύνας τὰς τοῦ φόνου·
ταῦτα διαθεὶς βασιλεὺς ὑποστρέφει·
Οὐαλεντιανῷ δ' αὖ νεωτέρῳ
ἀντῆρεν Εὐγένιος εἷς τῶν ἐν τέλει·
καὶ γνοὺς τὸ δρᾶμα, συσχεθεὶς ἄναξ φόβῳ
ἑαυτὸν ἐξήγαγεν ἀγχόνῃ βίου.

ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ Ο ΜΕΓΑΣ ΕΤ. ΙΖ. ΟΙ ΔΕ ΕΤ. ΙϚ.

Ἀλλὰ Θεοδόσιος αὐσονοκράτωρ
ἐπιστρατεύσας καὶ πάλιν Εὐγενίῳ
κτείνει τε τοῦτον ἐκνικήσας ἐν μάχῃ·
καὶ βασιλεύει καὶ μερῶν τῆς ἑσπέρας·
πρὶν ἢ δ' ὑπάρξαι τάδε κατορθωμάτων,
ἄναξ ἐπιστὰς Θεσσαλονίκῃ πόλει
δήμου στασιάσαντος ἐξ ἀταξίας
ὑβρίζεται μὲν οὗτος ἀστοῖς ἀνέδην
φονεύεται δ' ὕπαρχος ἐν τῇ συγχύσει·
ταῦτ' οὐκ ἐνεγκὼν ὁ κρατάρχης ἡμέρως
στράτευμ' ἀφῆκε τῷ λεῷ ξιφηφόρον,
καὶ τόνδε κατέσφαξαν ἀφειδῶς ξίφει,
ὡς ἐκ τοσούτου μυριαρίθμου στίφους

VALENTINIANUS IUNIOR ROMAE.

Gratiano extincto partes hesperias cunctas
Valentinianus iunior frater rexit,
qui quidem matris deceptus suasionibus
Iustinae Arii dogmata amplexus est;
atque hinc piorum turbam amare desiit.
Tum rebellante quodam duce Maximo,
et iam victoria contra se potito,
legatis missis ad orientis principem
inclytum Theodosium suppetias petit.
Ille respondit se mirari minime
si servus Maximus, domino superior fuerit,
ipsumque nuper acie profligaverit;
quoniam tu, Dominum tuum, Caesar,
exauctoratum famulis connumeras,
qui quidem Patri similis substantia est.
Attamen sumptis armis imperator
Maximum proelio superatum occidit:
tum etiam Andragathio caput abstulit,
poenas ab eo repetens caedis regiae.
His gestis domum revertitur imperator.
Sed ecce rursus Valentiniano iuveni
aulicus vir Eugenius adversarius oritur;
qua re comperta, metu correptus Caesar
ipse sibi laqueo vitam interrupit.

THEODOSIUS MAGNUS AN. XVII. VEL XVI.

At Theodosius Ausonum imperator
Eugenium quoque captis armis persequens
proelio divictum vita spoliat,
regnoque suo partes hesperias addit.
Ante quam tamen haec praeclare gereret,
Thessalonica in urbe Caesar versans,
orto per populum motu seditioso,
contumeliosis civium dictis ipse laeditur,
atque in tumultu caeditur praefectus.
Haec imperator haud moderate ferens
armatos contra populum immisit milites,
qui hunc crudeliter gladiis conciderunt,
ita ut in tanto congregato numero

(1) Annos regni tum Gratiani tum Valentiniani iunioris omittit chronologus; verumtamen scimus Gratianum regnavisse post patrem annis IX. Valentinianum XVII.

quindecim millia hominum perierint.
Sed Mediolani Ambrosius episcopus
Caesarem admonens tanti commissi sceleris,
ad paenitentiam facti flexit animum:
tum lacrymanti rei perpetratae causa
idoneum culpae rite remedium contulit.
Rex hic pro sua pietate et orthodoxia
praesulum venerandum coetum congregans,
centum videlicet et quinquaginta patrum,
adversus Macedonium qui divinum
Spiritum debito honore non colebat,
secundam celebrandam curavit synodum:
quae Patri ac Verbo Spiritum definiens
honore parem, natura eâdem praeditum,
devovit Macedonium iustis diris
atque cum catholica pepulit ecclesia.
Byzantii vero praesulem delegit
Nectarium lingua et moribus eluentem,
cristicolam quidem, sed nondum initiatum:
baptizant ergo simul socrantque episcopum;
quoniam Gregorius pater theologus
hac semet sede sponte deposuerat.
Rex hic hesperiis moritur in terris
duobus partiens liberis imperium;
Onorio quidem partes occidnas tribuens,
orienti Arcadium dominum praeficiens;
postquam regnaverat annis septemdecim
cum quinque mensibus feliciter et pie:
vir sane egregius et princeps victoriosus,
sed pietate tamen multo rutilantior.
Is et columnam posuit in Bovis loco,
gestantem regis statuam auctoris sui.

ARCADIUS AN. XIV.

Arcadius igitur heres imperii factus
male illud coepit gerere et socorditer:
hebes enim versatilis et remissus,
et cuncta uxoris sinens in arbitrio,
turbarum fluctibus obruit ecclesiom,
sibique iustam peperit infamiom.
Namq·ubi Nectarius explevit vitoe cursum,
aurea lingua praeditus Iohannes
Antiochia deducitur ad urbe regiam
ut huius sacram scilicet ornet sedem.

πρὸς πέντε θανῶν χιλιοστύας δέκα.
ἀλλ' Ἀμβρόσιος Μεδιολάνων θύτης
τόνδ' ἀναμνήσας τοῦ πεπραγμένου μύσους,
ἤγαγεν αὐτὸν εἰς συναίσθησιν πάθους·
καὶ πρόσφορα κίρνησιν αὐτῷ φαρμάκων
δακρυῤῥοοῦντι τῶν πεπραγμένων χάριν.
οὗτος βασιλεὺς εὐσεβὴς ὢν ὀρθόφρων
σύστημα σεπτὸν ἀρχιθυτῶν ἀλίσας
πρὸς τοῖς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα πάλιν
πνευματομάχου κατὰ Μακεδονίου,
πνεῦμα τὸ θεῖον οὐ σέβοντος ὡς θέμις,
συνεκρότησε σύνοδον τὴν δευτέραν·
ἣ συμφυὲς τὸ πνεῦμα πατρὶ καὶ λόγῳ
ἄριστα τρανώσασα σύνθρονον θ' ἅμα,
βάλλει Μακεδόνιον ἀραῖς ἐνδίκοις
τῆς καθολικῆς ἐκτεμοῦσ' ἐκκλησίας·
καὶ ποιμενάρχην δεικνύει Βυζαντίδος
Νεκτάριον λάμποντα βίῳ καὶ λόγῳ,
χριστώνυμον μὲν ἀμύητον δ' εἰσέτι,
ὃν ἅμα βαπτίζουσι χρίουσι θύτην·
τοῦ Γρηγορίου καὶ πατρὸς θεηγόρου
αὐθαιρέτως γε τὸν θρόνον λελοιπότος·
οὗτος τελευτᾷ βασιλεὺς καθ' ἑσπέραν
υἱοῖς μερίσας τοῖς δυσὶ κρατaρχίαν,
Ὀνωρίῳ μὲν δοὺς κατάρχειν ἑσπέρας,
Ἀρκαδίῳ δ' αὖ τῶν μερῶν τῶν τῆς ἕω,
βεβασιλευκὼς ἑπτὰ καὶ δέκα χρόνους
πρὸς πέντε μησὶν εὐσεβῶς εὐδαιμόνως·
ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ κράτωρ νικηφόρος,
τῇ δ' εὐσεβείᾳ μᾶλλον ὡραϊσμένος·
καὶ κίον' οὗτος ἐν βοὸς τεύχει τόπῳ (1)·
ἀνδρείκελον φέροντα τοῦ δειμαμένου.

ΑΡΚΑΔΙΟΣ ΕΤ. ΙΔ.

Ἀρκάδιος γοῦν παραλαβὼν τὸ κράτος
διεῖπεν αὐτὸ πλημμελῶς καὶ ῥᾳθύμως·
νωθὴς γὰρ εὐρίπιστος ὢν ἀνειμένος
καὶ τῇ γυναικὶ πάντα προσπεπεισμένος,
τρικυμίας ἔπλησε τὴν ἐκκλησίαν,
αὑτῷ δὲ μέμψεις προὐξένησεν ἐνδίκους·
Νεκταρίου γὰρ ἐκμετρήσαντος βίον,
ἀχθεὶς ὁ χρυσοῦς ἐν λόγοις Ἰωάννης
ἐξ Ἀντιόχου πρὸς πόλιν βασιλίδα,
ταύτης καθωραΐσει τὸν σεμνὸν θρόνον·

(1) Locus nimirum urbis byzantinae dictus *Bos*. Zonar. XIV. 14.

ἀλλ' ἡ βασιλὶς ἀδίκως Εὐδοξία
μυσάξασα φεῦ ἐνθέου παῤῥησίας
τὸν τῶν ψυχῶν ἥλιον ἄξιον θρόνου
τίθησιν ἐξόριστον ἐν τοῖς Κομάνοις·
ἀντικαθιστᾷ δ' Ἀρσάκιον πρεσβύτην·
οὗτος βασιλεὺς ἐν Θράκῃ κτίζει πόλιν,
ἣν Ἀρκαδίου πάντες ὁρῶσι πόλιν·
καὶ κίον' ἀνήγειρεν ἐν Ξηρολόφῳ
στήλην ἄνω φέροντα τοῦ δειμαμένου·
ἔτη δὲ πρὸς τέσσαρσι κατάρξας δέκα,
ὢν εὐσεβής τις ὀρθοδοξίας φίλος,
ἄλλως δὲ κοῦφος εὐάγωγος τὸν τρόπον,
νοσήσας ἐξέλιπε τὸν φθαρτὸν βίον·

Sed enim augusta contra fas Eudoxia
sacros heu perosa liberos sermones
solem animarum, sedis apprime dignum,
exulem pellit usque ad urbem Comana;
ipsique Arsacium natu iam grandem sufficit.
Rex hic in Thracia condidit urbem illam,
quam Arcadiopolim vulgo vocatam cernimus.
Idem columnam posuit in Xerolopho,
conditoris sui signo superposito.
Regnavit autem decem cum quatuor annis;
vir sane pius atque orthodoxiae tenax;
levis alioqui ingenii, varius ac mutabilis;
implicitus in morbum vita mortali cessit.

ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ Ο ΝΕΟΣ ΕΤ. ΜΒ.

Καὶ παῖς Θεοδόσιος ἄρχει τοῦ κράτους
πραῢς, προσηνὴς, εὐσεβὴς, χρηστὸς τρόπους,
ἐγκύκλιον παίδευσιν εὖ ἠσκημένος,
μαθημάτων ἴδρις τε τῆς τετρακτύος,
καὶ πλαστικῆς αὖ καὶ γραφικῆς τεχνίτης,
καὶ τοξότης ἄριστος, ἱππεύειν ἄκρος,
ἡδὺς, χαρίεις, εὐμενὴς ὑπηκόοις,
ὑπέρμαχος κράτιστος ὀρθοδοξίας·
πλὴν μαλθακῶς διεῖπε τὴν αὐταρχίαν,
κοινῶν μεταχείρισιν εὐνούχοις νέμων,
Ἀντιόχῳ πρῶτα μὲν, εἶτ' Ἀμαντίῳ,
πρὸς τοῖσδε δούλῳ χρυσίου Χρυσαφίῳ·
νέος κομιδῇ τυγχάνων ἡλικίαν,
ἀνήγεθ' οὗτος πρὸς κασιγνήτου φίλης
τῆς πάντ' ἀρίστης ὀλβίας Πουλχερίας·
ἐπίτροπον σχὼν ἐν γραφαῖς φυτοσπόρου
Ἰσδιγέρδην ἄνακτα Περσίδος τότε,
οὗ τῷ δέει πᾶς εὐνόει τῷ δεσπότῃ
καὶ φευκτέαν ἥγητο τὴν τυραννίδα·
ἠγάγεθ' οὗτος ἐξ Ἀθηνῶν καὶ κόρην
κοινωνὸν ἅμα τοῦ κράτους καὶ τοῦ λέχους
λάμπουσαν ὥρᾳ καὶ μαθημάτων τέχνῃ
παῖδα Λεοντίου τινὸς φιλοσόφου,
τὴν εὐδόκιμον ἐν λόγοις Εὐδοκίαν,
ἧς τὴν σοφίαν δεικνύουσιν ἐν λόγοις
ὁμηρόκεντρα τὰ σοφῶς γεγραμμένα·
αὕτη Σιὼν ἔβλεψε τὴν θεοῦ πόλιν
εἰς προσκύνησιν τῶν σεβασμίων τόπων,
πλοῦτον βαθὺν φέρουσα χρυσὸν μυρίον,

THEODOSIUS IUNIOR AN. XLII.

Excipit imperium filius Theodosius,
mitis, affabilis, pius commodisque moribus,
encyclica doctrina recte exercitus,
disciplinarum quatuor bene sciens,
plastices insuper atque picturae gnarus,
iaculo bonus, equum frenare valens,
blandus, gratiosus, subditis benivolus,
atque orthodoxiae optimus defensor.
Imperium tamen administravit molliter,
permisso eunuchis rei publicae arbitrio,
Antiocho primo, deinde Amantio,
insuper et auri famulo Chrysaphio.
Atque is tenerae adhuc aetatis puer
germanam sororem vitae ducem habuit
omni virtute praeditam Pulcheriam:
tutorem vero supremis patris tabulis
Isdigerdem Persidis tunc regem;
a quo dum timent, enneti parebant domino,
nec tyrannidem quisquam adfectavit.
Idem Atheuis puellam accersivit,
imperii pariter ut esset torique socia,
forma praestantem doctrinisque exercitam
Leontio quodam genitam philosopho
claram in doctis litteris Eudociam,
cuius sapientiam in pangendis libris
homerocentra docent eate scripta.
Eadem invisit Sionem urbem Dei
praesens veneratura sanctos locos
magnas opes ferens, vim auri innumeram

qua excitavit templa Christo domino.	οἵσπερ ναοὺς ἤγειρε Χριστῷ δεσπότῃ·
Deinde ad urbem regiam pedem retulit.	μετὰ δ' ἐπανέζευξεν αὖθις εἰς πόλιν·
Postremum fatis functo rege coniuge	εἶτα θανόντος αὐτάνακτος συζύγου
rursus ad sancta semet recipiens loca ,	πάλιν ὑποστρέψασα πρὸς θείους τόπους ,
mortalem ibidem conclusit periodum ,	ἐκεῖ τελευτῇ καταλιποῦσα βίον ,
bene acta vita , atque uti Deo placet.	ζήσασα καλῶς καὶ καθὰ θεῷ φίλον·
Iamvero Arsacio vivis excedente ,	Ἀρσακίου δὲ τὸν βίον λελοιπότος ,
ecclesiae sedem occupavit Atticus ,	ἐκκλησίας ἔσχηκεν Ἀττικὸς θρόνον .
moribus ac litteris abunde instructus ,	κοσμούμενος βίῳ τε καὶ λόγῳ πλέον·
qui iudaeum quemdam morbo fractum ,	ὃς ἰουδαῖον παράλυτον ἐκ νόσου
credentem initiat baptizansque rite ,	πεισθέντα μυεῖ , καὶ βαπτίσας ὡς δέον
lavacri munere sanum educit aquis.	λουτροῦ χάριτος ὑγιῆ τόνδ' ἀνάγει·
Deinde vitam concludente Attico ,	τέλει δ' Ἀττικοῦ τοῦ βίου χρησαμένου ,
episcopatum occupat Sisinius :	Σισίνιος ἔλαβε τὴν προεδρίαν·
quo vitae pariter usuram relinquente ,	οὗπερ τὸ βιοῦν ἐκμετρήσαντος μόρῳ ,
Nestorius quidam pro eo sedem occupat ,	Νέστοριός τις ἀντικαθέστη θρόνῳ ,
nefastus , impius , mala mente praeditos ,	ἀνὴρ ἀποφρὰς δυσσεβὴς καὶ κακόφρων ,
qui novum dogma stulte garriebat	ὃς δογματίζων ἀπεφλυάρει μάτην
Christum videlicet merum esse hominem;	ἄνθρωπον εἶναι τὸν Χριστὸν μόνον ,
matrem vero virginem Mariam	καὶ μητράνανδρον παρθένον τὴν Μαρίαν
non tam Deiparam esse quam Christiparam.	οὐ θεοτόκον μᾶλλον ἢ χριστοτόκον·
Quare imperator electorum a Deo patrum	ὅθεν βασιλεὺς πατέρων θεοκρίτων
concilium venerandum pie congregans,	σύστημα σεπτὸν εὐσεβῶς συναλίσας ,
quorum alexandrinus dux erat Cyrillus,	ὧν Κύριλλος ἔξαρχος Ἀλεξανδρείας ,
Nestorium deposuit hominicolam.	καθεῖλε Νεστόριον ἀνθρωπολάτρην·
Deinde praefuit Dei ecclesiae	Εἶτα προέστη τῆς θεοῦ ἐκκλησίας
Maximianus orthodoxus praesul:	Μαξιμιανὸς προστάτης ὀρθοφρονῶν·
quo vita functo , merito in sede sistitur	οὗπερ θανόντος ἐνθρονίζεται θρόνῳ
Proclus Cyzici archiepiscopus ,	Πρόκλος Κυζίκου ποιμενάρχης ἀξίως ,
pastor egregius , largitor flexanimus ,	ποιμὴν ἀγαθὸς καὶ νομεὺς ψυχοτρόπος ,
patris Chrysostomi dilectus discipulus ;	μύστης φιλητὸς τοῦ πατρὸς Χρυσοστόμου ,
sub quo , romani imperatoris iussu	ἐφ' οὗ κελεύσει τοῦ κρατοῦντος αὐσόνων ,
ad urbem regiam corpus illius rediit.	τούτου τὸ σῶμα πρὸς πόλιν ἤχθη κράτους·
Proclus hic sanctus dum pompam supplicem	τούτου λιτανεύοντος ἱεροῦ Πρόκλου
populo innumero comitante duceret ;	μετά γε λαοῦ συνδρομῆς ἀπειρίτου ,
abreptus subito puer in aërem ,	ἁρπαγὲν ἄφνω παιδίον πρὸς ἀέρα
cunctis ingenti stupore percitis ,	πάντων βλεπόντων καὶ λίαν θαμβουμένων ,
post intervallum modicum denuo redux	μεθ' ἱκανὴν ὥραν δὲ καταχθὲν πάλιν
dixit divinitus sibi revelatum	ἔφη μυηθῆναι γε μὴ προστιθέναι
ne CRUCIFIXUS vox adderetur	τὸ ΣΤΑΥΡΩΘΕΙΣ πρὸς ῥῆμα ΔΙ' ΗΜΑΣ λέγειν
voci PRO NOBIS trisagio in hymno.	τῷ τρισαγίῳ καὶ σεβασμίῳ ὕμνῳ·
Proclo ad supernos evolante spiritus	τούτου μεταστάντος δὲ πρὸς θείους νόας ,
episcopatum urbis Constantini	προεδρίαν εἴληφε τῆς Κωνσταντίνου
merito obtinuit vir senex Flavianus	πρεσβύτερός τις Φλαβιανὸς ἀξίως ,
sanorum ecclesiae dogmatum defensor :	πρόμαχος ὀρθῶν δογμάτων ἐκκλησίας·

οὗπερ θανόντος λακτίσει Διοσκόρου
ἐν λῃστρικῇ τε καὶ φονικῇ συνόδῳ
θύτης Ἀνατόλιος Ἀλεξανδρείας
εἴληφε θῶκον ἱερὸν βασιλίδος.
Οὗτος Θεοδόσιος αὐσονοκράτωρ
καὶ τεῖχος ἀνήγειρε χερσαῖον πόλει
ἐκ τῶν βλαχερνῶν εἰς πύλας τὰς χρυσέας,
τοὔργον περάνας ἐν δυσὶ μησὶ μόνοις,
σπουδῇ γ᾽ ὑπάρχου καὶ συνεργείᾳ Κύρου·
ἀγαμένου δήμου δὲ Κῦρον τοῦ τάχους,
καὶ ταῦτ᾽ ἀνακράξαντος ἐν παῤῥησίᾳ,
Κωνσταντῖνος μὲν ἔκτισε πρὶν τὴν πόλιν,
ἀνακαινοῖ Κῦρος δὲ νῦν, προθυμίᾳ
ταύτῃ φθονηθεὶς ἐκπεσὼν τῆς ἀξίας,
ἐκκλησίας πρόεδρος ὤφθη σμυρναίων·
καὶ Πουλχερίαν οὗτος ἀδελφὴν φίλην
τῶν βασιλείων ἐκβαλὼν ὡς οὐκ ἔδει
ταῖς ὑποθήκαις βασκάνου Χρυσαφίου
ἐν ἑβδόμῳ τίθησιν ἐγκεκλεισμένην,
φροντίδος αὐτὴν καταπαύσας πραγμάτων·
μόλις δὲ συνεὶς τὸν φθόνον Χρυσαφίου,
αὐτὸν μὲν ἐξόριστον ἐνδίκως ἔδρα,
τὴν σύγγονον δὲ προσλαβὼν αὖθις νέμει
φροντίδα κοινῶν τῇδε πραγμάτων ὅλων·
οὗτος νοσήσας ἐξέλιπε τὸν βίον
ὥς φασι βιοὺς πεντήκοντά που χρόνους,
καθ᾽ οὓς σχεδὸν κατῆρχε τοὺς χρόνους ὅλους.

quem ubi occidit calcibus Dioscorus
latrocinali in synodo cruenta,
Alexandriae praesul Anatolius
sacram urbis regiae sedem occupavit.
Porro imperator iste Theodosius
terrestrem quoque murum excitavit
urbis a Blachernis ad portam auream,
opus id menses intra duos peragens
sedulitate et studio praefecti Cyri;
cuius demirans celeritatem populus
atque his audacter verbis succlamans,
Constantinus urbem quondam condidit,
Cyrus nunc renovat; huius causa plausus
vocatus in invidiam gradu excidit,
smyrnaeaeque praesul datus est ecclesiae.
Idem Theodosius Pulcheriam sororem
regali pulsam contra fas palatio,
consiliis scilicet invidi Chrysaphii,
iussit ut clausa viveret in Hebdomo
omni rei publicae negotio abstinens.
Vix demum invidia cognita Chrysaphii,
hunc quidem merito trusit in exilium;
germanae vero revocatae denuo
summam reip. regendam tradidit.
Ipse occupatus morbo vitam clausit,
annos, ut aiunt, natus quinquaginta,
quos omnes ferme exegit in imperio.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΣ ΕΤ. ϛ Ϛ.

Σκῆπτρα μεταβαίνει δὲ πρὸς Πουλχερίαν
τρόποις ἀγαθοῖς καὶ σεμνοῖς κοσμουμένην,
τῇ δ᾽ εὐσεβείᾳ παρθενίᾳ τ᾽ αὖ πλέον·
ἣ Μαρκιανὸν ἄνδρα χρηστὸν τοὺς τρόπους
σεμνὸν γεραρὸν σώφρονα καὶ πρεσβύτην
ἐκ στρατιωτῶν προσκαλεῖται ταχέως,
καὶ τῷδε δηλοῖ τοῦ κρατάρχου τὸν μόρον·
καὶ φησίν, εἴ μοι πίστιν ἀσφαλῆ νέμεις
ὡς παρθενίας τῆς ἐμῆς εἴης φύλαξ,
ἥνπερ καθιέρωσα Χριστῷ νυμφίῳ,
στέψω βασιλέα σε τῆς Ῥωμαΐδος·
τοῦ δ᾽ αὖ κατανεύσαντος ἀσφαλῶς τόδε,
μετακαλεῖται βασιλὶς ἀρχιθύτην,
τοὺς ἐν τέλει, σύγκλητον, ἄλλο τε στίφος,

MARCIANUS AN. VI. MENS. VI.

Devenit autem sceptrum ad Pulcheriam
moribus egregiis inclytam, sed magis
pietate in Deum atque virginitate:
quae Marcianum bene moratum virum
pudicum venerabilem et iam senem
e castris festinanter ad se vocat,
et de Caesaris obitu certiorem facit.
Tum ait, si quidem mihi spondes firmiter,
te castitatis meae custodem fore,
quam ego Christo iamdiu consecravi,
romani imperii dominum te faciam.
Qui postquam firmam eius rei fidem obtulit,
regina protinus vocat archipraesulem,
magistratus, senatum, aliamque turbam,

Marcianumque redimit regni stemmate,
et Romanorum imperatorem ereat.
Huic olim captivo ac dormienti
cum aliis concaptivis in septo medio,
aestivas sole iaculante flammas,
advolans aquila umbram praebuit:
quod eum rescisset dominus huius regulus,
eumdem liberum remisit in patriam.
Duo quoque fratres idem prodigium
perspicue viderunt in Lyciae provincia,
hique Marciano praedixere imperium.
Sic iste accepit omina potentiae.
Pulcheria vero publicam rem gerens,
et cum Marciano regni curas partiens,
mirum in Blachernis atque incomparabile
Virgini matri templum excitavit.
Cumque Romae veteris papa esset Leo
novae autem praesul Anatolius,
quod Dioscorus patrarant atque Eutyches
contra magnum Flavianum grave facinus
ne impune foret, imperator est rogatus.
Iamque synodum contrahi iussum fuerat
Marciani edicto ac Pulcheriae
philochristorum regum piorum.
Ergo in urbe Chalcedone divinitus
theologi partes convenerunt
sexcenti cum triginta congregati.
His praeerat Romae senioris Leo
novaeque Anatolius dius episcopus
et Iuvenalis Sionis sanctae:
hique damnarunt merito Dioscorum
cum Eutychete contra suum nomen misero,
qui nequaquam duas Christi naturas,
sed unam impie falsoque adfirmabant.
Tum quia contraria impudenter factio
calumniabatur temere orthodoxos
quasi Nestorii vitio laborantes,
dum hanc de Christo sententiam gererent,
quod duas naturas perfectas inconfusas,
sub una iunctas tamen persona habuerit;
ab orthodoxis haereticisque simul
duplex confessio protinus conscribitur;
hasque sigillo probe communitas
in arca claudunt sacrarum reliquiarum
puellae martyris beatae Euphemiae.

καὶ Μαρκιανὸν ταινιοῖ κράτους στέφει,
καὶ κράτορα δείκνυσι τῆς Ῥωμαΐδος·
τῷ δ' αἰχμαλώτῳ χρηματίσαντι πάλαι
θέρους ὑπνοῦντι πρὸς φλόγα τὴν ἡλίου,
σὺν αἰχμαλώτοις πλείοσιν ἕρκους μέσον,
ἐπικαταπτὰς ἀετὸς σκιὰν ἕδρα·
ὃ γνοὺς ἐθνάρχης τῶνδ' ὁ κατέχων πέδαις
ἀφῆκεν αὐτὸν πρὸς πατρίδ' ἀπιέναι·
τοῦτ' αὐτὸ πάλιν καὶ δυάς τις συγγόνων
κατεῖδε σαφῶς ἐν θέματι Λυκίας,
ἃ καὶ προεῖπε τῷδε τὴν κρατεαρχίαν·
οὕτω προαφώριστο τῷδε τὸ κράτος.
Πουλχερία δὲ φροντίζουσα πραγμάτων
καὶ συνδιαφέρουσα τὴν κρατεαρχίαν,
τὸν ἐν Βλαχέρναις ἀπαράμιλλον ξένον
νεὼν ἀνίστη μητροπαρθένῳ κόρῃ·
πρεσβυτέρας Ῥώμης δὲ Λέοντος πάπα
καὶ ποιμενάρχου δ' Ἀνατολίου νέας
τὰ πρὸς Διοσκόρου τε τοῦ τ' Εὐτυχέος
πραχθέντα δεινῶς Φλαβιανὸν εἰς μέγαν
μὴ παραδραμεῖν ἄνακτ' ἐξαιτουμένων,
ἤδη γενέσθαι σύνοδος τέτακτό γε
Μαρκιανοῦ δόγματι καὶ Πουλχερίας
τῶν φιλοχρίστων εὐσεβῶν βασιλέων·
συνῆλθον οὐκοῦν ἐν Χαλκηδόνι πόλει
ἑξακόσιοι πατέρες θεηγόροι
πρὸς τριάκοντα συναχθέντες ἐνθέως,
ὧν ἦρχε Ῥώμης τῆς παλαιτέρας Λέων,
νέας τ' Ἀνατόλιος ἔνθεος θύτης,
καὶ Ἰουβενάλιος Σιὼν ἁγίας·
οἳ δὴ καθεῖλον Διόσκορον ἐνδίκως
σὺν Εὐτυχεῖ τε δυστυχεῖ τρισαθλίῳ
ἐπὶ Χριστοῦ λέγοντας οὐ διπλᾶς φύσεις,
μίαν δὲ μᾶλλον δυσσεβῶς κακοφρόνως·
ἐπεὶ δ' ἀναιδῶς ὑπεναντίων στῖφος
ὀρθόφρονας ἦν ἐνδιαβάλλον μάτην,
ὡς Νεστορίου τὸ λύμην δεδεγμένους,
ἐν τῷ φρονεῖν τε καὶ λέγειν Χριστὸν φέρειν
διπλᾶς τελείας τὰς φύσεις ἀσυγχύτως
ἑνωμένας αὖ ἐν μιᾷ γ' ὑποστάσει·
πρὸς ὀρθοδόξων, δυσσεβῶν, τόμοι δύο
γεγράφαται δὴ σὺν ὅλῃ προθυμίᾳ,
καὶ τούσδε καλῶς σφραγίσαντες, ὡς δέον,
ἐν λάρνακι κλείουσι σεπτῶν λειψάνων
Εὐφημίας μάρτυρος ὀλβίας κόρης·

εἶτα μετ᾽ εὐχὰς ἡμέραν τε τὴν τρίτην
πάντων παρόντων ἀνοιγμένου τάφου,
καὶ τοῦ κρατοῦντος συμπαρόντος πατράσιν,
ὢ θαυμασίων Χριστέ μου τεραστίων,
τῶν δυσσεβῶν μὲν αἱρετικῶν ὁ τόμος
ἐν τοῖς ποσὶ μάρτυρος ἦν ἐῤῥιμμένος,
τὸν δ᾽ αὖ γε λοιπὸν ὀρθοδοξούντων μέρος
κατεῖχε χερσὶν ἀσφαλῶς ταῖς ἰδίαις,
καὶ τῷ κρατοῦντι ϗ πατριάρχῃ νέμει
τὴν δεξιὰν τείνασα πρὸς σφᾶς ὢ τέρας.
Μετὰ δὲ ταῦτα βασιλὶς Πουλχερία
γῆθεν μετέστη πρὸς μονὰς οὐρανίας
ζήσασα καλῶς εὐσεβῶς ὀρθοφρόνως
Χριστὸν θεραπεύσασα καλὸν νυμφίον
ἐν παρθενίᾳ ϗ καλῶν εὐποιίαις,
καὶ τῆςδε φαιδρὰν ἀνάψασα λαμπάδα.
Εἶτα τελευτᾷ Μαρκιανὸς τὸν βίον
ζήσας ἐπὶ μήκιστον ἄναξ χαρίεις
γνώμην ἀγαθὸς ἱλαρὸς πρᾶος φύσει·
οὗτος θεοπρόβλητος ἐμπρέπων κράτει
ἓξ που κατασχὼν τὴν βασιλείαν χρόνους·
ὃς γνωματεύων μὴ κινεῖν βασιλέα
ἔφασκε δεῖν ὅπλα τε ϗ μάχην ὅλως
ἂν ᾖ δυνατὸν ἤρεμον βιοῦν βίον.

Post tertiam diem precibus peractis
cunctis sepulcrum paten: circumsistentibus,
adstante etiam cum patribus Caesare,
(o admirandum, Christe mi, prodigium!)
haereticorum quidem scelestorum liber
martyris proiectus ad pedes fuerat;
at orthodoxae fidei libellum
diva suis manibus firmiter tenebat;
idque regnanti ac patriarchae obtulit
dextra ad eos protensa.(proh miraculum!)
Post haec regina derelictis terris
sedes ad caelestes transiit Pulcheria,
quae bene orthodoxaque cum pietate
vixerat, sponso optimo subserviens
Christo in castimonia rectisque operibus,
splendidam virginitatis alens lampadem.
Dein Marcianus quoque mortem obiit
senex iam grandaevus, rex amabilis,
bona mens, mitis animus et iucundus.
Hic auspicio divino ad imperium venerat,
eoque sex ferme annis perfruitus est.
Huius sententia fuit, ut rex numquam
commotis armis bellum lacesseret,
si quidem posset vitam quietam degere.

ΛΕΩΝ Ο ΜΕΓΑΣ ΗΤΟΙ Ο ΜΑΚΕΛΛΗΣ ΕΤ. ΙΗ.

Τούτου θανόντος ϗ μεταστάντος βίου,
εὐθὺς παρῆλθεν εἰς βασίλειον κράτος
κλῆσιν Λέων τις ϗ μακέλλης τοὐπίκλην,
ἀνὴρ ἀγαθὸς ἀρετῶν πεπλησμένος,
μάλιστα φιλοίκτῳ δὲ κατηυγασμένος,
κράτωρ ἀριστεὺς ϗ μαχητὰς γεννάδας,
ἐχθρῶν κλονῶν φάλαγγας ὥσπερ τις λέων·
σπορὰν γένους ἄνωθεν ἕλκων ἐκ Θράκης
ἢ ϗ δακῶν ὥς φασι τινὲς ἐκ γένους,
ὑπέρμαχος κράτιστος ὀρθοδοξίας,
καὶ δαψιλὴς τις ἀπόρων χορηγέτης·
εἰώθει οὕτως γνωματεύειν καὶ λέγειν
ὡς ἥλιος πέφυκε θερμαίνειν ὅλους
οἷς ἂν ἐπαφῇ τὰς φαεινὰς ἀκτίνας,
τὸν αὐτὸν οἶμαι δεῖν βασιλέα τρόπον
οἷς ἂν ἐπιβλέψειεν ἀνθρώπων γένους,
σφᾶς ἀξιοῦν οἴκτου τε φιλοδωρίας·

LEO MAGNUS COGNOMENTO MACELLES AN. XVIII.

Marciano vitam deserente, ut diximus,
statim pervenit ad potestatem regiam,
nomine Leo quidam, cognomine Macelles,
vir bonus et virtutibus redundans,
misericordia tamen praecipue ornatus,
princeps egregius et bellator strenuus,
hostium catervas quatiens reapse ut leo.
Hic oriundus e Thracia fuit,
vel Dacorum, ut quidam malunt, genere;
fortissimus defensor orthodoxiae,
egenis largus subsidiorum praebitor.
Huius in ore saepe sententia erat:
sol uti solet omnes calefacere
quibus ostendit splendidum lumen suum;
sic se arbitrari, regem oportere
quoscumque homines intuitu lustraverit,
eos clementia et donis impertiri.

Hic prius quam adiret imperium,
Aspari illustri optimati homini
unum se promiserat ex eius liberis
ad dignitatem caesaris promoturum.
Mox cum imperium obtinuisset Leo,
id beneficium Aspar vi exigebat;
quin impudenter purpuram eius taogens,
haud tibi licet, inquit, rex, fidem fallere
quum sis hac splendida purpura vestitus.
Atqui vicissim nefas est, ut famulo
vim mihi inferri, respondit imperator,
qui principali chlamide praefulgeo.
Huic erat iuncta nuptiis Verina,
quae duas regi filias enixa est:
nomen uni Ariadua, Leontia alteri.
Ex his Ariadna iuncta Zenoni fuit
foeda viro facie et moribus pessimis,
qui seriem ex Isauris ducebat generis.
Leontiam Marcianus accepit coniugem
filius Anthemii qui Romae regnabat.
Leone dominante incendium quoddam
urbe in regali contigit horrificum
a boreali mari usque ad alterum
flammis urbem mediam complectentibus,
splendidasque huius domos populantibus:
atque inter cetera, sacras etiam aedes
quatriduanus ignis inclemens hausit.
Antiochiam vero terrae motus quidam
vehemens supremo prostravit exitio:
multusque pluit regia in urbe pulvis,
molestus animantibus et noxius frugibus.
His malis graviter anxius imperator
urbe relicta, ad suburbanum palatium
saluti suae consulens sedem transtulit.
Sub eo vestis Deiparae virginis
ex urbe Sione ac palaestina terra
ad regiam delata metropolim
apud Blachernas in templo fuit reposita,
quod ipse rex Deiparae excitaverat,
argenteo pretiosoque clausa in loculo:
quare et id templum coepit appellari
arca honorabilis Virginis laudatissimae.
Leone dominante dux egregius,
arte strategica optimus Rusticius,
bello praepositus victoriis claruit.

πρὸ τοῦ κατασχεῖν οὗτος ἀρχὴν καὶ κράτος
Ἄσπαρι δεινῷ τῶν μέγα δυναμένων
ὑπόσχεσιν δέδωκε τῶν παίδων ἕνα
εἰς καισαρικὴν ἀξίαν προβιβάσαι·
ἐπεὶ δ' ἐπιβέβηκε τῆς αὐταρχίας
Ἄσπαρ ἀπῄτει τὴν χάριν μετὰ βίας·
καὶ πορφυρίδος τοῦδ' ἀναιδῶς ἡμμένος
ψευδηγορεῖν ἔφασκεν οὐ χρέων, ἄναξ,
τὸν τήνδε λαμπρὰν πορφυρίδ' ἐνημμένον·
ἀλλ' οὐδὲ πάλιν ἐκβιάζεσθαι δέον
ὥς τινα δοῦλον, ἀντέπηγεν ὁ κράτωρ,
τὸν ἀρχικὴν φοροῦντα λαμπρὰν χλαμύδα·
Οὗτος συνῴκει γαμετῇ τῇ Βηρίνῃ
ἣ δύο τίκτει βασιλεῖ θυγατέρας,
τὴν Ἀριάδνην, δευτέραν Λεοντίαν·
ὧν Ἀριάδνη Ζήνωνι συνεζύγη
ἀνδρὶ δυσειδεῖ καὶ κακίστῳ τοὺς τρόπους,
ἕλκοντι σειρὰν τοῦ γένους ἐξ Ἰσαύρων·
Μαρκιανὸς δ' ἔγημε τὴν Λεοντίαν
Ἀνθεμίου παῖς βασιλεύσαντος Ῥώμης.
Τούτου βασιλεύοντος, ἐν βασιλίδι
πυρκαϊά τις συνέβη φρικαλέα
ἐκ τῆς πρὸς ἄρκτον ἁλμυρᾶς εἰς θατέραν,
πυρὸς διαζώσαντος ἐν μέσῳ πόλιν,
καὶ πυρπολοῦντος τῆσδε λαμπρὰς οἰκίας,
τἆλλα τε πάντα καὶ σεβασμίους δόμους
ἐπὶ τετρακτὺν ἡμερῶν ἀνενδότως·
τὴν δ' Ἀντιόχου καὶ σφοδρὸς γῆς τις κλόνος
συμβὰς κατηρείπωσεν αὐτὴν ἐσχάτως·
ὕσθη σποδὸς δὲ μάλα πολλὴ τῇ πόλει
εἰς ἐμψύχων κάκωσιν εἰς καρπῶν φθίσιν·
ἐκ τοῦδ' ὁ κρατῶν συσχεθεὶς ἀγωνίᾳ
πόλιν λιπών, ὡς ἐν βασιλείοις δόμοις
οὖσι πρὸ τειχῶν, ἀσφαλῶς ἦν διάγων.
Ἐφ' οὗπερ ἐσθὴς μητρανάνδρου παρθένου
ἐκ τῆς Σιὼν τε καὶ Παλαιστίνης τόπου
πρὸς τὴν βασιλεύουσαν ἀχθεῖσα πόλιν
ναῷ τεθησαύριστο τῷ πρὸς Βλαχέρναις,
ὃν αὐτὸς ἀνήγειρε μητροπαρθένῳ,
ἐν ἀργυρᾷ σορῷ καὶ σεβασμίᾳ,
δι' ἣν κατωνόμαστο καὶ θεῖος δόμος
σορὸς τιμία τῆς πανυμνήτου κόρης·
Οὗτος κρατάρχων καὶ στρατηγὸν γεννάδαν
Ῥουστίκιον ἄριστον ἐν στρατηγίαις
προβάλλεται δὲ καὶ κατορθοῖ τὰς νίκας·

τούτου θανόντος, σύγγονον βασιλίδος
Βασιλίσκον προὔβαλεν εἰς στρατηγίαν,
ὃς ἐκπλευκὼς εἰς Ἀφρικὴν σὺν στόλῳ
κατακρατοῦντος τοῦ τόπου Γιζερίχου,
ἧτταν ὑπέσχε δυσκλεᾶ κατὰ μάχην,
καὶ πλεῖστον ἀπέβαλε τῶν στρατευμάτων·
Ἀνατολίου δ' ἐκλελοιπότος βίον,
ἀρχυθύτης δέδεικτο τῆς Κωνσταντίνου
Γεννάδιος πρόμαχος ὀρθοδοξίας·
τούτου τὸ βιοῦν ἐν θρόνῳ λελοιπότος,
Ἀκάκιος κάκιστος ἔσχε τὸν θρόνον·
ἔφυ βασιλεῖ θυγατριδοῦς τις νέος
ἐξ Ἀριάδνης καὶ Ζήνωνος συζύγου,
ὃν καλέσας Λέοντα, ταινίᾳ στέφει
ἐν ἡλικίᾳ τυγχάνοντα νηπίων.
Οὗτος νοσήσας εὐσεβὴς ἄναξ Λέων
τὸν φθαρτὸν ἐκλέλοιπε τοῦτον βίον,
τῷ θυγατριδῷ καταλείψας τὸ κράτος,
βεβασιλευκὼς σὺν ὀκτὼ δέκα χρόνους·
ἄναξ ἱλαρὸς, εὐμενὴς ὑπηκόοις,
γαληνὸς, εὐέντευκτος, ἡδὺς, χαρίεις.

At hoc extincto, imperatricis fratri
armorum imperium Basilisco traditur,
qui transportato in Africam exercitu,
quum esset loci dominus Gizerichus,
aerumnosam in proelio accepit eladem,
copiarumque amisit partem maximam.
Iam ubi vita Anatolium destituit,
Constantinopoleos praesul deligitur
rectorum dogmatum vindex Gennadius:
post quem defunctum in sedis honore,
pessimus locum occupat Aeacius.
Imperatori interim nepos nascitur
ex Ariadnae et Zenonis coniugio,
cui nomen Leoni fecit, coronaque
aetate puerili caput cinxit.
Hic pius morbo imperator Leo
correptus vitam mortalem deseruit,
herede potentatus nepote dicto.
Annis ipse octodecim imperium rexerat,
princeps humanus, subditis benivolus,
affabilis, placidus, suavis, et amabilis.

ΛΕΩΝ ΝΕΟΣ ΕΤ. Α.

Νέος δ' ἐπιβὰς τῆς βασιλείας Λέων
κατῆρχεν αὐτῆς νηπιάζων τῷ χρόνῳ·
ἔτος δὲ ταύτην ἓν κατασχὼν καὶ μόνον,
ἀπῆρεν ἔνθεν καταλείψας τὸν βίον.

LEO IUNIOR AN. I.

Iunior imperium consecutus Leo
infantili plane aetate sceptrum tenuit.
Sed mox vix uno revoluto anno
excessit terris lumine cassus vitae.

ΖΗΝΩΝ ΟΜΟΥ ΕΤ. ΙΖ.

Ζήνων δ' ὑπῆρχεν ἐξ ἰσαύρων, ὡς ἔφην,
αἴσχιστος ἀνὴρ καὶ δέμας καὶ καρδίαν,
κίναιδος, αἰσχρὸς, συμφόρημα κακίας,
ἔργων πονηρῶν ἀθεμίτων ἐργάτης,
ἀνδρῶν ἐρινὺς τῶν περιφανεστέρων·
οὐχ ὡς βασιλεὺς διέπων αὐταρχίαν,
ἀλλ' ὡς τύραννος ἐμπιπρῶν καταστρέφων,
καὶ πάντα ποιῶν εἰς φθορὰν ὑπηκόων·
σέβας κακόφρων οἰοφυσίτης τάλας·
τούτῳ γε δειλῷ παντάπασι πεφυκότι
Βασιλίσκος σύναιμος ὢν τῆς Βηρίνης
ἀντῆρε χεῖρα Βηρίνης συνεργίᾳ,

ZENO SIMUL AN. XVII.

Zeno erat isaurus, ut dixi, genere;
foedissimus mortalis et mente et corpore,
cinaedus, turpis, malitiae cinnus,
et nefandorum operum patrator,
furialis hominum pestis optimatium;
haud regio more remp. regens,
sed tyrannice cuncta inflammans, subruens,
resque subditorum pro viribus pessum dans,
dogmate pravus, monophysita miser.
Hunc quum videret usquequaque timidum,
Verinae Basiliscus germanus frater,
armis adgreditur, Verina ferente opem.

Atq. illum ad patriam suam pulsum tradit;	καὶ τόνδ' ἐφυγάδευσεν εἰς τὴν πατρίδα·
deinde sibi diadema cum reliquis	εἶτα περιέθηκεν αὐτῷ τὸ στέφος
insignibus imperii circumponit.	καὶ πάντα παράσημα τῆς κρατραρχίας·
Sed enim hic confusae naturae haeresim,	τῆς συγχυτικῆς κακοδοξίας πέλων
Entychetis et Dioscori fermentum sequens,	τῆς Εὐτυχοῦς τε καὶ Διοσκόρου ζύμης,
orthodoxorum ecclesias acerbis modis	ἐκκλησίας οὗτος γε τὰς ὀρθοφρόνων
omnique poenarum genere excruciabat.	πικρῶς ἐκάκου παντοδαπαῖς αἰκίαις·
Chalcedonis venerandam quoque synodum	καὶ σύνοδον δὲ τὴν κατὰ Χαλκηδόνα
antiquavit edicto contra fas proposito:	σεπτὴν ἀκυροῖ γράμμασιν ὡς οὐκ ἔδει·
et patriarcham cum synedria pastoribus	καὶ πατριάρχην καὶ συνέδρους ποιμένας
ad confirmandum impulit dogma suum.	ταῦτα κυροῦν ἔπειθε, καὶ τοῖσδ' ἐμμένειν·
Sed enim orthodoxi coacto coetu	ἀλλ' ὀρθοδόξων συναθροισθέντες στίφος
Basiliscum maledictis perculerunt;	Βασιλίσκον βάλλουσι ταῖς δυσφημίαις·
decreveruntque sanctam fuisse synodum	τὴν σύνοδον δ' αὖ ἀνεκήρυξαν πάλιν
divinitus congregatam et venerabilem.	θεοκρότητον ἁγίαν σεβασμίαν·
Ob haec evasit Basiliscus merito	διά γε ταῦτα Βασιλίσκος ἀξίως
cunctis abominandus et detestabilis.	πᾶσιν ἀποτρόπαιος ἦν στυγητέος·
Contra Zenonem tamen is celeriter	ὅμως κατὰ Ζήνωνος ἐκπέμπει τάχος
duces cum copiis misit militaribus;	ἄνδρας στρατηγοὺς καὶ σὺν αὐτοῖς δυνάμεις,
quae ad Zenonem sponte deficientes,	οἱ προσρυέντες τῷ Ζήνωνι γνησίως
iunctoque secum foedere ad urbem regiam	σπεισάμενοί τε, πρὸς πόλιν βασιλίδα
citato gradum cum Zenone redeunt.	αὖθις μετὰ Ζήνωνος ἧκον ἐν τάχει·
Ergo hic imperium recepit denuo,	καὶ πάλιν ἀπείληφεν οὗτος τὸ κράτος,
favente populi cuncta multitudine.	δήμου τε λαοῦ τόνδε προσδεδεγμένου·
At Basiliscus supplex ad ecclesiam	Βασιλίσκος δὲ προσφυγὼν ἐκκλησίᾳ
confugit cum uxore aliisque affectibus.	μετὰ γυναικὸς ἱκέτης καὶ φιλτάτων,
Illinc deinde data iuranda fide	ἔπειτ' ἐκεῖθεν ἐξελασθεὶς ὁρκίοις
excitus, claususq. turre cum parvis liberis,	ἔν τινι κλεισθεὶς πυργίῳ σὺν τεκνίοις,
ibidem fame misere contabuit,	ἐκεῖ λιμῷ τέθνηκε φθαρεὶς ἀθλίως,
postquam biennio regnum retinuerat.	ἔτη κατασχὼν τὴν βασιλείαν δύο·
Adhuc illo regnante, in urbe regia	Τούτου κρατοῦντος, τῇ βασιλίδι πόλει
calamitas incendii horrenda contigit;	πυρκαϊά τις συνέβη φρικαλέα,
namque excitatis in foro aerario flammis	ἐκ χαλκοπρατείων γε πυρὸς ἡμμένου,
propagatus ignis cum alia absumpsit	ὑφ' ἧς κατηθάλωτο καὶ διεφθάρη
tum inflammavit etiam bibliothecam	ἄλλα τε πλεῖστα καὶ δόμος φύλαξ βίβλων
divitem tomis centum viginti millibus.	ἐς μυριάδας δώδεκα ποσουμένων·
In his et draconis quoque fuisse dicitur	ἐν αἷς χορίον καὶ δράκοντος ὡς λόγος
corium praelongum, centum viginti patens	πρόμηκες ἦν ἐς πόδας τεταμένον
pedes, mirum, insolitum, in quo scriptae	πρὸς τοῖς ἑκατὸν εἴκοσι θαῦμα ξένον,
formis litterarum auro rutilantibus	καθ' οὗ χρυσοῖς γράμμασιν ἐγγεγραμμέναι
Homeri sapientis fuerant rhapsodiae	ἦσαν Ὁμήρου τοῦ σοφοῦ ῥαψῳδίαι
ilias et odyssea (prob pernicies!)	ἰλιὰς ὀδύσσεια· φεῦ τῆς ζημίας·
Recepto igitur Zeno imperio	ἀναλαβὼν δὲ Ζήνων τὴν κρατραρχίαν,
Harmatium qui sibi suppetias tulerat	Ἀρμάτιον μὲν τῷδε συνηργηκότα
militaribus copiis ducem praeficit,	προβάλλεται δὴ ταγμάτων στρατηγέτην,

υἱὸν δ' ἐκείνου καίσαρα πάλιν στέφει·
εἶτα τὸν Ἁρμάτιον ἔκτεινε ξίφει·
παῖδα δὲ τὸν καίσαρα κληρικὸν δράσας
περιπολεῖν εἴασεν οὕτω τὸν βίον·
ὡς πίστιν ὀρθὴν οὐκ ἐφύλαξαν φράσας,
οὗτοι κραταρχάσαντι τῷ Βασιλίσκῳ,
οὔτ' αὖ ἐμοὶ ταύτην γε φυλάξουσ' ἴσως·
πρὸς τοῖςδε πολλοὺς παρέπεμψε θανάτῳ,
ἄλλους δ' ἑκάστου κατέτρυχεν αἰκίαις
τῶν εὐκλεῶν τε καὶ περιφανεστέρων·
εἰς γὰρ ἀθέσμους ἐκκλίνας αἰσχρουργίας
πράξεις μιαιφόνους τε καὶ βδελυκτίας
πρὸς δ' αὖ ὑπαχθεὶς αἱρέσει Διοσκόρου
μισητὸς ἦν ἅπασι καὶ τοῖς ἐν τέλει,
Ἀριάδνῃ δὲ τῇ συνεύνῳ καὶ πλέον·
ὅθεν σορῷ τέθαπτο δόξας τεθνάναι,
κἀκεῖ βιαίως τὸν βίον καταστρέφει·
οἱ μὲν φασι μέθαις τε χρώμενον πότοις
ἔκστασιν αὐτὸν τῶν φρενῶν πεπονθέναι·
δόξαντα δ' οἰκτρῶς ἐκλελοιπέναι βίον,
κατατεθῆναι λάρνακι καθὰ νέκυν·
καὶ πωματισθέντος γε τοῦ τάφου λίθῳ,
γοώμενον κάκιστα θανεῖν ἐν τάφῳ·
ἄλλοι δὲ παθεῖν τοῦτο δεινῆς ἐκ νόσου
δόντα θανεῖν δοκοῦσιν ἀθροῦσιν ὅλως.

praetereaque filium eius creat caesarem.
Deinde Harmatium gladio percussum necat,
filiumque eius caesarem clero adscribit,
sicque illi vitae veniam retinendae facit.
Nam quoniam isti, aiebat, fregerunt fidem
quam Basiliseo principi spoponderant,
sic ut ipsi mihi servent eamdem vereor.
Praeter hos, alios multos leto dedit
de numero nobilium atque optimatium,
vel impositis plagis excruciavit.
Ergo scelestis indulgens facinoribus
caedibusque grassans flagitiosis,
imbutus insuper haeresi Dioscori,
populo invisus erat et optimatibus,
coniugi vero Ariadnae quam qui maxime.
Quamobrem simulato mortis casu,
arca conclusus, ibidem mori cogitur.
Ast alii narrant, hunc indulgere crapulae
et potui solitum, mentis perpessum extasim;
atque ita creditum vitam finisse misere,
capsae fuisse traditum ceu cadaver:
tum vero saxi admoto ad sepulcrum obiec,
tristissime eiulantem mors oppressit.
Alii denique narrant id illi ex gravi
morbo accidisse, visumq. extinctum omnibus.

ΑΝΑΣΤΑΣΙΟΣ ΕΤ. ΚΖ.

Τούτου καταστρέψαντος οὕτω τὸν βίον,
βουλῇ γερουσίας τε καὶ τῶν ἐν τέλει
συζεύγνυται δὲ βασιλὶς Ἀριάδνη
Ἀναστασίῳ πρὸς γάμου κοινωνίαν,
ἕλκοντι ῥίζαν ἐξ Ἐπιδάμνου γένους·
ὃν κράτορα δείκνυσι τῆς Ῥωμαΐδος
Οὐρβικίου σπεύσαντος εὐνούχου τόδε,
Εὐφήμιος δ' ἔστεψε τόνδ' ἀρχιθύτης·
οὕτως Ἀναστάσιος ἔσχε τὸ κράτος,
ὅστις ἐπωνόμαστο δίκορος θέσιν,
οἷς οὐκ ὁμοίας ἔσχεν ὀμμάτων κόρας,
ἀλλὰ μελαντέραν μὲν αὐτῶν θατέραν,
γλαυκὴν δὲ λαιὰν ὡς ἐπίσημον φέρων·
οὗτος βδελυρὰν εἰσφορὰν χρυσαργύρου
ὑπήκοον τρύχουσαν ἅπαν ἐσχάτως
δασμὸν πονηρὸν εὐσεβῶς παύσας ἔχει,

ANASTASIUS AN. XXVII.

Zenone hunc vitae exitum sortito,
senatûs et optimatium de sententia
regina Ariadna ad societatem vitae
lege iugali traditur Anastasio,
cui fontem generis urbs Epidaurus praebuit.
Tum is romanus legitur imperator
eunuchi validis artibus Urbicii,
atque ab Euphemio coronatur praesule.
Sic est imperium nactus Anastasius,
cui cognomentum dicorus adhaesit
quoniam pupillis fuit dissimilibus;
dextrum videlicet nigricantem oculum,
glaucum sinistrum insigniter gerens.
Hic tributum auri argentique,
invisum, cunctis subditis molestissimum,
malum vectigal pie perimens sustulit;

quo manente, unumquemque opus erat
pro se brutisque etiam animalibus
annnum numisma publico aerario pendere.
Idem venales antea dignitates
et publicarum rerum procurationes,
sublato abusu, gratis tradebat dignis.
Ceterasquoq. regnandi partes recte explebat.
Synchyticorum tamen occupatus haeresi
ecclesiis orthodoxis molestus erat.
Hoc regnante Anastasio mira res evenit.
Quidam agarenicae tribûs princeps
cui nomen Alamundarus, homo frugi,
Christo se adiungens, riteque edoctus fidei
dogmata ab orthodoxis archipraesulibus,
baptismatis postremo gratiam impetrat.
Re cognita Severus profanos suos
pastores ad hunc mittit sine mora
quorum ope neophytum ad se pelliciat.
Is autem fidei tenax, et Christi lapis
immotus, legatos illos sic coarguit:
curavit enim ut familiaris homo
ad aurem sibi aliquid arcanum diceret:
tum impuris pastoribus inspectantibus,
maerore se correptum finxit princeps.
Illi causam rogant; quos contra talia refert:
nunciatum sibi, Michaëlem summatem
angelorumque ducem nuper mortuum.
Illis sermonem talem respuentibus;
fabula retecta, sic contra fatur regulus:
cur ergo vos humana cum natura
divinam pati, nuper tulistis dogma?
Tunc illi victi pudore discedebant.
Certior Anastasius nescio quo auctore factus
fulminum iactu sibi in fatis esse
ut vitae et regno terminum imponeret,
cameram struxit arte venustam mira
cui fastigiatae nomen apte fecit;
in qua diversans fulmine erumpente
subitum vitae finem nactus est.
Is ut Moesorum Gothorumq. Istri incolarum
incursus direptiones ac proelia vitaret,
murum fundavit merito dictum longum.

καθ᾽ ὃν τις ἠνάγκαστο πᾶς συνεισφέρειν
ὑπέρ θ᾽ ἑαυτοῦ καὶ προσόντων ἀλόγων,
ἐτήσιον νόμισμα τῷ κοινῷ φόρον·
καὶ δημοσίας οὔσας ἀρχὰς ὠνίους,
πρὸς δ᾽ αὖ διοικήσεις τε κοινῶν πραγμάτων
παύσας παρεῖχεν ἀδοτὶ τοῖς ἀξίοις·
καὶ τἄλλα δ᾽ ἀρχῆς εὐτυχῶς ἦν διέπων·
πλὴν συγχυτικῶν καθυπαχθεὶς αἱρέσει,
τὰς ὀρθοδόξων ἦν κακῶν ἐκκλησίας·
Τούτου κρατοῦντος θαυμάσιον συνέβη·
φύλαρχος ἀνὴρ ἀγαρηνῶν τῶν τότε
κλῆσιν Ἀλαμούνδαρος ἀγαθὸς τρόπους
Χριστῷ προσελθὼν καὶ μυηθεὶς εἰκότως
πρὸς ὀρθοδόξων ἀρχυθυτῶν ποιμένων,
ἔπειτα βαπτίσματος αὐχεῖ τὴν χάριν·
ταῦτα μαθὼν Σέβηρος (1) αὐτοῦ ποιμένας
ἀνιέρους πέπομφε πρὸς τοῦτον τάχος
σπεύδων δι᾽ αὐτῶν εἰς ἑαυτὸν ἑλκύσαι·
ἐπεὶ δ᾽ ἑρασθεὶς πίστεως Χριστοῦ πέτρα
ἄσειστος ἦν, μέτεισιν αὐτοὺς ὡδί πως·
ποιεῖ τινά οἱ τῶν ὑπ᾽ αὐτὸν ἐκκρίτων,
πρὸς οὖς ψιθυρίζειν τι προσκεκυφότα,
καὶ τῶν βδελυρῶν ποιμένων δεδορκότων,
εἶτα φύλαρχος ἀλύειν ὑπεκρίθη·
ἤροντο δ᾽ οἱ μὲν αἰτίαν· ὃ δ᾽ ὡς τάδε·
ὡς μηνυθῆναι Μιχαὴλ πρωτοστάτην
καὶ ταγματάρχην ἀγγέλων νῦν τεθνάναι·
τῶν δ᾽ οὐκ ἀνεκτὸν τὸν λόγον ποιουμένων,
ὃ δ᾽ ἐκκαλύψας τὸ δρᾶμα, τοῖς δ᾽ ἀντέφη·
καὶ πῶς παρ᾽ ὑμῖν συμπαθεῖν θείαν φύσιν
ἀνθρωπίνῃ, πέφυκε νῦν δεδογμένον;
ἐκ τοῦδ᾽ ἀπηλλάττοντο κατῃσχυμμένοι·
Προγνοὺς βασιλεὺς οὗτος οὐκ οἶδα πόθεν
ὡς ἐκ κεραυνῶν ἀστραπῶν εἵμαρτό οἱ
βίου γενέσθαι καὶ βασιλείας πέρας,
θάλαμον δ᾽ ἀνήγειρε κάλλιστον δόμον
θολωτὸν αὐτὸν καλέσας φερωνύμως
ἐν ᾧ διάγων ἀστραπῶν ῥηγνυμένων
ἐξαπίνης εὕρατο τέρμα τοῦ βίου·
οὗτος μυσῶν τε καὶ σκυθῶν παριστρίων
ἐπιδρομὰς λείας τε μάχας ἐκκλίνων
ἔκτισε τεῖχος εὖ μακρὸν κεκλημένον·

(1) Scilicet Severus Antiochiae patriarcha, haereticus synchyticus et theopaschites.

ἄνδρα τε φρικτὸν εἶδε νυκτὸς καθ' ὕπνους
τόμον χεροῖν φέροντα καὶ φάσκοντά οἱ,
ὅρα διὰ σὴν φευκτέαν δυσπιστίαν
ζωῆς δὶς ἑπτὰ σῆς ἐκαλείφω χρόνους·
χαλκοῦ τ' ἀνιστᾷ κίονι στήλην Ταύρου (1)
τῆς πρὶν πεσούσης τῷ χρόνῳ τῷ παμφάγῳ.

Idem viri terrificam speciem vidit
per somnium, praelato libro dicentem sibi:
en ego propter tuam perversam fidem
bis septem vitae tuae annos deleo.
Is aeneam statuam columnae Tauri imposuit,
unde prior exciderat edaci impulsa tempore.

ΙΟΥΣΤΙΝΟΣ Ο ΘΡΑΞ ΕΤ. Θ.

IUSTINUS THRAX AN. IX.

Οὕτω λιπόντος Ἀναστασίου βίον,
Ἰουστῖνος Θρᾷξ ἐξ ἀσήμου τοῦ γένους
εἰς ὕψος ἀνήνεκτο τῆς κρατραρχίας,
αὐτὴν ἔχων ἄνωθεν ἀφωρισμένην·
μαρτύριον δὲ, κινδυνεύων τεθνάναι
πρὸς δικόρου πρὶν, ῥύεται πρὸς ἀγγέλου·
ἀνὴρ προσηνὴς εὐσεβόφρων ἀγχίνους,
τοὺς πρὶν φυγάδας πίστεως ὀρθῆς χάριν,
αὐτὸς κατάγων καὶ τιμῶν ὥσπερ δέον,
στοιχῶν τετάρτης συνόδου θείοις ὅροις
δόγματι πάντας τήνδε θεσπίζει σέβειν,
καὶ ταῖς πρὸ αὐτῆς ἐγκρίνειν θεοκρίτοις·
καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ πατέρας θεηγόρους
καταγραφῆναι διπτύχοις ἐκκλησίας.

Sic amittente vitam Anastasio,
ortus obscuro thrax Iustinus genere
ad imperii fastigium sublatus est,
quod ipsi caelitus praedestinatum fuerat.
Eius rei indicium fuit, quod a dicoro
iam occidendus, ab angelo est ereptus.
Vir fuit mitis, sani dogmatis, perspicax,
qui rectae fidei causa extorres homines
reduxit atque debito in honore habuit:
haerensque quartae synodi divinis placitis,
edicto cunctis mandavit hanc colere,
et eum priorum voluit reputari numero;
patresque eius auctores deo afflatos
ecclesiae diptychis inscribi nominatim.

ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΣ Ο ΜΕΓΑΣ ΕΤ. ΛΗ.

IUSTINIANUS MAGNUS AN. XXXVIII.

Καὶ τοῦδε βίον καὶ κράτος λελοιπότος,
σκηπτουχίαν εἴληφε τὴν τῶν αὐσόνων
Ἰουστινιανὸς μεγαλουργὸς κράτωρ,
πολλῶν δομήτωρ καὶ καλῶν δομημάτων,
ναῶν, γεφυρῶν, ἀστέων, λαμπρῶν δόμων,
ἄλλων τε πλείστων κτισμάτων καινουργέτης·
ὧνπερ κορωνὶς ἀπαράμιλλος πέλει
ναὸς σοφίας τοῦ θεοῦ τε καὶ λόγου
τῶν πανταχοῦ γῆς θαυμάτων θαῦμα ξένον·
οὗτος στρατηγοῖς ἦν κατορθῶν τὰς νίκας
Βελισαρίῳ καὶ Ναρσῇ τοῖς γεννάδαις·
σωροὺς ἀπείρων χρημάτων χρυσαργύρου
ἐκ παντοδαπῶν ἠρανισμένος τρόπων,
ταῦτ' ἦν ἀφειδῶς ἐκχέων ὁσημέραι
εἰς βαρβάρων ἄμυναν, εἰς κτίσεις δόμων·
ἐφ' οὗ κλόνος γῆς συνέβη φρικαλέος,
ἐμφύλιός τε πρὸς Βυζαντίδι μάχη,

Postquam Iustinus vita regnoque cessit,
Romanorum sceptrum manu corripuit
magnificus imperator Iustinianus
pulchrorum passim auctor aedificiorum,
templorum, pontium, urbium, palatiorum,
aliorumque magno numero aedificiorum;
quorum incomparabilis coronis est
templum sapientiae Dei Verboque structum,
miraculorum in orbe omnium maximum.
Victorias hic per duces patrabat suos
Narsete ac Belisario viris strenuis:
acervos enim auri argentique,
quos innumeris modis congerebat,
dein large quotidie profundebat
struendis aedificiis, propulsandis barbaris.
Sub eo motus contigit terrae horrificus,
atque in urbe Byzantio civile bellum,

(1) Nempe suam statuam posuit Anastasius loco statuae deciduae Theodosii.

in quo plurima ferro caesa fuit
turba, millia scilicet quadraginta.
Plurimis quoque deprehensis sodomitis,
horum imperator fuit inclemens vindex.
Idem curavit fieri quintam synodum,
quae firmiter insistens quartae regulis
Origenem atque Didymum cum Theodoro
haeretico pastore Mopsuestiae
damnatos sacro subdidit anathemati.
Tunc etiam coniux Caesaris Theodora
praeclarum Dei donum et pars optima
gerendis rebus aemula auxiliatrix erat.
Ipsa sapientium struxit aedem apostolorum.
Iam vitae termino proximus Iustinianus
in exsecrandam haeresim heu incidit,
qua innexus solis huius lucem deseruit.

καὶ ταῦτα μὲν πέπρακτο τόνδε τὸν τρόπον·
ὁ δ' αὐτοκράτωρ ὡς ἴθην ἐπειγμένος
ἴλαις συνελθεῖν ταῖς προηγησαμέναις,
τούρκοις πορείας εἴργεται τῆς εἰς πρόσω,
οὐδὲν δὲ μεῖον καὶ κολωνοῖς πτωμάτων·
ὅμως διελθὼν δυσπόρους μόλις τόπους
καὶ τὸν παραρρέοντα χειμάρρου ῥόον
καὶ στῖφος ἄλλο ῥωμαϊκὸν ἀλίσας
ὡς εἶχε διήνυε τὴν προκειμένην·
ὃν παριόντα βαρβαρική τις φάλαγξ
ἵπποις ὁπλισμοῖς ἐκπρεπὴς ἀρράβιος
ἰδοῦσ', ἐπ' αὐτὸν ἐμμανῶς πως συνέθει,
ὡς θήραμα σπεύδουσα τόνδ' ἑλεῖν τάχα·
ὁ δ' ἀρρενώσας τῶν συνόντων τὰς φρένας
ὁδοστάτας ἥττησε ῥᾷστα βαρβάρους·
κατὰ βραχὺ δὲ συμπροιὼν καὶ βάδην

omne periculum sex profundae valles,
quarum Persae obsidebant exitus.
Praeterea validus spirabat ventus,
qui circumiectum pulverem multum
ex arenoso solo sustulleus
late spargebat eum molesto turbine
diemque noctis instar efficiebat.
Quare romanus miles cum barbaro
tumultario conflictu mixtus
tamquam in nocte pugnam conserebat:
caedebant invicem et iugulabant,
nullum discrimen patiente tempore.
Sic ergo amicus amicum feriebat,
barbarus occidebat gentilem suum
quasi sibi adversarium et maleficum.
Sic vallis indiscretim complebatur,
ut quidam dicit oculatus testis
scriptor historiae, mortuis corporibus
Romanorum pariter ac barbarorum,
cum interfectis variis animalibus,
equis ac bobus, asinis, mulabus,
quasi in communi conditis sepulchro.
Immo erat hominum coemeterium,
si fas ita loqui, admixtis beluis.
Romani sane perierunt plurimi,
quos inter ingens regiae stirpis numerus.
Atque haec talem habuerunt exitum.
Imperator autem dum conatur adsequi
legiones suas ut dixi praecedentes,
a Turcis vetabatur ulterius progredi,
nec acervatis minus cadaveribus.
Tamen difficiles eluctatus locos,
nec non torrente superato fluvio,
alio et adiuneto Romanorum globo,
viam, ut poterat, absolvebat reliquam.
Quem transeuntem conspicata phalaux
arabum equitum splendide ornatorum,
ruit in ipsum violento cursu
ut quasi praeda potiretur ilico.
Is vero hortatus animos suorum
barbaricum manipulum vicit facile.
Paulatim autem lenteque progrediens

(1) Sine dubio designat Ephraemius Nicetae choniatae historiam lib. VI. 3. ubi haec ipsa partim verba leguntur. Se autem interfuisse rebus gestis Manuelis Caesaris, ait ipse Nicetas in historiae prohoemio.

modo cruenta pugna decertans,	νῦν μὲν νόμῳ μάχης τε καὶ μεθ' αἱμάτων,
modo etiam hoste liber, ad extremum	ἑνιαχοῦ δὲ καὶ μάχης πάλιν δίχα
magno cum gaudio ad suos pervenit:	τρισάσμενος μέμικτο τοῖς ποθουμένοις,
qui quidem nihil gravius dolebant,	οὐ μᾶλλον αὐτῶν δυσχεραίνουσι χάριν
quam quia cum ipsis non adesset Caesar;	ὑπὲρ δι' αὐτὸν μὴ παρόντα ταῖς ἴλαις,
summoque erant metu solliciti.	ἀγωνιῶσι καὶ δεδοικόσι σφόδρα·
Ante quam autem misceretur suis	μήπω δὲ τοῖς τάγμασι συμμίξας κράτωρ,
Manuel rivos decurrentes nactus	ἀλλ' ἐν παραῤῥέοντι χειμάῤῥῳ πέλων
aquae levare depoposcit sitim:	πιεῖν ὕδωρ ᾔτησε διψήσας μέγα,
cumq. ei quispiam aquam obtulisset,	καί τις ὕδωρ ἤνεγκεν αὐτῷ πρὸς πόσιν·
hac summis labris leviter gustata,	σπάσας δὲ τοῦδε καὶ περικλύσας στόμα
statim ex ore reliquam proiecit,	τὸ λοιπὸν ἐκ στόματος ἐκχεῖ σὺν τάχει,
ceu si potus ille non descenderet	ὡς τοῦ ποθέντος μὴ κατωλισθηκότος
ad imum stomachum renitente oesophago.	δι' οἰσοφάγου πρὸς τὰ κάτω κοιλίας.
Mox ubi agnovit tinctam aquam tabo,	εἶτα ποτὸν γνοὺς συμπεφυρμένον λύθρῳ
ingemuit, sibi haud placuisse dicens	ᾤμωξεν, εἰπὼν οὐ καλῶς γεγευκέναι
aquam christiano sanguine foedatam.	ὑδατοφύρτων χριστιανῶν αἱμάτων·
Tum quidem praesens importunus audax	καί τις παρεστὼς ἰταμὸς θρασὺς τότε
impudens blatero et lingua intemperans,	τὴν γλῶτταν ἀκόλαστος ἀναιδὴς λάλος
Semei novellus conviciari solitus,	κατὰ Σεμεεὶ λοιδορεῖν εἰθισμένος
sic Christo Domini coepit maledicere.	χριστῷ κυρίου λοιδορούμενος λέγει·
Haud nunc primum, sed antea saepe,	οὐκ ἄρτι πρώτως ἀλλὰ πολλάκις ἄναξ
plenum cratera Christianorum sanguine	πλήρη κρατῆρα χριστιανῶν αἱμάτων
bibisti, subditos divexans populos	ὑπήκοον πᾶν καλαμώμενος πίνεις·
maturus veluti racemus comprimitur,	ἃ καὶ πεπείρους καθὰ συνθλίβων βότρυς
per tributorum gravium exactiones	εἰσπράξεσι φόρων τε καὶ τελῶν βάρει
potans illorum abundanter sanguinem.	αἵματος αὐτῶν ἐμφορῇ κατακόρως·
Tulit patienter Caesar hanc vesaniam,	ὁ δ' ἡμέρως ἤνεγκε τὴν παροινίαν,
nec contra quidem quicquam mussitavit	ἀνεξικάκως τονθορύσας μηδόλως,
mitis monarcha, nec infrenduit dentibus.	μηδ' ὑπ' ὀδόντα χλύξας ὁ πραῢς ἄναξ·
Iterum Caesar dum videret sacculos	καὶ πάλιν αὐτοῦ καθορῶντος θυλάκους
publici nummi custodes diripi	τοὺς τοῦ χρυσοῦ φύλακας ἐκρηγνυμένους
a persequentium barbarorum impetu,	ἐκ θρασύτητος καὶ βίας τῶν βαρβάρων,
atque ad tutelam hortaretur suos,	καὶ τοὺς ἑαυτοῦ ῥωννύοντος ὡς δέον
nempe ut aliena pulsa vi, servarent	ἐπευσπεύσειν τι σφίσι καὶ κτᾶσθαι τάδε
futuram ipsis utilem pecuniam;	ἄμεινον αὐτῶν συμφορώτερον πάνυ,
denuo adstans ille audax nebulo	αὖθις ἐπιστὰς ὁ θρασὺς μωμοσκόπος
novo convicio regem verberabat,	ἐλοιδορεῖτο τῷ κρατάρχῳ καὶ πάλιν,
velut ille Semei quondam Davidem.	ἄνακτι Δαβὶδ Σεμεεὶ καθὰ πάλαι·
Sponteoportebat hunc nobis antea nummum	ἑκὼν πρὶν ἐχρῆν ταῦτα ῥωμαίοις νέμειν,
dare, non nunc aegre recipiendum.	οὐκοῦν γε νυνὶ, δυσχερὲς κτήσεις ὅτε·
Quod si tu validus vir es et frugi,	εἰ δ' αὐτὸς ἀνὴρ τυγχάνεις ὢν ἰσχύος
raptam recupera nobis pecuniam.	ἡρπαγμέν' ἀνάσωσον αὖθις πάλιν·
Caesar tranquille convicientem pertulit,	ὁ δ' αὖ προσηνῶς κερτόμου φέρει λόγους
praeteriitque verba surdis auribus.	ὡς κωφὸς αὐτόχρημα μὴ κλύων ὅλως·

ἐπεὶ δὲ παύει νὺξ ἐπελθοῦσα μάχην,
καθῆστο πᾶς ὄμφροντις ἀσχάλλων μέγα
ἐν νῷ προσαθρῶν τὸν προκείμενον μόρον.
ὁ δ' αὐτοκράτωρ τῆς φρενὸς καὶ τοῦ κράτους
ἀναξίαν ἔφρασε βουλὴν ἐν μέσῳ,
οἷς εἶχε θαρρῶν ἀνδράσι βουληφόροις·
ὁ δ' ἂν λαθραία δυσκλεὴς φυγὰ νύκτωρ,
ψυχῶν δὲ λοιπῶν ἐπαγωγὴ πρὸς μόρον,
πρὸς αἰχμαλωσίαν τε δυστυχεστάτην,
ἣν πᾶς διωλύγιον ᾤμωξε κλύων,
καὶ βαρέως ἤνεγκε τὰ δεδογμένα,
παραφρονοῦντος οὐχ ὑγιοῦς δεσπότου
τὸ σκέμμα κρίνας καὶ κατακρίνας πλέον·
τούτοις μαλαχθεὶς Μανουὴλ τὴν καρδίαν
καὶ σχὼν λογισμὸν ποιμένος καὶ προστάτου,
πάντ' ὤπτο καὶ δρῶν καὶ λέγων πρὸς συμφέρον·
θεὸς δ' ὁ ποιῶν πάντα καὶ μετατρέπων,
ὁ μαστιγῶν τε καὶ θεραπεύων πάλιν,
ὁ θανατῶν τε καὶ πνοὴν αὖθις νέμων,
ὁ ῥάβδον ἀφεὶς ἀσεβῶν οὐκ εἰς τέλος
κλήρῳ δικαίων καὶ λάχει χριστωνύμων,
ὁ πρὶν λεόντων ἀμβλύνας τὸ θράσος
ἵν' ἀσινὴς γένοιτο δίκαιος πάλαι,
ἀκαιῦνος οὗτος ἡμεροῖ τοῦ βαρβάρου
τὴν θηριώδη καὶ φονῶσαν καρδίαν·
πρεσβείαν οὐκοῦν ἐκπεπομφὼς σουλτάνος
σπονδὰς ἀπαιτεῖ καθαρὰς καὶ φιλίαν·
καὶ σπένδεται δὲ βασιλεὺς τῷ σουλτάνῳ·
εἶτ' ἀπαναστὰς τῶν στυγητῶν χωρίων
δι' ἧς προῆκεν ἀσμένως ὑποστρέφων,
οἰκτρὸν βλέπει θέαμα μεστὸν δακρύων,
καὶ συμφορὰν οἴκτιστον ἀξίαν γόων,
τραγῳδίαν τ' ἄρρητον ὤμοι τοῦ πάθους
Ἱερεμίου τῆς φιλοίκτου καρδίας
τῆσδ' ἂν ἀποχρήσοντος εἰς θρηνῳδίαν
ὃς ἐξισοῦν κάτοιδε πάθεσι γόους·
ὡρῶντο γὰρ φάραγγες, ἄλση, κοιλάδες,
πεδία, τέμπη, καὶ νάπαι, καὶ χαράδραι
τῶν νεκρωμαίων σωμάτων πεπλησμέναι
ὡς εἰς κολωνὸν ὑπερανῳκισμέναι·
καὶ κειμένων πᾶς ἦν σεσυρμένος δέρας
τὸ τῆς κορυφῆς, καὶ φαλοὺς τετμημένας·
ὡς ἦν ἀκούειν βαρβάροις πεπραγμένον,
ὡς ἂν τὸ νικῶν ἀμφίδοξον τυγχάνῃ,
ἑκατέρωθεν μυρίων πεπτωκότων·

Sed postquam pugnam nox diremit
sedebat unusquisq. valde maerens
mente praesentem fati vim revolvens.
Tum Caesar animo ac dignitate sua
indignam prorsus protulit sententiam
inter adstantes viros consiliarios;
nempe nocturnae auctor erat fugae,
fato permissa reliqua multitudine
miserrimaeque captivitati:
quam quisq. audiens magnopere ingemuit,
aegroque tulit animo sententiam;
idq. consilium veluti insanientis
Caesaris indicans, ultro reprobavit.
Ergo iam mentem Manuel immutans
seq. pastorem atq. ducem praebens
exin saluti consulebat publicae.
Sed Deus auctor mutatorque rerum,
plagas imponens vicissimq. curans,
mortificans et vitam rursus tribuens;
qui virgam impii non sinit perpetuam
contra iustorum sortem christianorum;
olim leonum qui inhibuit impetum,
ut iustus ille maneret incolumis;
idem nunc barbari ferinam regis
et sanguinariam mitigavit indolem.
Itaque missis Sultanus legatis
sincerum foedus amicitiae obtulit.
Sic inter Caesarem pax Sultanumq. convenit.
Inde digressus, per infaustos locos
quibus processerat, nunc lubens revertitur
Manuel, et cernit lugubre spectaculum,
dignam infinitis stragem lacrymis,
malorum ineffabilem tragoediam,
cui gemebundum Hieremiae pectus
pro merito deflendae opus foret,
atq. exaequando lacrymis tanto malo.
Nam videre erat foveas, lucos, valles,
campos, saltus, voragines, fauces montium,
interfectis corporibus oppletas,
quorum acervi passim consurgebant.
Iacentium autem cutis detracta erat
capitibus, et virilia quoque exsecta;
barbarorum opus, ne circumcisus victor
a victo incircumciso iam differret,
quoniam utrimq. innumeri ceciderant.

Deniq. Caesar Chunas urbem tenuit,
ibique requievit cum omni exercitu,
semet et militem relaxans laboribus.
Philadelphiam postea progressus,
ibi permultis perstitit diebus.
Illinc praemissis nunciis Byzantium,
omnem rei gestae ordinem exponit,
et dirum casum verbis non imminuit.
Tum quia Dorylaeum non diruerat,
cuius eversio rata erat foedere,
misit legatos Sultanus ad Caesarem,
qui de iurata admonerent fide.
Caesar coactis non standum dicens,
legatos re infecta ad eum remisit.
Persa furens, iterum collecto exercitu,
viginti quatuor armatorum millibus
ex validiore delectorum numero,
praeponens ipsis bello gerendo ducem
de suis nobilibus satrapis unum,
mittit in nostrae ditionis urbes
quae ad Maeandrum flumen sunt positae.
Is dux Tralles urbem sibi vindicat,
Luma et Antiochiam in Phrygia sitam,
item Pentachira cum castellis aliquot,
atque maritimos populatur pagos.
Sed Caesar missis suis exercitibus,
multis legionibus cum egregiis ducibus,
hostes praevalida manu caecidit;
quorum ex tanto numero paucissimi
necis cruentae fatum vitarunt:
multamque attulit recreationem
rebus romanis facinus praesens,
quoniam Persarum fregit audaciam.
Sed et Claudiopolis sub idem tempus
ab Agarenis tentata est barbaris.
Cognita re, Manuel expedite admodum
atque e vestigio itineri se commisit,
sine regali lecto sine culcita,
ne proprium quidem ferens tentorium,
dum obsessores satagit praevertere.
Itaque noctes agebat insomnes,
et viae duces adhibebat lampadas
per Bithynorum asperas regiones
valde festinans destinatum iter.
Sicubi corpori quies tribuenda erat,

«ὅμως βασιλεὺς πεφθακὼς Χώνας πόλιν,
ἐκεῖσ' ἐνηυλίσατο σὺν πάσαις ἴλαις,
αὑτόν τε στρατὸν ἀναπαύων ἐκ πόνων·
εἶτ' εἰς Φιλαδέλφειαν ἧκε τὴν πόλιν
κἀκεῖ διατέτριφε συχνὰς ἡμέρας·
ἀφ' οὗ προπομφὼς ἀγγέλους Βυζαντίοις
τὰ συμβεβηκότα γε πάντα μηνύει
καί γ' ἐκτραγῳδεῖ συμφορᾶς ὄγκον λόγῳ·
ἐπεὶ δὲ Δορύλαιον οὐ κατέσκαφη,
καταστροφῆς γε κειμένης ἐν ὁρκίοις,
πρεσβεύεται δὴ πρὸς κρατοῦντα σουλτάνος,
καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀνέμνησεν ὁρκίων·
ὁ δ' οὐ προσίσχειν τοῖς κατ' ἀνάγκην φράσας,
πρέσβεις ἀπράκτους ἐξαποστέλλει πάλιν·
μανεὶς δ' ὁ Πέρσης στρατιὰν ἀποκρίνας
πρὸς εἴκοσι τέτταρας ἀριθμουμένην
ἐς χιλιάδας εὐσθενῆ ῥωμαλέαν,
καὶ ταγματάρχην τῇδ' ἐπιστήσας ἕνα
τῶν ὑφ' ἑαυτὸν ἐκπρεπῶν μεγιστάνων,
κατ' ἀστέων πέπομφε τῆς Ῥωμαΐδος
τῶν πρὸς Μαιάνδρῳ τῷ ποταμῷ κειμένων·
ὃς καὶ παριστήσατο Τράλλεις τὴν πόλιν,
Λοῦμα τ' Ἀντιόχειαν τὴν πρὸς Φρυγίᾳ,
καὶ Πεντάχειρα σὺν ἐρύμασιν ὅσοις,
κώμας σκυλεύσας καὶ παραθαλαττίους·
ἀλλὰ βασιλεὺς ἐκπεπομφὼς δυνάμεις
ἴλας τε συχνὰς καὶ καλοὺς στρατηγέτας,
ἀμύνετ' ἐχθροὺς ἀνελὼν κατὰ κράτος·
ὡς ἐκ τοσούτων ἰσχῦσαι βραχυτάτους
τὸν ἐκ ξίφους θάνατον ἐκπεφευγέναι·
πολλὴν δὲ τινὰ τὴν ἀνάρρωσιν φέρει
τοῖς αὐσόνων πράγμασι τοὔργον τοτότε,
φρόνημα περσῶν καταβαλὸν καὶ θράσος·
τούτου κρατοῦντος καὶ πόλις ἡ Κλαυδίου
ἔπασχε κακῶς βαρβάροις τοῖς ἐξ Ἄγαρ·
ὃ γνοὺς Μανουὴλ, εὐσταλῶς μάλ' αὐτίκα
ὡς εἶχεν ἐξώρμησεν εὐθὺ φρουρίου,
ἀνακτορικὴν οὐ κλίνην οὐ στοιβάδα,
ἀλλ' οὐδὲ βασίλειον αὐλαίαν φέρων
ἐν τῷ προφθάσαι τειχομαχοῦντος θέλειν·
οὔκουν ἰαύων ἄϋπνος καὶ τὰς νύκτας
ἐχρῆτο φωτὶ πρὸς πορείαν λαμπάδων
διὰ Βιθυνῶν δυστιβήτων χωρίων
σφοδρῶς ἐλαύνων τὸν προκείμενον δρόμον·
ὅπη δ' ἐχρῆν γε διαναπαῦσαι δέμας,

ἦν καθέδρα τοὔδαφος αὐτῷ καὶ κλίσεις,
πάλιν φορυτὸς ὑπεβέβλητο κλίνε·
καταῤῥαγέντος ὑετοῦ ποτ' οὖν λάβρω
ἐν ᾧπερ ὑπνοῦν ηὐτρέπιστο χωρίῳ
ταῖς σταγόσιν ἄνωθεν ὠχλεῖτο σφόδρα,
καὶ κατιόντι ῥεύματα κάτω κλίνης·
ὁ δ' ὑπεράσθη συμβεβηκότι πλέον
ἢ βασιλικῶν στρωμάτων οἱ κειμένων
ἀνακλιθεὶς ὕπνωττεν ἔξω φροντίδων·
ὅμως προφθανὼς πλησίον τῆς Κλαυδίου
φυγάδας εἰργάσατο πέρσας βαρβάρους,
ἀστυπολίταις καὶ προσοίκοις δ' αὖ πάλιν
θάρσος παρέσχε καὶ φάος θυμηδίας.
Οὗτος μονὴν ἤγειρεν ἐν Κατασκέπῃ
κατ' αὐτὸ πόντου κειμένην σου τὸ στόμα
τῷ τῶν ἀΰλων στρατιῶν ἀρχηγέτῃ
πιστῶν δ' ὁδηγῷ Μιχαὴλ πρωταγγέλῳ,
καθ' ἣν τι κτησείδιον οὐδὲν οὐδόλως
οὔτε πλέθρα γῆς οὐδ' ἀγροὺς οὐ χωρία;
μονοτρόπων δὲ συναγαγὼν προαιρέτους
ἐν τῇδε προὐνόησεν αὐτοὺς ἀνύτειν
ἀπράγμονά τε καὶ φιλήσυχον βίον,
τὰς σφῶν σιτήσεις καὶ διαίτας δι' ἔτους
κοινοῦ ταμείου θεσπίσας προσλαμβάνειν·
παρὰ δὲ ῥωμαίοις γε θεσμοῦ κειμένου
κρατοῦντος οἶμαι τοῦδε κἀπὶ βαρβάροις
τοῖς στρατιώταις τὰς δόσεις ὀψωνίων
ἐκ τοῦ ταμείου παρέχεσθαι δι' ἔτους,
καὶ τούσδ' ἀκριβοῦν εἰ πεπείρανται μάχης,
εἰ τόξον εὖ οἴδασιν ἐντείνειν μάλα,
δόρυ τε κινεῖν καὶ κραδαίνειν ἐντέχνως,
εἰ σώματος φέρουσι ῥώμην καὶ σθένος
ψυχῆς τε παράστημα πρὸς τοὺς κινδύνους,
κἆτ' ἐγγράφεσθαι σὺν λόγῳ καταλόγοις·
οὗτος σιτηρέσια τῶν στρατευμάτων
κατέσχε λαβὼν ὡς λίαν ἀσυμφόρως·
ἐπινοεῖ δὲ τὰς παροίκων τὰς δόσεις,
καὶ ταῖσδε δίψος σφῶν θεραπεύειν θέλει·
ἐντεῦθεν οὐκοῦν οὐκ ἐπιλέγδην ἅπας
τάγμασι κατείλεκτο τῶν στρατευμάτων,
ἀλλὰ θελήσας ἐγκριθεὶς ἦν αὐτίκα·
ταῦτ' ἄρ' ἀνετέτραπτο τὰ τῶν αὐσόνων,
καὶ χειρόνως πάσχουσιν ὡς ἔστι βλέπειν·
ἔμφυτον ἄναξ εὐτυχῶν χάριν λόγων
εὐγλωττίας κλέος τε καὶ φρενῶν βάθος,
οὐ λαμπρῶς ἦν συντεθεὶς γράφων μόνον

scamnum praestabat ad residendum tellus,
stramineumque supponebat lectum.
Ergo quandoque ruente pluvia,
sicubi rex decreverat dormire,
molestae desuper perluebant guttae
et subter rivus aquae decurrebat.
Attamen Caesar magis his gaudebat,
quam si regali stromate supinus
curisque liber somnis indulgeret.
Tandem progressus prope Claudiopolim
barbaros Persas coniecit in fugam,
simulque civibus et agri incolis
fiduciam attulit et lumen laetitiae.
Hic imperator struxit in Catascepe
ad ipsa Ponti ostia monasterium
duci fidelium Michaëli archangelo
atque militiae spiritalis principi:
nil tamen prorsus possidendum tribuit,
non agri praedia, non villarum reditus;
sed monachorum selectiores congregans,
illic eos voluit in coenobio degere
curis expertem et quietam vitam:
anni porro victus subsidia
publico iussit ex aerario accipere.
Iam quum Romanis aeque barbarisque
usq. ad hunc Caesarem firma lex fuisset
ut cibariorum demensa militibus
exhiberentur ex aerario annua;
atque horum peritia exploraretur,
num arcum apte in primis scirent tendere,
movere hastam et vibrare ex arte;
num corpus firmum validumq. haberent,
nec non audacem ad pericula animum,
atque ita in albo scite scriberentur;
hic imperator militum cibaria
sustulit, lucro reip. damnoso;
bisque incolarum pensiones substituit,
quibus ingluviem militum satiaret.
Hinc nemo rite iam miles conscriptus
adlegebatur in copiarum ordines;
sed voluntarius quisque fiebat miles:
et sic romana pessum res est data,
et quam videmus patitur ruinam.
Caesar doctrinis a pueritia imbutus,
verborum gloria, sensuum altitudine,
non solum splendido stilo componebat

epistularum pro libito gratiam,
sed catecheticos etiam sermones
ceu genuinam parturiebat sobolem,
vulgo silentia dicta, cate admodum.
Hinc sumpta audacia, utiam de dogmatibus
divinis voluit dicere et audire:
mentemque abstrusis inserens mysteriis
horum quaestiones ambiebat solvere
tamquam edoctus esset a Christo interpres.
Ergo tunc orta quadam controversia
super scripturae loco disputantium,
in quo et accipere simul et offerre
dicitur incarnatum Verbum Dei;
eum eius temporis eruditi homines
discordes ferrent hac de re sententias,
verba ficbant ex utraque parte
dum suum quisque oppugnat adversarium.
Cumque meliori calculum adiiceret
patrum sententiae, ut par erat, Caesar;
sacro depulsi sunt ministerio
viri praecipui in ecclesiae officiis,
qui pertinaces in sententia manserant,
Soterichus quidam, vulgo Panteugenus,
antiochenus electus episcopus;
item Eustathius Epidauri praesul,
et Thessalorum Michaël tunc rhetor,
ac Basilaces sapientium Pauli
interpres litterarum ac levita.
Post annos aliquot idem monarcha
aliud proposuit explicandum thema:
Dominus dixit passionis tempore
maior me pater est. Tum parum curans
Caesar iam cognitas patrum sententias,
propriam procudit interpretationem,
et tempestatem concitavit maximam

ἐπιστολῶν χάριτας οἷς δίδοταί οἱ,
ἀλλ' ὠδίνων γε ϗ κατηχητηρίους
ὡς παῖδας ἀπέτικτεν εὐγενεῖς λόγους
οὓς φασι σιλέντια συνετοὺς ἄγαν·
ὅθεν προϊὼν ἠμμένος ϗ δογμάτων
περὶ Θεοῦ λέγειν τι ϗ κλύειν θέλει·
νοῦν δυσεφίκτοις δόγμασι δ' ἐφιστάνων
πεύσεις προσῆγε ϗ λύσεις τούτων φέρε
ὡς ἂν μυηθεὶς πρὸς Χριστοῦ τούτων φέρε·
ζητήσεως οὖν τηνικαῦτα συμβάσης (1)
διεξιόντων γραφικοῦ ῥητοῦ πέρι
ὡς προσδέχεσθαι προσφέρειν τε σύναμα
σάρκα λαβόντα τὸν Θεόν τε ϗ λόγον,
ϗ τῶν τότ' ἀνδρῶν ἐν λόγοις τεθραμμένων
ἀποκριθέντων εἰς ἐναντία μέρη,
λόγοι προῆλθον ἐξ ἑκατέρου μέρους
ἀντιφατικῶς ἀντερίζοντος λόγοις·
τῇ κρείττονι δόξῃ δὲ προστεθειμένου
ϗ πατρικῇ μάλιστα τοῦ βασιλέως,
καθῃρέθησαν ἱερᾶς λειτουργίας
ἄνδρες λογάδες λευιτῶν ἐκκλησίας,
ἀντίφρονες μείναντες ἀνεπιστρόφως,
Σωτήριχός τις Παντεύγενος τοὐπίκλην
τελῶν ὑποψήφιος Ἀντιοχείας (2),
Εὐστάθιος πρόεδρος Ἐπιδάμνου,
ὁ τῶν Θετταλῶν Μιχαὴλ ῥήτωρ τότε,
ϗ Βασιλάκης τῶν σοφῶν Παύλου λόγων (3)
διδάσκαλος τις τυγχάνων ϗ λευίτης·
μετὰ δὲ λυκάβαντας οὗτος ὁ κράτωρ
ῥητὸν προτεθεὶς εἰς ἀνάπτυξιν πάλιν,
ὁ δεσπότης εἴρηκε καιρῷ τοῦ πάθους
μείζων ἐμοῦ πέφυκε πατήρ μου λέγων (4).
μιαρόν τε προσχὼν ἀναπτύξει πατέρων (5)
οἰκείαν ἐξήγησιν ἀντεισφέρει,
ϗ τρικυμίας ἀνεπίμπλα ϗ ζάλης

(1) Ex hoc versu usque ad v. 4764. extat locus apud Allatium contra Creygh. p. 526.

(2) Wolfius interpres Nicetae choniatae hist. VII. 5. haud scio an significatum intellexerit vocabuli ὑποψήφιος, quod tamen explicat Cangius, citato ipso nostro Ephraemio, cuius fragmenta legerat apud Allatium. Rursus idem nescivisse videtur, Theopolim esse Antiochiam ipsam. Quare verba ὁ ὑποψήφιος τῆς Θεοῦ πόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας Σωτήριχος ὁ Παντεύγενος, vertit *Hyposephius theopolitan. Soterichus Panteugenus antiochen.*; quasi *hyposephius* proprium nomen esset viri theopolitani, et quidem diversi a Soterico antiocheno. Allatius tamen contra Creygh. p. 526. officii nomen retinet: *Antiochiae hyposephius*, sicut alibi ὕπατος vertitur ab eodem *hypatus*. Extat autem in cod. vat. 2146. p. 124. scriptum Demetrii Gemisti ὅπως ὁ ὑποψήφιος εἰς τὸ ἅγιον εἰσέρχεται βῆμα.

(3) Ergone in urbe Byzantio cathedra fuit interpretando Paulo occupata? Hinc videlicet tot paulinarum epistularum graeci commentarii in bibliothecis mss. nobis occurrunt.

(4) Huius rei causa celebratum concilium graecum, hactenus ineditum, ego praelo iam subieci.

(5) Has sententias legesis interim apud Choniatam VII. 5.

ἐκκλησίαν τε ϗ σοφοὺς ἀρχιθύτας·
ὁμήγυριν σὺν ἐκ λογάδων ἐκλίσας
ἐνῆγεν ἄναξ προστιθεὶς τε ϗ βίας
ὑπογράφειν ἕκαστον οὕτως ἐν τόμῳ·
στιχῶ μὲν αὐτὸς ῥήσεσι ϗ πατέρων
ἃς εἶπον ἐκ πνεύματος εἵνεκα λόγου
τὸ μείζον' εἶναι τοῦ Χριστοῦ τὸν πατέρα·
λέγω δὲ τοῦτο ϗ λελέχθαι καθότι
κτιστὴν παθητὴν σάρκα λαμβάνει λόγος·
τοῦθ' ὕφεσιν φέρει δὲ πρὸς τὸν πατέρα
υἱῷ λαβόντι σάρκα τῶν βροτῶν χάριν·
ἐρυθροσημάντῳ δὲ δοὺς γραφῇ τάδε
ϗ πλαξὶ καλῶς ἐγχαράξας λιθίναις
ναῷ σοφίας τοῦ νοῦ θεοῦ λόγου
ἀνάγραφα τίθησιν ὡς ἔστι βλέπειν·
ἔτι καινὸν ζήτημα ϗ πάλιν τόδε·
ἀνάθεμ' εἶναι τῷ θεῷ τοῦ Μωάμεθ,
τόδ' ἀπαλεῖψαι πυκτίων παρηγγύα,
ὡς μὴ καθυβρίζοιτο φησὶ τῶν ὅλων
ὁ παμβασιλεὺς ϗ θεὸς ϗ δεσπότης
τίθησι δῆλον ποιμέσι σκέμμα τόδε,
ἀπαγορεύει πᾶς κλύων βλασφημίαν·
μανεὶς ὁ κρατῶν καινοποιεῖ δὲ τόμον
συνηγοροῦντα λαοπλάνῳ Μωάμεθ,
τῶν πρὶν δ' ἀνάκτων καθικνούμενον μάλα
ὡς λοιδορούντων ἀμαθῶς θεῷ λόγῳ,
εἰς ἀκρόασιν ἐκδίδωσι τὸν τόμον·
ὁ πατριάρχης ἀντέβη θαρσαλέως,
ϗ πᾶς συνιὼν συνομαρτεῖ ποιμένι,
ϗ μᾶλλον ὁ πρόεδρος Θεσσαλονίκης
περιβόητος ἀρετήν τε ϗ λόγον,
τῶν ποιμεναρχῶν Εὐστάθιος τὸ κλέος
ζήλῳ θεϊκῷ καταφλεχθεὶς καρδίαν
ἤλεγξε δόγμα καινοφανὲς ϗ νόθον·
εἴην ἂν ἀνάξιος εἰπὼν παντάπαν
τοῦ ποιμεναρχῶν ϗ στολῆς ϗ τοῦ θρόνου,
ἠλίθιος δὲ ϗ νομιζοίμην πάλιν
εἰ παιδεραστὴν ϗ [illegible] πλάνον
μύστην τε πάσης πράξεως βδελυκτέας
ϗ μυσταγωγὸν ἀσεβῶν διδαγμάτων
ὁλόσφυρόν τι ϗ πεπλασμένον τέρας
ψιλῆς ἐπινοίας γε ϗ στυγητέας
θεὸν καλοίην ἀτρεκῆ κτίστην ὅλων·
ὁ δ' ὡς πεπονθὼς ἐσχάτην παροινίαν
ὀνείδεσιν ἔπλυνε τοὺς ἀρχιθύτας

ecclesiae simul et doctis praesulibus.
Ergo coacta delectorum synodo
impulit Caesar, vi quoque adhibita,
omnes libello ut ita subscriberent:
adsentior ego patrum santentiis,
quas inspirati de verbo scripserunt,
Christo maiorem scilicet esse patrem.
Id autem sic dictum, quia creatam
passibilemque carnem Verbum sumpsit.
Sic porro supponebat filium patri,
postquam nostri gratia carnem sumpserat.
Haec consignata litteris purpureis
lapideisque tabulis insculpta
pulchro artificio, in templo Sophiae
instar ephigraphes spectanda exposuit.
Aliam rursus controversiam movit;
nempe ut anathema Mohamethis Deo
eximeretur dyptichis suadebat,
ne forte contumelia fieret Numini
omnium domino atque regnatori.
Rem iudicandam obtulit episcopis,
qui reiecerunt omnes ut blasphemiam.
Iratus Caesar renovat libellum
falsae Mohamethis faventem fidei,
ac superiores castigantem Caesares
tamquam inscite maledixissent Deo;
atque hunc libellum edidit legendum.
Sed patriarcha restitit audacter
et cum pastore conspirarunt omnes;
Thessalonicae praesul inter primos
vir celebratus virtute ac litteris;
atque pastorum gloria Eustathius
zelo divino viscera perustus
novum ac spurium improbavit dogma;
dicens, enimvero forem ego indignus
episcopali stola atque solio,
prorsusque insanus merito aestimarer,
si a paederasta vafro mulione
magistro omnis aetus execrandi
et doctrinarum scelestarum mysta,
qui monstrum quoddam finxit holosphyron
vili mentis partu et detestando,
Deum discerem omnium creatorem.
At Caesar oestro percitus insano
probrosis verbis obruit episcopos,

mundi quisquilias stolide appellans;
seque oecumenica minabatur synodo
disceptaturum, furiose inclamans,
Papae interposito de his iudicio.
Mox ira omissa, mansuetus Caesar
praesulis opera byzantinae urbis
cum thessalo pastore pacem fecit,
illi concedens liberam sententiam.
Postremo id quoque dixit imperator,
frugi et prudentem virum non decere
aspere quicquam inhonestumque loqui,
nec turpia verba prorsus effutire:
atque in pastorem furere desivit.
Hic fuit dicti exitus negotii.
Tamen in synodo definitum fuit
ut e libellis prorsus delerentur
verba " sit anathema Mohamethis Deo ",
Sed scriberetur " Mohamethi anathema
" eiusque magisterio et omni errori ".
Atque hoc perscripto decreto patres
fecerunt coetuum synodique finem.
Postea Caesar gravi morbo implicitus
seque iam morti proximum cognoscens,
sceptrum contemnens splendoremq. mundi
praeteritaeque vitae iam paenitens,
pauperem induit monachi tuniculam;
moxque cum sceptro vitam deseruit
post annos regni octo et triginta,
sepultus sacro patris monasterio,
omnipotente cui nomen a Verbo,
Caesare auctore aedificii Iohanne.
Reliquit autem Manuel imperium
uxori et aevi teneri filiolo.

κόσμου τὰ μωρὰ τούςδε καλῶν ἀλόγως·
κἀπὶ μεγάλης δικάσειν συνόδου
πρὸς τούσδ' ἀπειλῶν ἐμμανῶς ἀνεκράγει
πάπα παρόντος τῶν προκειμένων χάριν·
ὅμως θυμοῦ λήξαντος, ὁ πρᾶος ἄναξ
σπουδῇ προέδρου τῆςδε τῆς Κωνσταντίνου,
τῷ Θετταλίας ἀρχιθύτῃ συνέβη,
ἐνδοὺς τά οἱ δόξαντα φάναι προθρόνως·
τέλος δ' ἐπειπὼν καὶ βασιλεὺς τοιάδε
ὡς δεῖ σοφόν τε συνετὸν πεφυκότα
μηδὲν παρακαίρως λαλεῖν θρασέως,
μὴ δὲ προβάλλειν ῥήματ' αἰσχρὰ καθάπαξ,
τῆς μανίας ἔπαυσε πρὸς τὸν ποιμένα·
οὕτω μὲν ἐξήνυστο τάδ' ὡς ἂν ἔφην·
τὰ δόγματα δ' ὥριστο τῆςδε συνόδου
ὡς τῶν βιβλίων ἀπαλειφθῆ παντάπαν
ἀνάθεμ' εἴη τῷ θεῷ τῷ Μωάμεθ·
ἀντεγγραφῇ δ' ἀνάθεμα τῷ Μωάμεθ
καὶ τῇ διδαχῇ τοῦδε καὶ πάσῃ πλάνῃ·
καὶ τοῦτο κυρώσαντες οἱ τῆς συνόδου
τῶν συνόδων λήγουσι καὶ τῶν συλλόγων·
περιπεσὼν δὲ βασιλεὺς δεινῇ νόσῳ
καὶ γνοὺς ἑαυτὸν πλησιάζοντα μόρῳ,
σκῆπτρα παριδὼν καὶ τὰ λαμπρὰ τοῦ βίου,
ἐλθών τε κακῶν εἰς συναίσθησιν ὅλων,
τὸ τῶν μοναχῶν ἀμφιέννυται ῥάκος·
εἶτ' ἀπολείπει τὸν βίον καὶ τὸ κράτος,
ὀκτὼ κατάρξας καὶ τριάκοντα χρόνους,
ταφεὶς πατρῴᾳ πρὸς μονῇ σεβασμίᾳ
κλῆσιν φερούσῃ παντοκράτορος λόγου,
ἥνπερ δομήτωρ βασιλεὺς Ἰωάννης.
γυναικὶ λιπὼν σὺν ἀώρῳ τεκνίῳ
κρατααρχίαν τε καὶ διοίκησιν ὅλων.

ANDRONICUS COMNENUS
CUM ALEXIO MANUELIS FILIO AN. I.
ET SOLUS AN. II.

Quum Manuelis filius ad imperium
cum sua dilecta matre pervenisset
teneram adhuc exigens aetatem,
romana res sua deque perturbata
pessime habebat valdeq. incomposite,
magis quam cum Phaëthon solis filius

ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ Ο ΚΟΜΝΗΝΟΣ ΣΥΝ ΑΛΕΞΙΩΙ
ΤΩΙ ΥΙΩΙ ΜΑΝΟΥΗΛ ΕΤ. Α
ΚΑΙ ΜΟΝΟΣ ΕΤ. Β.

Ἐπιβεβηκότος δὲ τῆς αὐταρχίας
παιδὸς Μανουὴλ σὺν τεκούσῃ φιλτάτῃ
ἁλικίαν ἄγοντος ἁπαλὴν ἔτι,
ἀκοσμίας πέπλησται ῥωμαίων πράγη,
καὶ πλημμελῶς ἔπασχε καὶ σφόδρ' ἀτάκτως,
καὶ χεῖρον ἤπερ Φαέθων παῖς ἡλίου

ὅτ' ἦν ἐπιβὰς χρυσοκολλήτου δίφρου
ὡς μῦθος αἱρεῖ ϗ τὸ πᾶν ἐφθαρκότος
ἁπαλότητι ϗ πλέον γ' ἀπειρίᾳ·
οὗτος γὰρ Ἀλέξιος ἁπαλὸς κράτωρ
κυνηγεσίοις προστετηκὼς ἀτόπως
ἱππηλασίαις ϗ μίμοις ϗ παιγνίοις
κοινῶν ὀλίγα φροντίδων γε προὐνόει·
μήτηρ δὲ πάλιν ϗ βασιλὶς Μαρία
φροντίδα κοινῶν ἀναθεῖσα πραγμάτων
πρωτοσεβαστῷ πρωτοβεστιαρίῳ
ἄφροντις ἐξήνυεν αὐτὴ τὸν βίον.
τοίνυν ἀπεπνίγοντο τοῖς τελουμένοις
οἱ τῆς γερουσίας τε ϗ τῶν ἐν τέλει,
πρωτοσεβαστὸν ὑφορώμενοι λίαν
ὡς ἀτεχνῶς τύραννον ἐκ τῶν πραγμάτων.
Κομνηνὸς δ' Ἀνδρόνικος οἰκήσεις ἔχων
ϗ διατριβὰς κατὰ χῶρον Οἰναίου,
ἐπεὶ πύθοιτο τοῦ κρατοῦντος τὸν μόρον,
ἐκεῖθεν ᾔει πρὸς πόλιν Κωνσταντίνου,
πάντας ἀπατῶν ϗ φενακίζων λόγοις
οἷς ἐντύχοι γ' ἄν, τοῖς δ' ἀποῦσι ϗ γράφων,
ὑπὲρ κρατοῦντος τὴν ἔλευσιν τιθέναι,
ϗ τὸν φυγεῖν κίνδυνον ἕρποντα θέλειν
ἄνακτι τῷδε τοῦδε τῇ συμμαχίᾳ·
ϗ τοῦ φυλάξαι βιβλίον τῶν ὁρκίων,
ὃ πρὸς βασιλεῖς ἦν ὀμωμοκὸς πάλαι,
ὅτε προσῆλθεν ἄνακτ' ἐκ τῆς Χαλδίας·
τοῦτον γὰρ Ἀνδρόνικον ὄντα φυγάδα
ἐθνῶν τε πολλῶν διαμείψαντα τόπους,
παρὰ δ' Ἀλτούχῳ τῷ κρατοῦντι Χαλδίας
τέλος καταλύσαντα ϗ πεπαυμένον
ἄλης τε πικρᾶς ϗ μακρῶν περιδρομῶν,
μετακαλεῖται Μανουὴλ αὐτοκράτωρ
ϗ δεξιοῦται δωρεαῖς φιλοφρόνως,
ϗ πρὸς πόλιν Οἰναίου στέλλει διάγειν,
ὅρκους πρὸς αὐτοῦ πρίν γε προσδεδεγμένος
ὀρθῆς πρὸς αὐτὸν ἀγάπης ϗ φιλίας·
ὅπερ τ' ἀπῆρεν, ὡς ἔφην, ἐξ Οἰναίου
Κομνηνὸς Ἀνδρόνικος Σίσυφος τρόπους
χώρας ἐπιστὰς τοῖς ὅροις Παφλαγόνων,
πολλοὺς ἐπισπάσατο πρὸς συμμαχίαν
ϗ συνερίθους τῆς ἑαυτοῦ κακίας,
μεθ' ὧν ἰδίων πάντα κυκῶν ἐστρόβει,
ϗ μᾶλλον ὅπερ προὐτίθει δελεατίῳ,
ὡς ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ νέου βασιλέως

aureum regens, veluti est in fabulis,
currum, mundana cuncta exurebat,
ob puerilem suam imperitiam.
Alexius hic tener imperator
assiduis vacans perdite venatibus
equitationi, mimis, et aliis ludicris,
tenuem reip. curam gerebat.
Maria item genitrix regina
negotiorum commisso regimine
protosebasto protovestiario,
expertem curis vitam agitabat.
Suffocabantur interim tributis ·
cuncti optimates ac senatores;
atq. suspectum magnopere habebant
protosebastum veluti tyrannum.
Comnenus autem Andronicus habitans
longa iam mora in Oenaeo oppido,
postquam rescivit de monarchae obitu,
illinc Byzantium coepit accedere,
omnes decipiens fallensq. sermonibus
praesentes verbis, litteris longinquos,
seque pro Caesaris salute adesse,
atq. ut periculum latens effugeret
novus monarcha per suum auxilium:
denique ut fidem tueretur datam
regiae domui, sacramento adhibito,
cum e Chaldaea redux ad aulam venit.
Hunc Andronicum enim qui exul fuerat
multasque gentium sedes permutaverat,
atque apud Altuchum Chaldaeae principem
postremo versabatur, ibique demum
finem molesti erroris cursuumq. fecerat,
Manuel imperator revocavit,
donisque exceptum perhumaniter
in Oeneo urbe hospitari iussit,
iuratum tamen antea promissum exigens
fore in officio ac fide permansurum.
Oeneo discessit posthinc, ut dixi,
comnenus Andronicus sisyphii moris,
atque Paphlagonum occupatis locis,
multorum sibi suppetias adiunxit
suaeque improbitatis socios fecit:
quibus stipatus cuncta perturbabat,
illa praesertim abutens fraude,
quod se pro novi Caesaris salute

cuncta fingebat agere atque dicere.
Sane protosebastus in odio erat
vulgoque detestabilis ob actus suos,
quoniam mortales cunctos despiciebat,
sibique uni remp. vindicabat:
nil enim erat in universo imperio,
quod huius potestati non pareret.
Quare cuncta metropolis spem salutis
in Andronico reponebat uno,
atque hunc tyrannidis appellabat vindicem,
et clandestinis invitabat litteris
ut ad regalem adventare urbem
omni seposito festinaret metu;
nam se prompto cives dicebant studio
urbanas illi portas aperturos.
Hos ille audiebat perlibenter nuncios,
iamque adfectabat manifeste tyrannidem
castellis occupandis ac provinciis.
Accessit etiam Nicaeam Bithyniae,
eamque blandis tentavit sermonibus;
sed illa verbis minime gessit morem,
eiusque fraudibus fuit insuperabilis.
Sed quum occupavisset Nicomediam,
eamque suis iam partibus adiunxisset;
missus est cum iusto copiarum numero
dux Andronicus cognomento Angelus
ut bello aperto hostibus resisteret:
qui cum eunucho Andronici congressus
duce copiarum paphlagoniarum,
rudium quamvis belli agricolarum,
turpiter profligatus Byzantium fugit.
Ergo cum victus redisset ad urbem,
ab eo pecuniam statim repetebant
cives, quam bello gerendo insumpserat:
quod aegre ferens maturavit fugam
cum sex armatis fortibusque liberis,
et semet recta ad Andronicum contulit:
qui roboratus Angeli praesentia,
aliosque omittens occupare locos,
cum Angelo Byzantium direxit iter:
et quum Chalcedonis esset in vicinia,
ibi tentorium fixit substititque.
Protosebastus haud potis Alexius
exercitu pedestri rebellem opprimere,
nauticis copiis resistendum censuit;

ἅπαντα καὶ δρᾶν μηχανῶτο καὶ λέγειν·
πρωτοσεβαστός δ' ἦν πάλιν μισητέος,
καὶ πᾶσιν ἀπόστοργος ἐκ δυσπραξίας,
ὡς τῶν καθ' αὑτὸν ὑπερόπτης τυγχάνων
καὶ βασιλείας ἀνέχων τὰς φροντίδας·
οὐδὲν γὰρ ὑπῆν τῆς ὅλης κραταρχίας
ὃ μὴ διεξήνυστο τοῦδε τῷ κράτει·
τῷ τοι πρὸς Ἀνδρόνικον ἅπασα πόλις
ἐλπίδας ἀνέτεινε τῆς σωτηρίας,
καὶ τόνδ' ἐκάλει τῆς τυραννίδος λύτην,
καὶ παρεκάλει γράμμασι λαθριδίοις
τὴν εἰς βασιλεύουσαν εἴσοδον πόλιν
καταταχῦσαι μηδένα δεδοικότα,
ἀλλ' ὑπτίαις ὅ φασι χερσὶν ἀσμένως
ἀναπετασόντων γε τῷδε τὰς πύλας·
ὁ δ' ἀσμένως μάλα καὶ τάδ' ἦν δεδεγμένος,
ἀεὶ δ' ἐχώρει πρὸς σαφῆ τυραννίδα,
χώραις ἐπιὼν φρουρίοις τε καὶ τόποις·
ἐπεὶ δ' ἐπέστη καὶ βιθυνῶν Νικαίᾳ,
καὶ τήνδ' ἑλεῖν ἔσπευδεν αἱμύλοις λόγοις,
οὐκ ἔσχεν αὐτοῦ τοῖς λόγοις πειθηνίαν,
ἀλλ' ἐμφανῶς ἦν ἀτίνακτος ἀπάταις·
ἀλλ' ὡς ἐπιβέβηκε τῆς Νικομήδους,
καὶ τήνδ' ἐπεσπάσατο πρὸς συμμαχίαν,
μεθ' ἱκανῆς ἔσταλτο ταξιαρχίας
στρατηγὸς Ἀνδρόνικος Ἄγγελος θέσιν
πρὸς ἀντιπαράταξιν ἅμα καὶ μάχην·
ὃς ἐκτομίᾳ συμπλακεὶς τοῦ Ἀνδρονίκου
ἐκ παφλαγόνων στρατιᾶς ἡγουμένῳ
καὶ γεωπονούντων ἀδαῶν ὅλως μάχης,
ἥττητο κακῶς καὶ τρέχει πρὸς τὴν πόλιν·
ἡττημένον γοῦν εἰσδραμόντα τὴν πόλιν,
χρήματ' ἀπῄτουν καταθέσθαι σὺν τάχει,
ὅσα πρὶν ἀνάλωσε πρὸς μάχας φθάσας·
ὅθεν λυπηθεὶς πρὸς φυγὴν εὐθὺς βλέπει
μεθ' υἱέων ἓξ ὁπλιτῶν ῥωμαλέων,
καὶ τῆς πρὸς Ἀνδρονίκου ἅπτεται τρίβου,
ὃς θάρσος ἄρας Ἀγγέλου παρουσίᾳ
πορθεῖν ἐάσας καὶ κατατρέχειν τόπους
εὐθὺ μετ' αὐτοῦ τῆς Κωνσταντίνου τρέχει·
καὶ δὴ πεφθακὼς πλησίον Χαλκηδόνος
σκηνὴν ἐκεῖ πήγνυσι καὶ παραμένει·
πρωτοσεβαστὸς δ' Ἀλέξιος οὐκ ἔχων
πεζῇ στρατιᾷ καθελεῖν ἀποστάτην,
τόνδ' ἀπελάσαι δεῖν κρίνει ναυμαχίᾳ·

πλείστας τριήρεις τοιγαροῦν ἐξαρτύσας,
ϗ ταῖσδε καλύψας γε τὴν Προποντίδα,
ϗ τὸν μέγιστον κοντοστέφανον Δούκαν
δείξας στολάρχην τοῦ στόλυ ϗ προστάτην,
πρὸς τὴν κατ᾽ ἐχθροῦ δυσμενοῦς πέμπει μάχην,
ἢ ϗ φυλακὴν τῆσδε τῆς Κωνσταντίνυ·
μετὰ βραχὺ δὲ πρέσβις ἐκ βασιλέως
σταλεὶς πρὸς Ἀνδρόνικον ὁ Ξιφιλῖνος
εἷς τῶν ἀρίστων ἐντρόφων ἐκκλησίας
ἐπαγγελίας ἀφθόνων δωρημάτων
αὐτῷ προσῆγεν ἀξιῶν τε μειζόνων
εἰ σκέμμ᾽ ἀφεικὼς τὸ προκείμενον τάχος
παλίνδρομος γένοιτο χωρὶς αἱμάτων·
ὁ δ᾽ οὐ προσέσχεν· ἐμβριθῶς δὲ μανύει
παραινέσει δ᾽ ὥς φασι τοῦ Ξιφιλίνυ,
ὡς εἴ περ Ἀνδρόνικον ἀθρῆσαι θέλεις
πάλιν ἐπανήκοντα σὺν ἡσυχίᾳ,
πρωτοσεβαστὸν ἀπέλασον ἐκ μέσυ,
ϗ πλημμελείας εὐθύνας ἐκτινύτω.
σὴ δ᾽ ἡ τεκοῦσα βασιλὶς, ἄναξ, πάλιν
κατὰ μοναχοὺς τὴν τρίχα κειραμένη,
βίον βιούτω καθ᾽ ἑαυτὴν ὡς δέον.
σὺ δ᾽ ὡς πατρῴα διαθήκη βούλεται
κληροῦχος ὢν ἄνασσε τῆς κρατραρχίας·
οὔπω παρῆλθον ἡμέραι συχναὶ πάνυ,
ϗ παραλαβὼν τὰς τριήρεις δοὺξ μέγας
χωρεῖ πρὸς Ἀνδρόνικον ἀπτέρῳ τάχει·
ϗ τοῦτ᾽ ἐπῆρε τοῦ τυράννυ τὸ θράσος,
πρωτοσεβαστὸν δ᾽ ἠφάνισε καθάπαξ.
τοίνυν ἀποστὰς τοῦδ᾽ ἅπας τῶν ἐν πόλει
βαλών τε τοῖς σκώμμασιν ἀγεννῶς,
προστίθεται δὴ φανερῶς ἀποστάτῃ,
ϗ τοῦδε γῆρας ϗ φυὴν ἦν σεμνύνων·
πρὸς τοῖς δ᾽ ἀνεῖντο παῖδες εἱρκτῆς ὡς τάχος
αὐτοῦ τυράννυ ϗ κατακλείστων σμῆνος·
καθείργνυται δὲ, φεῦ τῆς τύχης τῆς ἀστάτυ,
πρωτοσεβαστὸς ἐν μέσοις ἀνακτόροις,
ϗ σβέννυται δὲ τὰς κόρας τῶν ὀμμάτων,
Ἀνδρονίκυ κρίναντος ὧδ᾽ ἀποστάτυ,
μετὰ φαεινῶν προκρίτων γερυσίας·
ὅστις ἀφῖκε πρὸς πόλιν βασιλίδα
ϗ τῷ βασιλεῖ προσκύνησιν προσνέμει
βαθεῖαν, εἰς γῆν τανυσθεὶς ϗ δακρύων·
κοινῶν ἔπειτα πραγμάτων δεδραγμένος
ἐκράτει τοῖσδε καθὰ οἱ δεδογμένον·

Cum ergo plurimas instruxisset triremes
ita ut totam implerent Propontidem,
et contostephanum maximum Ducam
scholarcham creavisset summumq. ducem,
iussit cum hoste inviso decertare,
vel certe byzantinam tutari urbem.
Paulo post missus legatus a Caesare
ad Andronicum ivit Xiphilinus,
unus illustrium ecclesiae alumnorum,
ipsi oblaturus plurimam pecuniam
et dignitatum titulos summarum,
si, quod susceperat, omisso molimine
statim incruentus retro cederet.
Rennit, ac superbe respondit ille,
ut fama est hortante Xiphilino:
si quidem, Caesar, Andronicum aves
retro pacifice cedentem cernere,
protosebastum loco depelle,
criminumque poenas ab eo reposce.
Praeterea regina parens tua
monacharum instar uttonsa comam
vitam, ut par est, solitariam degat:
tu vero, ut est in patris supremis tabulis,
heres imperii regnato legitimus.
Pancis deinde elapsis diebus
dux magnus sumptis secum triremibus
ad Andronicum celeri cursu fugit:
quae res tyranni extulit audaciam,
protosebastum autem prorsus fregit:
passimque populus in urbe rebellans
hunc impudenter adpetebat conviciis,
apostataeque partibus adhaerebat,
eius demirans formam et senectam.
Insuper filii liberantur carcere
tyranni eiusdem, aliique plurimi:
clauditur autem, o fortunae inconstantia!
protosebastus regio in palatio,
eique lumen oculorum extinguitur,
sic decernente Andronico rebelle
cum splendidorum procerum corona.
Tum ipse ad urbem adventavit regiam,
regique humile obtulit obsequium,
humi prostratus, lacrimas profundens.
Exin correptis reipublicae habenis,
coepit ad arbitrium cuncta suum gerere.

Et regem quidem occupabat venatibus
astutus homo et lusibus idoneis
custodia septum vigili et malivola:
ipse regendi imperii suscepit curam;
mortalium dira erinnys, cruentus canis,
maleficus Andronicus, proh calamitas!
ac manifestam invasit tyrannidem.
Et praemiis quidem ornavit eximiis
cum alios multos tum apprime Paphlagonas
qui rebellanti sibi auxilium tulerant:
ac dignitates splendidas sublimes
amicis suis attribuit et noxae sociis.
Illustres autem viros et stirpe nobiles
partim iniusto carcere conclusit,
partim domo, cognatis, patria procul
nullius pepulit criminis convictos,
alios denique oculis privavit.
Ergo ubique miseria, ubique dolor,
suspiria ubique, lacrimae, eiulatus.
Nam properabat Andronicus homines
(breviter ut dicam) tollere de medio
vel genere conspicuos, vel consilio
vel forti manu praeditos vel prudentia;
videlicet ut tute, remoto obice,
regium genus funditus extereret.
At Manuelis Sultanus morte cognita,
Sozopolim occupavit aliasque urbes,
et Cotyaeam arcem armata manu:
insuper terras Romanorum proximas
plurimas sibi vindicavit bellans.
Nec vero interea minus laborabant
per Asiam pagi rustici multaeque urbes
civili seditione cum variis caedibus.
At enim callidus Andronicus volens
studiosus regis ac peramans videri,
a patriarcha mox coronari iussit
imperatorem Romanorum Alexium,
quem ipse propriis humeris ut regem extulit
sublimem in suggestum cum fictis lacrimis:
quamobrem vulgo est creditus patre melior,
regisque adulescentis tamquam tutor:
sed enim hunc proiecit mox in barathrum,
ut David ait alicubi rex fatidicus.
Iam postquam omnes sustulit e medio,
mente agitabat sedula quotidie

κυνηγεσίοις βασιλεῦ προσανέχειν
ἐνδοὺς ὁ δεινὸς παιδιαῖς τε προσφόροις
μετὰ φυλάκων δυσμενῶν κατασκόπων·
αὐτὸς ἀνεζώσατο κοινῶν φροντίδα
βροτῶν ἐριννὺς ϗ φιλαίματος κύων,
ῥέκτης τε κακῶν Ἀνδρόνικος, ὢ πάθους,
ϗ φανερῶς ἥψατο τῆς τυραννίδος·
ἀμείβεται μὲν δωρεαῖς ἀβραῖς πάνυ
ἄλλους τε πολλοὺς ϗ πλέον παφλαγόνας
τοὺς τῷδε συμπράξαντας ἀποστασίαν·
τιμᾷ δὲ λαμπραῖς ϗ μεγάλαις ἀξίαις
οὓς εἶχε πιστοὺς ϗ συνεργοὺς κακίας·
ἀνδρῶν ἐριτίμων δὲ ϗ λαμπρῶν γένει,
οἱ μὲν φυλακαῖς ἐγκαθείργνυντ' ἀλόγως,
οἱ δ' οἰκίας τε συγγενῶν ϗ πατρίδος
μακρὰν ἀπηλαύνοντο χωρὶς αἰτίας,
ἄλλοι δ' ἀπεσβέννυντο λύχνους ὀμμάτων,
ϗ πάντα μεστὰ συμφορᾶς ἦν ϗ πάθους
πλήρη δακρύων ϗ στεναγμῶν ϗ γόων·
ἔσπευδε ϗ γὰρ Ἀνδρόνικος ἐκ μέσου,
ὡς συντεμὼν εἴποιμι, θεῖναι ταχέως
προύχοντας ἄνδρας εὐγενεῖς βουληφόρους
ῥώμῃ διαφέροντας ἢ ϗ συνέσει
ὡς δ' ἀδεῶς τε κωλύμης πάσης δίχα
ἄρδην τὸ βασίλειον ἐκτρίψῃ γένος.
Ὁ δ' αὖ σουλτάνος, Μανουὴλ γνοὺς τὸν μόρον,
κατέσχε Σωζόπολιν, ἄλλας τ' αὖ πόλεις,
ϗ τὸ Κοτυάειον ἄστυ τῇ μάχῃ·
ῥωμαϊκὰ δὲ ϗ πρόσοικα χωρία
πλεῖστα παρεστήσατο τῷ μάχης νόμῳ·
ἔπασχον οὐχ ἧττον δὲ δυστυχεστάτως
ἀσιαναὶ κῶμαι τε ϗ πολλαὶ πόλεις,
ἐξ ἐμφυλίου στάσεως φθισιβρότου·
εὔνους βασιλεῖ ϗ φιλόστοργος θέλων
δοκεῖν πανοῦργος Ἀνδρόνικος τυγχάνειν,
χερσὶ στεφθῆναι ποιμένος σπεύδει τάχει
τὸν Ἀλέξιον αὐτοκράτορ' αὐσόνων,
ὅντιν' ἐπ' ὤμων ὡς ἄνακτα βαστάσας
ἐπ' ὀκρίβαντος ἀνάγει δακρυχέων,
ὅθεν τισὶν ἔδοξε πατρὸς βελτίων,
ϗ κηδεμὼν εἶναι τοῦ ἄνακτος νέου·
ὕστερον δὲ τόνδε κατέρραξεν εἰς χάος
ὥς που μελῳδεῖ Δαβὶδ ὁ προφητάναξ·
μετὰ δὲ τὸ ξύμπαντας ἐκ μέσου δρᾶσαι,
ὡς κυριεύων τῆς ὅλης κραταρχίας

ϗ τήνδε καθὼς ἐσκόπει διεξάγων,
ἀνεμπολῶν ἣν κατὰ νοῦν ἐσημέραι·
ϗ πρῶτα μὲν, φεῦ τῆς ἀπανθρώπου δίκης,
μόρον κατακέκρικεν ἄδικον πάνυ
τῆς βασιλίσσης αἰτίας ἀναπλάσας,
ἣν ἀπαγαγὼν πνιγμονῇ πικρᾷ βίου,
σῆς ἀνοχῆς εὔσπλαγχνε Χριστέ μου λέγω,
ψάμμῳ κρυβῆναι τῆσδε νεκρὸν ἀτίμως
ἀκταῖς κελεύει τῆς θαλάσσης ὡς τύχοι·
σπουδῇ δ' ἔπειτα φρατρίας Ἀνδρονίκου,
συμβασιλεύειν Ἀνδρόνικος προὐκρίθη
νέῳ βασιλεῖ ϗ κράτος συνδιέπειν·
ϗ καταλαβὼν τὸν θεοῦ μέγαν δόμον
ϗ ταινιωθεὶς ὡς ἔθος στεφηφόροις,
ἄρτον δνῆσαν οὐράνιον λαμβάνει·
ϗ κατὰ φρικτῶν ὀμνύει μυστηρίων
ἦ μὴν φυλάξειν τῷ νέῳ στεφηφόρῳ
πίστιν ἀκραιφνῆ, ϗ νεμεῖν τοῦδε κράτει
τὴν δυνατὴν σύναρσιν ὡς πατὴρ φίλος·
ἐπεὶ δ' ἔσω γένοιτο τῶν ἀνακτόρων
ἀναγορευθεὶς βασιλεὺς αὐτοκράτωρ
ὕφορμος Ἀνδρόνικος αἱμύλος φύσει,
μνήμην φέρων ἄναυλον ὁρκίων ἔτι
ὡς θὴρ ἐφορμᾷ τῷ νέῳ στεφηφόρῳ,
ϗ τόνδ' ἐθοινήσατο φεῦ οἰκτροῦ πάθους·
τόξου γὰρ αὐτὸν πνιγμονῇ νευρᾶς νύκτωρ
βίου παρόντος δυστυχῶς ὑπεξάγει,
ἐπισπευσόντων τῶνδε τινῶν ἀδίκως·
ϗ σῶμα μὲν δίδωσι θαλάττης βάθει,
τὴν δ' αὖ κεφαλὴν σώματος τετμημένην
ἐν παραβύστῳ καταποντίζει (a) τόπῳ·

Οὕτως Ἀλεξίου δὲ λιπόντος βίον
Ἀνδρόνικος μόναρχος ὤφθη τοῦ κράτους,
πολιὸς ἀνὴρ, ἀποφρὰς, κακῶν ῥέκτης,
ἀνδρῶν ἐριννὺς ϗ φιλαίματος κύων,
δράκων δαφοινὸς, σκορπίος βροτοκτόνος,
κακόν τι τερμέριον, ᾅδης παμφάγος,
στὺξ συμφορῶν γέμουσα δακρύων γόων,
φέναξ, σοβαρὸς, ἀγέρωχος τὸν τρόπον,
ἀπατεὼν, θὼψ, ποικίλος, χαμαιλέων,
ὁ καθ' ἑαυτὸν ὀργιλώτατος γέρων,
ϗ μισοφαὴς δυσμενὴς ὑπηκόοις,
δήμιος ἀνδρῶν εὐγενῶν ἀριστέων,
ϗ βασιλείου τοῦ γένους ἀναιρέτης·

(a) Cod. κατακοντίζει.

quo pacto totum raperet imperium
proque suo voto gereret ac libito.
In primis igitur, o diram sententiam!
morte reginam damnat iniustissima
criminibus confictis, eamque laqueo
crudeli suffocatam, vita spoliat:
atque, o patientiam Christe bone tuam!
arena iubet obrui cadaver
marino abiectum littore sine honore.
Mox coniuratae suae factionis studio
socius imperii Andronicus dicitur,
ut iuvene cum rege rem summam gereret.
Igitur progrediens in templum maximum,
more sollemni, redimitur stemmate,
atque caelesti rite pane vescitur:
ibique formidandis in mysteriis
iurat se fidem adulescenti regi
immotam servaturum, eiusque imperio
pro viribus fauturum, ut patrem decet.
Deinde regium ingressus palatium
acclamatusque rex et imperator
perfidis Andronicus blanditiis usus,
recentem sacramenti memoriam gerens,
ilico regem iuvenem adgreditur,
eumque mactat, proh lugubre facinus!
Etenim arcus nervo noctu strangulat,
sicque infelicem vitae imponit finem,
usus ad id quorumdam iniquo officio.
Et corpus quidem mergit profundo mari,
avulsum autem cervicibus caput
secreto loco sepeliendum curat.

Sic ergo Alexio deserente vitam,
solus imperium tenuit Andronicus,
vir canus, detestandus, et maleficus,
civium erinnys, caedique anhelans canis,
draco cruentus, scorpiusque letifer,
horrendum monstrum, orcus insatiabilis,
styx plena miseriis, gemitibus, lacrimis,
dolosus, tetricus, moribus superbis,
deceptor, adsentator, versipellis, varius,
senex suorum temporum furiosissimus
lucifugus, et in subditos ira plenus,
natorum loco nobili virorum carnifex,
denique regiae extinctor prosapiae.

Qui summo rerum occupato imperio
Alexii sponsam sibi nuptiis iunxit
scelere manifesto scortator senex.
Quin sacramenti Manueli praestiti
a patriarcha petiit atque episcopis
absolutionem: qui servientes gratiae
pro suo ligandi solvendique arbitrio
divinitus concesso, dederunt veniam,
tam gravi sacramento solventes senem:
ridiculumque retulerunt praemium,
nempe ut cum ipso interdum considerent.
Hoc exercente, ut diximus, tyrannidem,
a Romanorum defecere imperio,
propterea quod tyranno parere nollent,
urbes Bithyniae Prusa et Nicaea.
Igitur Andronicus instructo exercitu
statim Nicaeam pergit iram spirans,
quam nitebatur capere moenia quatiens,
et machiniis et vario pugnae genere.
Nec tamen bene evenit oppugnatio,
sed firma urbs perstabat atque incolumis
machinas contra telorumque nimbos.
Sed regi demum, acceptis conditionibus,
cessit, ad pristinum ordinem revertens
Nicaea pulchris domibus turribusq. instructa.
Tunc Prusam Andronicus castra transtulit
exercitu cum valido, structisque vineis,
et vallo circumiecto, variisque machinis,
urbem summis viribus conabatur capere.
Sed tamen illa resistebat fortiter,
propulsabatque machinas et adgressiones.
Sic pugnabatur ab utroque exercitu
saepe repetitis per diem proeliis,
bellumque longo trahebatur tempore.
Postremo laborasset cum murus leviter,
subrutum cives prorsus crediderunt,
et mox ruinam tracturum extremam:
quae res bellantium intus resolvit manus,
mortaliaque animos pulsavit metu.
Tunc obsessores, repugnante nemine,
in urbem irrumpebant studio alacri
superabantque appositis moenia scalis.
Porro Andronicus ipse in urbem irruit
ceu violenta fera leoque rugiens,
suaeque irae et gladio, proh dolor! cives

ὃς παραλαβὼν τὴν ὅλων αὐταρχίαν,
μνηστῇ συνήφθη πρὸς γάμους Ἀλεξίου
λίαν ἀθέσμως φιλόπορνος ὢν γέρων·
ἐκλιπαρεῖ δὲ πατριάρχην ποιμένας
τῶν πρὸς Μανουὴλ ὁρκίων λαβεῖν λύσιν·
οἱ δ' ὡς τὰ πάντα πρὸς χάριν ϗ θελίαν
δεσμεῖν τε λύειν πρὸς Θεοῦ δεδεγμένοι,
ἀμνηστίαν ἔνειμον ἠνομημένων,
ϗ λύσιν ὅρκων δυσλύτων τῷ πεμπέλῳ·
ϗ φαῦλον ἔσχον ἀντιμισθίαν γέρας,
σφᾶς συνεδρεύειν οἱ τύχοι καθημένῳ.
Τούτου τυραννήσαντος, ὡς ἔφη λόγος,
ἀποστατοῦσι τοῦ κράτους τῶν Αὐσόνων
εἴκειν τυράννῳ μὴ θέλουσαι πρὸς βίαν,
Προῦσα τε ϗ Νίκαια Βιθυνῶν πόλεις·
στρατιὰν οὐκοῦν Ἀνδρόνικος ὁπλίσας,
εὐθὺ Νικαίας ἵεται θυμοῦ πνέων,
ϗ τήνδ' ἑλεῖν ἔσπευδε τειχομαχίαις
ϗ μηχαναῖς γε ϗ μάχαις πολυτρόποις·
οὐδὲν πλέον δ' ἤνυεν εἰς τὴν μάχην,
ἀλλ' ἦν ἀσινὴς ἀτίνακτος ἡ πόλις,
ταῖς μηχαναῖς τε ϗ βελῶν ταῖς νεφάσιν·
ὅμως ὑπείκει βασιλεῖ συμφωνίᾳ,
ϗ τὴν πρὶν ἀπέλαβε τάξιν ἐννόμως.
Νίκαια καλλίπυργος εὖ ᾠκισμένη·
ἐφίστατο δὲ ϗ Προυσαέων πόλει
μετὰ στρατιᾶς βασιλεὺς ῥωμαλέας·
ϗ χάρακα θεὶς τειχομαχίαις ὅλαις
ϗ μαχαναῖς ἔσπευδε καθελεῖν πόλιν·
ἀλλ' ἡ πόλις ἦν ἀντέχουσ' ἐρρωμένως,
ϗ μηχανὰς λύουσα ῥᾷστα ϗ μάχας·
ϗ συμπλοκαὶ δ' αὖ ἐξ ἑκατέρου μέρους
πολλάκις ἦσαν ἡμέρας πεπραγμέναι·
ϗ τοῦτ' ἐπὶ μήκιστον ἐδρᾶτο χρόνον·
τέλος λεπτυνθέντος δὲ τείχους βραχύ τι
ϗ τὸ σεσεῖσθαι δόξαν ἀστοῖς εἰσάπαν
κλίσιν τε παθεῖν ἐμβαλόντος ἐσχάτην,
πᾶς τις μαχητὰς ἔνδον ἀνεῖθη χέρας,
ἐναποθανὼν παραβραχὺ τῷ δέει·
ἐντεῦθεν εἰσήλασαν ἔνδον εἰς πόλιν
οἱ τήνδ' ἑλεῖν σπεύδοντες ἄνευ κωλύμης,
χρησάμενοι κλίμαξι πρὸς συνεργίαν·
ὁ δ' Ἀνδρόνικος εἰσπεπαικὼς εἰς πόλιν
ὡς ἄγριος θὴρ ὡς λέων βρυχητίας,
πάντας παρανάλωμα θυμοῦ ϗ ξίφους

μικροῦ κατειργάσατο φεῦ τοῦ πάθους·
τοὺς μὲν παρεδοὺς πικροτάτῳ θανάτῳ,
τοὺς δὲ στερήσας τοῦ φάους τῶν ὀμμάτων·
ὧν δ' αὖ πόδας τέτμηκεν ἄμφω πρὸς βίαν,
καὶ χεῖρας ἄλλων, αἱμοχαρὴς καρδία·
οὓς δὲ στερεῖ φάους τε καὶ τῶν δακτύλων
ποδῶν πάλιν ἄλλους τε καὶ τῶν ὀμμάτων·
Θεόδωρον δ' Ἄγγελον, οἰκτίστου πάθους,
ἠΐθεον κάλλιστον ἄνδρα γεννάδαν
ἐξ ὀμμάτων θεὶς δυσαυάλγητος γέρων,
ὄνῳ τ' ἐπιθεὶς εὐτελεῖ πομποῦ δίχα,
γῆς ῥωμαϊκῆς ἀπελαύνει μακρόθεν·
ἀλώμενον τοῦρκοι δὲ τόνδ' εὑρηκότες
ἀπαγαγόντες εἰς ἑαυτῶν οἰκίας
ἐπιμελείας ἀξιοῦσιν ἀξίας.
Λέοντα δ' αὖθις Συνέσιον τοὐπίκλην,
καὶ τὸν Λαχανᾶν Μανουὴλ ἄνδρας ξένους
μετὰ δεκάδος τετραπλῆς κοσμμένης
ἀνδρῶν ἀρίστων, εὐγενῶν ἀριστέων,
οἰκτρῶς ἀπαιώρησε δένδρων τοῖς κλάδοις
παραπεφυκότων γε Προυσαίων πόλει·
ποιναῖς δ' ἀπηνῶς ὑποβαλὼν μυρίαις,
ἐκεῖθεν ἧκε πρὸς Λοπάδιον πόλιν,
κἀκεῖ παραπλήσια τοῖς πρὶν δράσας,
ἐπισκόπων ἕνα τεθεὶς ἐξ ὀμμάτων
οὐκ εὐαφόρμως ἀλλὰ συνθεὶς αἰτίαν,
πρὸς τὴν βασιλεύουσαν ἔρχεται πόλιν,
γαυρούμενος καδμείᾳ δυσκλεῶς νίκῃ,
γαννύμενος θ' αἵμασι τοῖς ἐμφυλίοις·
ἦν Ἀνδρονίκῳ καὶ θρασὺς ὑπηρέτης,
ὅμοιος ὡς λέγουσι παραπλησίῳ,
θερμουργὸς, αἰσχρὸς, ἐποφρὰς, μιαιφόνος,
προαιρέσει σύμμορφος αὐτοῦ δεσπότῃ,
τῶν συμφορῶν ὄργανον, ἀνὴρ αἱμάτων,
πλήρης κακίας καὶ χόλου καὶ πικρίας,
ἀκαμπὲς ἀμείλικτον ἦθος εἰσφέρων,
καλούμενος Στέφανος ἐξέτι νέου,
ὁ ὕβρεως στέφανος αἰσχύνης ἅμα,
ἐπώνυμον δ' ἁγιοχριστοφορίτης,
ἢ μᾶλλον εἰπεῖν ἀντιχριστοφορίτης·
τούτῳ βασιλεὺς ὀργάνῳ κεχρημένος
πλείστους ἀνῄρει, κατέλευεν, ἠδίκει·
δι' οὗ γε κατέλευσεν ἀδίκῳ κρίσει,
καὶ δοῦκαν Ἀνδρόνικον σὺν Μακροδούκᾳ,
ἄνδρας ἀρίστους εὐγενεῖς στρατηγίτας·

cunctos propemodum consumendos tradidit.
Atque alios quidem diro supplicio enecuit,
aliis extinxit lumen oculorum
aliis utrumque pedem abscidi iussit,
at manus aliis, heu sanguinarium animum!
Hos oculis digitisque privavit simul,
illos vicissim pedibus atque oculis.
At Theodorum Angelum, heu diram poenam!
adulescentem nobilem et pulcherrimum
effossis oculis senex crudelissimus
asino vili imposuit absque duce,
romanisque finibus procul expulit;
quem errabundum invenientes Turcae
suis receperunt domibus et hospitio,
et qua par erat confoverunt cura.
Leonem item cognomine Synesium
et Manuelem Lachanam egregios viros,
cum quadraginta circiter ornatissimis
deque primaria nobilitate hominibus
miserabiliter ramis suspendit arborum
quae circa urbem Prusam germinabant.
Sic post inflictas quamplurimis poenas,
illinc ad urbem transiit Lopadium,
ibique pari grassatus saevitia,
excaecatoque etiam uno episcopo,
non quasi temere, sed conficta causa;
ad principalem urbem pedem retulit,
gaudens cadmea misere victoria,
atque civili sanguine fuso gestiens.
Habebat Andronicus audacem famulum
similem prorsus, ut aiunt, suo simili,
acrem, audacem, turpem, sanguinarium,
seque studiose conformantem domino;
malorum instrumentum, cruentum virum,
plenum malitia acerbitate bile,
immiti rigidaque natura praeditum,
Stephanum, id est coronam, a puero dictum,
coronam nempe infamiae et contumeliae;
martyris quidem nomen prae se ferentem,
sed Antichristi opera patrantem.
Hoc Andronicus instrumento utens
plurimos laesit, mactavit, lapidavit.
Per hunc iniuste lapidavit etiam
Andronicum Ducam cum Macroduca,
viros egregios nobilesque duces.

Nam cum in regia extra muros domo
Mangane dicta imperator degeret,
atque illuc plurima plebis infinitae
ipsius iussu turba coacta esset,
producti sunt in publicum ex iis domibus
duo praedicti viri ad supplicium,
perque omnium manus sunt lapidati,
caedis faciente initium iniquae Stephano,
atque ad cruentum facinus exhortante.
Deinde extinctos, o crudele facinus!
lignis suspenderunt e regione urbis.
His se oblectabat immanibus operibus
suppliciis inhumanis et execrandis
et exitiosis actibus quotidie
crudelis Andronici ingenium pessimum.
Hoc imperante urbe Thessalonica,
nobilis illa gloriosa civitas
thessalicarum urbium regina
heu Siculorum capta est exercitu,
et in barbaricum cessit dominatum.
Etenim quidam comnenus Alexius
pessimus homo patriaeque exitium
ab Andronico relegatus in Scythiam,
profugus exul venit in Siciliam,
atque latinum insolae tyrannum
conveniens, atque admissus ad colloquium,
hunc Andronici tanto inflammavit odio,
ut congregatis copiis innumeris
nauticis et pedestribus rex Siciliae
contra romanas expediret terras;
equestres quidem Epidaurum copias,
nauticas autem ad Thessalonicam.
Et Epidaurum quidem virtute bellica
cepit terrestris miles cum vicinia;
populatusque terras interpositas
cursu pervenit illinc ad classem suam
Thessalonicae in finibus expectantem.
Utroque igitur concorrente exercitu
a continente terra nempe ac mari,
et quaquaversus urbem circumdante,
heu heu capta est Thessalonica civitas,
illa, inquam, Macedonum metropolis,
et Siculis coacta cervicem flexit.
Deinceps quantas malorum iliadas
calamitatum tragoediaeque pelagus

τειχῶν γὰρ ἐκτὸς ἐν βασιλείοις δόμοις
ἄνακτος ὄντος Μαγγάνη κεκλημένοις,
ὁρμῆς τε πλείστης συνδρομῆς παντὸς γένους
ἐκείνου προστάγματι συνηθροισμένου,
ἐξάγεται δὴ τῶν ἐκεῖ πως δωμάτων
ἀνδρῶν λεχθεῖσα δυὰς ὡς θανουμένη,
καὶ παρὰ πάντων λιθολευστεῖται τάχος,
Στεφάνου κατάρχοντος ἀνόμου φόνου,
καὶ πάντα θαρρύνοντος εἰς φονουργίαν·
εἶτα νεκροὺς σφῶν, ὦ μισανθρώπου τρόπου,
ξύλοις ἀπῃώρησαν ἄστεος πέραν·
τοιοῖσδ' ἐνησμένιζεν ἔργοις ἀτόποις
ποιναῖς ἀπανθρώποις πράξεσιν ὁσημέραι
καὶ θανασίμοις τε καὶ στυγητίαις
φονουργὸς Ἀνδρονίκου ἡ φαύλη φύσις·
Τούτου κρατοῦντος Θεσσαλονίκη πόλις,
πόλις περιώνυμος ἀρίστη κλέος
πρόεδρος οὖσα θετταλικῶν ἀστέων
φεῦ φεῦ ἑάλω σικελικῇ ὁμαιχμίᾳ
καὶ βαρβαρικῷ κατεδουλώθη κράτει·
Ἀλέξιος γὰρ ἐκ Κομνηνῶν τις γένους
κάκιστος ἀνὴρ καὶ φθορεὺς Ῥωμαΐδος
παρ' Ἀνδρονίκου φυγαδευθεὶς εἰς σκύθας,
φυγὰς ἀπαίρει πρὸς Σικελίαν τρέχων,
καὶ τῷ τυραννοῦντι τῆσδε λατίνῳ
εἰς ὄψιν ἐλθὼν εἰς ὁμιλίαν λόγων
ὡς εἶχεν ἐξέμηνε κατ' Ἀνδρονίκου·
ὅθεν στρατιὰν εὐτρεπίσας μυρίαν
πεζόν τε ναυτικόν τε ῥὴξ Σικελίας
ἐπὶ πόλεις πέπομφε χώρας τ' αὐσόνων·
ἐπὶ μὲν Ἐπίδαμνον, στρατὸν ἱππέων·
τὸν ναυτικὸν δὲ κατὰ Θεσσαλονίκης·
καὶ τὴν μὲν Ἐπίδαμνον ὡς νόμος μάχης
στρατὸς κατέσχε, καὶ σὺν αὐτῇ τὰ πέριξ·
καὶ διαδραμὼν καὶ σκυλεύσας τὰν μέσῳ,
ταῖς ναυτικαῖς μέμικτο ταξιαρχίαις,
Θεσσαλονίκης προσμενούσαις τοῖς ὅροις·
καὶ συνδραμούσης στρατιᾶς ἑκατέρας
καθ' ἅλα κατ' ἤπειρον εἰς ὁμαιχμίαν,
καὶ προσβαλούσης τῇ πόλει πανταχόθεν,
φεῦ φεῦ ἑάλω Θεσσαλονίκη πόλις,
πόλις προεδρεύουσα τῶν Μακεδόνων,
καὶ σικελοῖς ἔκλινε πρὸς βίαν κάραν·
καὶ λοιπὸν οἵας τῶν κακῶν ἰλιάδας,
καὶ συμφορῶν πέλαγος ἢ τραγῳδίας

πέπονθεν εἶδεν ἀθλίως αὕτη πόλις,
οὐκ ἐκτραγῳδήσειεν ἄν τις ἀξίως·
τῶν σικελῶν γὰρ εἰσρυέντων εἰς πόλιν,
ἡβηδὸν ἐσφάττοντο πάντες τῷ ξίφει·
ἄλλοι δὲ πάλιν ἐσκυλεύοντ' ἀθλίως·
γυναῖκες ὑβρίζοντο παρθένοις ἅμα,
καὶ πᾶς ναός τις παρθένων τε καὶ δόμος
τῶν ἔνδον ἠρήμωτο πάντων πρὸς βίαν·
πᾶσα δ' ἀγυιὰ καὶ στενωπὸς καὶ τρίβος
αἱματοφύρτοις ἦν πεχραμένη λύθροις,
καὶ νεκριμαίων σωμάτων πεπλησμένη·
πανταχόθεν γοῦν δάκρυα, θρῆνος, γόος,
καὶ κώκυτός τις, καὶ τραγῳδία ξένη,
ἵνα καθάπαξ συνελὼν τὸ πᾶν φράσω,
καὶ συμμιγὰς θροῦς ἀνεπέμπετ' ἀθρόον·
τοιοῖσδ' ἐνετρύχετο κακοῖς ἡ πόλις·
ὁ δ' Ἀνδρόνικος τῶν κακῶν οὐκ ἠμέλει·
ἀλλ' οἷα δοῦλος ἀτεχνῶς ἐριννύων
ἢ τελχίνων ὢν δαιμόνων ὑπηρέτης,
ἔχων ἀπηνὴς Ἔχετος ἢ Καμβύσης,
ἢ Φάλαρις ἄγριος ἢ ταυροσκύθης
ὑπηκόους πάντας ἐκρεανόμει τάλας·
ὁμαίμονας μὲν Σεβαστιανοὺς δύο
κακῶς ἀναρτῇ καὶ θανατοῖ τῷ ξύλῳ.
Ἀλέξιον δὲ Μανουὴλ παῖδα νόθον
ὃν εἶχε γαμβρὸν εἰς θυγατέρα νόθην,
ἐξ ὀμμάτων τίθησιν ἀδίκῳ δίκῃ,
καὶ τῶν ὑπ' αὐτὸν ἐκτυφλοῖ τοὺς βελτίους·
ἕνα δὲ τὸν Μάμαλον ὑπογραφέων
πυρὶ παραδέδωκεν ἐν τῷ σταδίῳ·
καὶ Τρίψυχον δ' αὖ, ὡς ἐπαινῶ σ' ὦ δίκη,
ὃς ἔδρασεν χείριστα πολλοὺς ἀδίκως,
ἔθηκε τυφλὸν μὴ βλέποντα φωσφόρον·
ὡς ἐν κεφαλαίῳ δὲ καὶ βραχεῖ φάναι,
ἐφ' ἡμερῶν τούτου γε Τίμωνος τρόπων,
θλίψις, ὀδύνη, συμφορῶν μυρμηκία
πάντας κατεῖχε, συνοχή τε δακρύων,
καὶ χαλεπῶν σύῤῥοια καὶ τρικυμίας·
καθ' ἣν γὰρ οὐκ ἔδρασε κακῶς ἡμέραν
τῶν τινα λαμπρῶν τιμίων τῶν ἐν τέλει,
παντάπαν ἀβίωτον ἡγεῖθ' ἡμέραν·
ὅθεν γυναῖκες ἄνδρες ἠγμένοι βίᾳ
φρουρᾷ τε λοιμῷ καὶ κολάσει καὶ μόρῳ,
ὠπῶν σβέσει τε σωματικαῖς αἰκίαις,
ἄλλαις τε ποιναῖς παρεδίδοντ' ἀδίκως·

perpessa sit ac viderit infelix civitas
nemo pro meritis sane narrare queat.
Siculis enim in urbem irrumpentibus,
puberes cuncti caedebantur gladio,
reliqui bonis nudabantur misere,
matronae virginesque dehonestabantur:
omnia templa et parthenopaea
despoliabantur violenta manu:
plateae omnes, angiportus, viae,
morticinis corporibus plenae erant,
cruentique tabi rivis redundabant.
Ergo lacrimae ubique, luctus, clamor,
ululatus, et horribilis tragoedia:
sic enim paucis dicere rem verbis iuvat;
mixtosque ferebatur ad caelum clamor.
Atque his civitas atterebatur malis.
At Andronicus malitiam suam non desinens,
quin adeo ceu furiarum quidam famulus,
et lymphatorum daemonum minister,
crudelis nempe Echetus vel Cambyses,
vel Phalaris ferinus vel scytha tauriens
subditos cunctos miser devorabat.
Etenim fratres Sebastianos duos
diro suspensos interfecit ligno.
Alexium Manuelis nothum filium,
cui spuriam filiam suam iugarat nuptiis,
oculis cassum fecit sententia iniqua,
eiusque potiores adseclas excaecavit.
Scribam autem quemdam dictum Mamalum
flammis exurendum in stadio tradidit.
Tripsychum quoque, o iustum Dei iudicium!
inique multis pessima qui fecerat,
caecum solique radiis carentem fecit.
Atque ut summatim breviterque dicam,
huius novelli tempore Timonis,
poenae, tristitia, calamitatum cumulus
cunctos tenebant, lacrymaeque iuges,
et malorum quidam torrens ac tempestas.
Qua die enim nemini male fecerat,
nobilium nempe hominum atque procerum,
hoc se vixisse non putabat die.
Feminae ergo et viri rapti domibus
vinclis, fame, mortibus, vexationibus,
oculorum orbitate et cruciatibus,
aliisque poenis plectebantur innocui.

His se oblectabat actibus imperator.	τοιαῖσδ' ἐνησμένιζε πράξεσιν ἄναξ·
Sed boni quiddam aequique simul inerat:	ὅμως μετεῖχεν ἀγαθῶν ϗ μετρίων·
nam beneficiis recreabat plurimis	ἔθαλπε ϗ γὰρ δωρεαῖς ὑπηκόων
pauperes subditos tenuesque, siquidem	τοὺς ἐνδεεῖς τε ϗ πένητας πλουσίως
vere sibi beuivolos comperiret:	ἢν εὐνοοῦντας ᾔσθετο σφᾶς ἀδόλως·
ac praepotentium iniustas direptiones,	ϗ τῶν δυνατῶν ἁρπαγὰς τὰς ἀδίκους
criminumque fontem avaritiam	ϗ κακιῶν πίδακα πλεονεξίαν
cuncto romano submovens imperio,	ἐκ Ῥωμαΐδος ἀπελάσας χωρίων
meliori conditioni provincias reddidit.	ἐπαρχίας ἤγαγεν εἰς ἐπιδόσεις·
Tunc nusquam exactoris audisses minas,	οὐκ ἦν ἀπειλὴν πράκτορος κλύειν τότε
qui tenuiorum patrimonia quateret	ϗ τὰ πενήτων πάντα παλαμωμένου,
quamlibet obtendens malitiae causam.	ἐν τῷ μόνον πρόφασιν εὑρεῖν κακίας·
neque venalia exposita vidisses	οὐ δημοσίων ὠνίους τὰς ἐκτίσεις
tunc vectigalia publica redemptoribus:	ὁρᾷν τελουμένας γε τοῖς ἠρημένοις,
verum qui Caesari rem dedisset Caesaris,	ἀλλ' ἀποδούς τις καίσαρι τὰ καισάρων
de reliquo securam agebat vitam.	ὑπῆρχε λοιπὸν ἀπαθὴς κακῶν ὅτι·
Iam qui tributa publica exigebat	ὡς δημόσια πᾶς τις εἰσπράττων τότε
stipendiis ipse instructus id iuste agebat:	ὀψωνίοις ἦν τάδ' ἀπαιτῶν ἐν δίκῃ·
quia gratis nempe dabantur dignitates	ἀρχαιρεσιῶν προῖκα παρεσχημένων
cunctae cuique optimo ac merenti,	πασῶν ἀριστίνδην τὲ ϗ κατ' ἀξίαν,
nemini indigno qui pecunia emeret.	οὐδὲν δὲ πλουτίνδην γε τοῖς ἐκ τριόδων.
Ergo ut carminibus psaltes David cecinit,	ἢ Δαβὶδ οὐκοῦν ἐμμελῶς ψάλλων λέγει
iustitia simul et venusta pax	δικαιοσύνης πρὸς δέ γ' εἰρήνης χάρις
tunc coniuratae amice osculabantur.	συνῆλθον ἠσπάσαντο φιλίως τότε·
Insuper morem impium scelestissimum,	ἔθος δ' ἐναγὲς ϗ παράνομον λίαν
facinus inhumanum iniustissimum,	ϗ πρᾶξιν ἀπάνθρωπον ἀδικωτάτην
nempe uti naves alicubi naufragae	τῶν ναυαγουσῶν φορτίδων κατὰ τόπους
ventorum violentia et tempestatis	ἐκ πνευμάτων βίας τὲ ϗ καταιγίδος
confractae, et mox ad littora proiectae	ϗ συντριβεισῶν εἶτ' ἀκταῖς ἐῤῥιμμένων
sarcinae direptionem ac perniciem	ἀγωγίμων σκύλευσιν ἁρπαγὴν λύσιν
contra fas omne ab accolis paterentur,	πρὸς τῶν προσοίκων ἀσεβῶς τελουμένας,
sustulit Andronicus regio nutu:	ἔστησεν οὗτος ἀντεπνεύσας ὡς κράτωρ
qui gravi iussu ac minis vehementibus	σφοδραῖς ἀπειλαῖς προσταγαῖς ἐμβριθέσιν
certam constituit mortem ac supplicium	ἀσυμπαθῶς θάνατον ὁρίζων ζημίαν,
his qui decretum violarent suum,	πάντα παραβαίνοντα προστεταγμένα,
idque cum poena aeternum ratumque voluit.	παρεγγυώσαις ϗ κυρούσαις εἰσάπαν·
Siquis locorum, inquit, maritimorum	εἴτις γὰρ, εἶπε, χωρίων παραλίων
possessor est de genere optimatium,	κύριός ἐστιν εὐγενῶν ἐντίμων,
seu magistratum traditum a me gerens,	ἢ παρ' ἐμοῦ πέφυκεν ἀρχὴν διέπων,
primo se ipsum dein subditorum ordinem	πρώτιστ' ἑαυτὸν εἶθ' ὑπηκόων στῖφος
ad Dei sanctum timorem instituat,	καταρτισάτω πρὸς θεοῦ θεῖον φόβον
atque ad imperii nostri reverentiam.	ὑποστολήν τε τῆς ἐμῆς κρατραρχίας·
Tum praedii siquem dominum maritimi	ἢ δεσπότης πᾶς κτήματος παραλίου
provinciaeve praesidem, quamvis nobilem,	ἐπαρχίας ἄρχων τὲ, κἂν ἢ τίμιος,
de naufragarum navium quidpiam sarcinis	ὁ παρὰ νηῶν ναυαγισῶν λαμβάνων
percepisse certo constabit indicio,	ἀγωγίμων τι, φανερῶς γινωσκέτω,

πρόστιμον ἕξειν τὸν θάνατον ἐνδίκως·
κἂν ᾖ μὲν αὐτὸς καθαρὸς τῇ καρδίᾳ
χερσὶ δ᾽ ἀθῷος ἀμίθυκτος τ᾽ εἰσάπαν,
οἱ δ᾽ ὑποχεῖρα κάτοχοι ταῖς αἰτίαις,
ἄρχοντι καὶ γὰρ ἐξισοῦσθαι προστάτῃ
εἰώθεν ἅπαν ὑποχείριον θέλειν,
τίσει δὲ πότμον ἐντολῶν παραβάτης,
φρικαλέον τε καὶ δυσήκουστον τάχα·
παθὼν κρεμάθραν, ἀνάτασίν τ᾽ ἀθλίαν,
νηὸς ἐφ᾽ ἱστοῦ συντριβείσης τῷ σάλῳ·
τοιόνδ᾽ ἐνσείσας γε σύμπασι δέος,
θεοστυγὲς πέπαυκε κρατῆσαν ἔθος·
καὶ λοιπὸν οὐκ ἦν καθορᾶν τὰς φορτίδας
περιπεσούσας ἐκ σάλου ναυαγίῳ,
ἀγωγίμων σκύλευσιν ὑφισταμένας·
ἀλλ᾽ ἦν γαλήνην ἐκ τρικυμίας βλέπειν
διαγελῶσαν ναυαγούσαις ὁλκάσιν·
ἦν καὶ κολαστὴς χειροδίκαις ἀνδράσι,
ποινήν τε τιθεὶς ἀδικοῦσι καὶ δίκην,
κἂν ἦν ἀδικῶν εὐγενῶν λαμπρῶν γένει,
ὡς μὴ κατ᾽ ὄψιν ἀλλὰ δικαίως κρίνων,
καὶ κατὰ μικρὸν ᾗ φασι καὶ τὸν μέγαν.
Καὶ τῶν τεσσαράκοντα Χριστοῦ μαρτύρων
ναὸν περιώνυμον ἐγλαϊσμένον
χρόνῳ παλαιωθέντα καὶ κεκμηκότα
ἀνανεοῖ κάλλιστα πλείσταις δαπάναις·
οὗ καὶ δόμους ἤγειρε πρὸς κατοικίαν,
δέησιν ἐλθὼν πρὸς νεὼν τῶν μαρτύρων
πολυτελεῖς τε καὶ ποικίλους τέχνῃ ξένους·
καὶ πατέρας δὲ τῶν λόγων καὶ τοὺς λόγους
οὗτος βασιλεὺς ἀξίους τιθεὶς λόγου
σφᾶς δωρεαῖς ἤδυνεν ἁβραῖς ὡς θέμις·
ὢν δ᾽ ἀτεχνῶς μάγειρος ἀνθρώπων ὅδε,
μᾶλλον δὲ σατὰν ἄλλος ἀνθρωποκτόνος
ᾗ φησι Δαβὶδ ὠδινήσας δὴ πόνον,
παρανομίας ἀποτίκτει φεῦ μόρον·
ὥριστο τοίνυν, ὢ μισανθρώπου τρόπου,
καθειργμένους ξύμπαντας εἴ τι φυγάδας
ἄρδην βυθῷ τε καὶ ξίφει καὶ θανάτῳ
παραδοθέντας τὸν βίον καταστρέφειν,
αὐτούς τε πάντας καὶ προσήκοντας γένει·
τί γὰρ κεφαλῆς εἰ μιᾶς τετμημένης
φυήσεται κάρηνα χείρω καὶ πλείω;
ὢ παμμιάρου καὶ θεοστυγοῦς δίκης,

hunc manet dirum merito supplicium:
etiamsi forte ipsemet mente purus
manuque prorsus incontaminatus fuerit,
si tamen eius subditi se reos fecerint;
quandoquidem rectori praesidentique
subditi enneti conformari solent.
Transgressor autem legis perpetietur
inauditam illico horrendam mortem,
triste nempe suspendium extensionemque
in malo navis naufragae experietur.
Cum talem cunctis incussisset metum,
inveterati moris cessavit scelus.
Exin iam nulli contingebat navi
ut spoliaretur onere a praedonibus
si forte in mari faceret naufragium:
sed tempestati serenitas successerat
periclitantibus favens onerariis.
Insuper Andronicus iniustos homines
poena adficiebat debitaque ultione,
quantumvis reus nobilis clarusque foret:
scilicet haud pro persona sed iuste iudicans,
et tenuem atque magnum perinde aestimans.
Is etiam Christi quadraginta martyrum
celebre valde templum et ornatissimum,
tunc laborantem temporis iniuria,
instauravit optime impensa plurima:
ibique aedes ad habitandum struxit,
siquando ad dictum templum ipse accederet,
vario artificio sumptuosoque miras.
Insuper litteras cum suis professoribus
hic imperator plurimi aestimavit,
largisque fovit donis prout fas erat.
Iam quum hic esset prorsus lanius hominum,
Immo vero satan alter homicida,
ubi concepit, ut ait David, dolorem,
iniquitatis peperit eheu mortem.
Decretum fit, proh inhumanum facinus!
ut cuncti inclusi carcere vel exules
mari, vel gladio, vel alio mortis genere,
nemine excepto, vitae finem cernant,
ipsi et coniuncti omnes iure generis.
Cur enim, ait, uno resecto capite,
alia consurgent plura et peiora?
hem execranda horribilis sententia!

hem maledictum satanicum decretum,
a quo tot leto destinabantur homines!
Atque hoc inscriptum libellis decretum
ab iniquissimis acceptum iudicibus
Andronicus imperator custodiebat:
idque heu quantocius exsecuturus erat,
pecudum instar tot homines iugulans,
quotquot per imperium in vinclis erant
cum consanguineis cunctis et affinibus,
nisi creator generis humani ac dominus
praeoccupasset perdere Andronicum,
taliaque in cassum vertere consilia.
Interim Andronicus cuncta cernens
adversa sibi fieri et difficilia
propter victores siculos exercitus,
qui Thessalonicam occupaverant,
prout superior narravit historia,
et nunc iam Serras Bolerumque advenerant;
insuper gnarus subditis se invisum;
ad divinandum temporis futuri casus
per homines hariolos convertit animum
abominanda utens hydromantia.
Et interesse quidem cum hariolis
noluit ipse, derisionem cavens;
verum haec ministro commisit Stephano
sacra nocturno tempore peragere:
qui ad se vocans Sethum quendam nomine
caecum, sed arte hariolum, ob idque olim
iusta sententia oculis privatum
a Manuele porpurae regiae flosculo;
interrogare coepit malos daemonas
per nefariae artis incantationes,
qoisnam post Andronicum Caesar foret?
vel huius quisnam raperet imperium?
Daemon ex pelvi retulit ambigua,
et perobscure dum per aquam loquitur
delineavit litteris fallacibus,
quantum coniicere licuit, Isaacium.
Nec vero nominis cuncta elementa scripsit,
sed semiplenae obtulit tamquam lunae
figuram dimidiatam, atque ambigue
ei lunae iota litteram praeposuit.

ϗ σατανικοῦ σκέμματος μισητέυ,
κατακρίνοντος παντὸς ἀνθρώπου μόρον·
σκέμμα πονηρὸν ἐγγραφὲν τόμοις τόδε
πρὸς τῶν φρονούντων ἄνομα δικασπόλων,
εἴληφεν Ἀνδρόνικος φυλάττειν κράτωρ·
ὃ τάχ' ἂν ἐξήνυστο φεῦ φεῦ πρὸς πέρας,
ϗ πάντες ἐσφάττοντο θρεμμάτων δίκην
οἱ πανταχοῦ γῆς αὐτόνων καθειργμένοι
σὺν τοῖς καθ' αἷμα ϗ προσήκουσι γένει,
εἰ μὴ βροτουργὸς τῶν ὅλων ϗ δεσπότης
ἔθηκεν Ἀνδρόνικον ἐκ ποδῶν φθάσας,
σκέμματα δ' ἀπέδειξεν ἄκυρα τάδε·
οὗτος στενὰ οἱ καθορῶν πανταχόθεν
πράγματα συμβαίνοντα δύσκολα πάνυ
ἐκ σικελικῶν δυσμάχων στρατευμάτων,
ἅπερ παρεστήσατο Θεσσαλονίκην,
ὡς ἀνώτερον εἴρηκεν ἱστορῶν φθάσαν,
ϗ μέχρι Σερρῶν ϗ Βολεροῦ πεφθάκει·
πρὸς δ' αὖ ἑαυτῷ δυσμενοῦς ὑπηκόους,
ἀπεῖδε πρὸς πρόγνωσιν ὧν μέλλων χρόνος
τὴν ἔκβασιν δίδωσιν ἠρωτηκόσι
τὴν διὰ πλυνοῦ μαντικῆς τε φευκτέας·
ἀλλὰ παρεῖναι τοῖς τελουμένοις τότε
αὐτὸς μὲν ἀπείπατο μῶμον ἐκκλίνων,
ὑπηρέτῃ δ' ἁγιοχριστοφορίτῃ
φέρων ἀνατίθησι νυκτεργασίαν·
ὃς παραλαβὼν τινα Σὴθ κεκλημένον
πηρὸν μὲν ὄψεις, μαντικὴν δ' ἠσκημένον,
οὗ χάριν ἐξεκόπτο τὰς κόρας πάλαι
πρὸς πορφυρανθοῦς Μανουὴλ μάλ' ἐνδίκως·
πυνθάνεται δὲ τῶν πονηρῶν πνευμάτων
φαύλοις ἐπῳδοῖς μαντικῇ πεπραγμένης,
ὅστις μετ' Ἀνδρόνικον ἄρξων τυγχάνει,
ἢ παραλύσων τόνδε τῆς αὐταρχίας·
πνεῦμα δ' ἀνεῖλεν ἐκ πλυνοῦ βεβυσμένα
μᾶλλον δ' ἀμυδρῶς ὡς ἐν ὕδασι λέγον
σκιαγραφεῖ γράμμασι πεπλανημένοις
Ἰσαάκιον ὡς ἐνῆν ὑπεικάσαι·
οὐ κλήσεως γράμματα συντάξαν ὅλα,
ὥσπερ σελήνης δ' ἀμφικύρτου φαντάσαν
ἡμίτομον σχῆμα τι ϗ πεπλασμένον,
ϗ τοῦδ' ἰῶτα προγράφει λοξῶς τύπον (1)·

(1) Scilicet antiquus typus graeci sigmatis est C, cui praeposito I satis portendebat nomen Isaacii IC. Verum Nicetas choniates hist. II. 9. ait litteram I non praepositam sed subiunctam fuisse, ob augendam ambiguitatem.

ἤκουσεν Ἀνδρόνικος πεύσεως λόγους,
καὶ καιρὸν εἰπεῖν ἀξιοῖ καθ' ὃν τάδε·
πεῦσις τολοιπὸν γίγνεται δὴ δευτέρα,
καὶ πνεῦμ' ἀνεῖλε δι' ἐπασμάτων τάδε,
ὡς ἡμέρας ἔντοσθεν ὑπάρξει τάδε,
καθ' ἣν τὸ τριπόλβιον ὑψοῦται ξύλον,
μίαν δ' ὁ σεπτέμβριος ἦγε πρὸς δέκα,
ὅπαν ἐδρᾶτο πρᾶξις ἀρρητουργίας,
ἃ λῆρον ἡγήσατο γνοὺς ταῦτα κράτωρ·
πῶς ἄν ποτ' ἰσχύσειεν εἰπὼν κυπρόθεν
πλεύσας Ἰσαάκιος ἐν βραχεῖ χρόνῳ
οὕτω καταστρέψαι με τῆς κρατραρχίας;
τὸν κυπρίων τύραννον οἰηθεὶς πέλειν
τὸν καθελεῖν μέλλοντα τόνδε τοῦ κράτους,
ἄνδρα κομνηνῶν ἐκ γένους κατηγμένον,
ἀποστάτην δὲ τοῦ κράτους δεδειγμένον,
ἀρχήν τε τὴν ὕπαρχον εἰς ἀναρχίαν
τυραννίδα τε δυσμενῶς τεθεικότα,
τὴν Ἰσάκου κλῆσιν δὲ πεπλουτηκότα·
οὕτω νομίσας Ἀνδρόνικος καὶ φράσας,
εἰς ἀρχικὰ δώματα τὰ πρὸς Ἀνάπλῳ
πρὸς διατριβὴν καὶ διάχυσιν ᾔει·
ὁ δ' αὖ κακοῦργος ἀντιχριστοφορίτης
τρέχων ἀφῖκτο σὺν ὀλίγοις οἰκέταις
πρὸς οἰκίαν εὔκτιστον Ἰσαακίου,
καὶ τόνδ' ἐφώνει τῶν δόμων κατιέναι·
καὶ τῷδ' ὁμαρτεῖν οὗ δοκεῖ πορευτέον·
ὁ μὲν δεδιὼς τὴν ὁμοκλὴν αὐτίκα,
θεοκλυτεῖν ὑπῆρχε ῥυσθῆναι μόρου·
ὁ δ' ἀγρίῳ βλέμματι καὶ βοῇ πάλιν
αὐτὸν κατελθεῖν ἐγκελεύεται τάχος·
ἀλλ' ὡς ἑώρα βραδύνοντα καὶ πάλιν,
τοῖς οἰκέταις ἦν ἐγκραγὼν μετὰ χόλου
σύροντας αὐτὸν κατάγειν οἰκημάτων·
μόλις κατελθεῖν ἐκβιασθεὶς τῇ βίᾳ
ἵππου τ' ἀναβὰς εὐτρεπισμένου τότε
ἐξ Ἀγγέλων Ἴσακος ἀνδρειοφρόνως
σπασάμενος φάσγανον ἠκονημένον,
ἐφάλλεται δὴ ἀντιχριστοφορίτῃ,
καὶ κατενεγκὼν τοῦδε πληγὴν καιρίαν,
διχῇ κεφαλὴν διέκοψε τῇ σπάθῃ·
ὃν καὶ προκεῖσθαι τοῖς κυσὶ λιπὼν ἕλωρ,
ὅλῳ ῥυτῆρι πρὸς ναὸν τρέχει μέγαν
δι' ἀγορᾶς τε καὶ λεωφόρου μέσης·

Oraculi Andronicus verbis cognitis,
tempus poposcit scire quo haec fierent.
Iterum ergo rogatur oraculum.
Tum sic composito carmine daemon ait:
haec intra diem exitum sunt habitura
quo venerandum solet exaltari lignum:
porro septembris iam erat dies undecima
dum haec arcana divinatio fieret.
Has imperator nugas esse credidit:
quomodo enim, inquit, Cypro poterit
huc navigare Isaacius tam brevi tempore,
meumque regni solium evertere?
Existimabat enim tyrannum cyprium
ad eversionem sui venturum throni,
virum comnena de gente progenitum,
qui perduellem semet imperio exhibens
insulae praefecturam ad se rapuerat,
ibique saevam exercebat tyrannidem,
atque Isacus nomine appellabatur.
Sic Andronicus dicens atque existimans,
ad regias aedes ivit quae sunt in Anaplo
ut sese in illo oblectaret hospitio.
Interim tamen maleficus Stephanus
cum paucis raptim venit familiaribus
ad pulchras aedes Isaacii Angeli,
eumque voce iussit prodire domo,
seque ducem sequi quorsum tenderet.
Ille minaci consternatus voce,
ut se morti subduceret Deum rogabat,
Stephanus torvis oculis inclamans iterum
ut sine mora sequeretur iubet.
Verum ut vidit demorantem adhuc,
intendit vocem ad satellites suos,
ut eum correptum aedibus protraherent.
Tum demum tali vi coactus equum,
qui bene instructus aderat, conscendit
Angelus Isaacius, sumptoque animo
acutum gladium de vagina promens
impetu contra Stephanum impium ruit,
atque eum mortali consecutus ictu,
caput bifariam ensis acie secuit;
et praedam canibus hominem relinquens,
effuso cursu magnum ad templum venit
per viam publicam perque forum medium;

nudumque adhuc manu gladium gerens
cunctis inclamabat, hoc ego gladio
capite obtruncavi scelestum Stephanum.
At ubi in magnum pervenit templum
homicidarum pulpitum insedit.
Deinceps confluente turba maxima
innumeroque populo ad Isaacium,
hic obsecrabat ut sibi suppetias
ferrent et validam defensionem,
in ipsis nempe posito mortis ianuis.
Reapse ad hoc fautores permulti erant,
maxime quidem genere propinqui.
Quumque a rege nemo superveniret
qui coepta illa minis disturbaret,
praedicti fautores sumpta audacia
liberis iam succlamabant vocibus,
atque Isaacio firmam spondebant opem.
Ergo ut illa praeteriit prima dies,
iamque alia advenerat, summo mane
populus cunctus byzantinae urbis
fluminis instar ociter ruentis
ad praecipuum confluxit templum Dei.
Cur autem ego longos sermones nectam?
incessunt maledictis Andronicum,
Isaaciumque dignum edicunt stemmate.
Insuper omnes carceribus clausos
emittunt, atque turbam conficiunt maximam.
Tunc vero innumeros vidisses ensiferos,
thoracibus et scutis armisque accinctos,
alios denique lignis clavisque instructos.
Sic ergo adstante concione omnigena
rex atque imperator Isaacius
concordi labio a cunctis acclamatur,
dum ei quidam in caput imponeret
imperatoris maximi Constantiui
coronam quae de sacra pendebat mensa.
Quum Andronicnm tamen adhuc timens
coronam Isaacius aegre admitteret,
patruus eiusdem praeseus Iohannes Ducas,

καὶ χειρὶ γυμνὸν τὸ ξίφος φέρων ἔτι
πᾶσιν τορὸν κέκραγε, τῷδε τῷ ξίφει
τεμεῖν κεφαλὴν ἀντιχριστοφορίτου·
ἐπεὶ δὲ ναὸν εἰσέδραμε τὸν μέγαν,
τὸν τῶν φονουργῶν ἔσχεν εἰς στάσιν τόπον· (1)
εἶτα συνέρρει κατὰ χιλιοστύας
ἄπειρα πλήθη πρὸς θέαν Ἰσαακίου,
οὓς καὶ καθικέτευσε τῷδ' ἐπαμύνειν
καὶ τὴν δυνατὴν εἰσφέρειν συμμαχίαν,
ὄντι πρὸς αὐταῖς τοῦ θανάτου ταῖς πύλαις·
ὧν καὶ κατανεύοντας εἶχεν εἰς τόδε
ἄλλους τε πολλοὺς καὶ προσήκοντας γένει·
ἐπεὶ δὲ παρῆν οὔ τις ἐκ βασιλέως
ἐπαγανακτῶν οὐδ' ὅλως τοῖς δρωμένοις,
οἱ συλλη ἐντες θάρσος ἀνειληφότες
ἐχρῶντο γλώττῃ παντάπασιν ἀσύλῳ,
καὶ τῷδ' ἐπηγγέλλοντο σύναρσιν ξένην·
ὡς οὖν ἐκείνη παρέδραμεν ἡμέρα,
ἄλλη δ' ἐπῆλθε, πρωίας οὔσης ἔτι,
ὅμιλος ἅπας ἀστικὸς Βυζαντίδος
κατὰ ποταμῶν ῥεύματα ταχυρρόων
εἰς ναὸν εἰσέρρευσε τοῦ Θεοῦ μέγαν·
καὶ τί με δεῖ γράφοντα μηκύνειν λόγον;
βάλλουσιν Ἀνδρόνικον ταῖς δυσφημίαις,
κρίνουσι δ' Ἰσάκιον ἄξιον στέφους·
πρὸς τοῖσδε πάντας φυλακαῖς καθειργμένους
ἀνέντες εἱρκτῆς, πλεῖστον ἤθροισαν στίφος·
ἦν λοιπὸν ἰδεῖν μυρίους ξιφηφόρους
πεφραγμένους θώραξιν ἀσπίσιν ὅπλοις,
ἄλλους ῥοπάλοις καὶ ξύλοις ὡπλισμένους·
καὶ συναγωγῆς παμμιγοῦς ἠθροισμένης
Ἰσαάκιος βασιλεὺς αὐτοκράτωρ
φημίζεται δὴ παρὰ πάντων χειλέων,
ἐφαρμόσαντος τινὸς αὐτοῦ τῇ κάρᾳ
στέφος μεγίστου κράτορος Κωνσταντίνου
ἄνω τραπέζης μυστικῆς ἠρτημένον·
τούτου τὸ πρῶτον Ἀνδρόνικον τῷ δέει
στεφηφορίαν ῥᾷστα μὴ δεδεγμένου,
θεῖος συνεστὼς οἱ Δούκας Ἰωάννης

(1) Nicetas choniates lib. II. 10: τὸν θεῖον εἰσιὼν ναόν, ἄνεισι τὸν ἀνάστασθμον, ὃν οἱ φονεῖς ἀνερχόμενοι, τὸ οἰκεῖον ἀνακαλυμμένως διατρανοῦσι πλημμέλημα, τὸν ἐκ τῶν εἰσιόντων τι καὶ ἐξιόντων τὸ ἱερώτατον τέμενος αἰτοῦντες συγχώρησιν: *templum ingressus eam sedem conscendit in qua homicidae suum facinus publice confitentes, ab ingredientibus sanctissimum locum egredientibusque veniam petunt.*

ἀνὴρ πολιὸς φαλακρὸς βαθυγέρων,
κάλυμμα κάρας ἐκβαλὼν ἐλιπάρει
ἐπὶ κεφαλὴν ἰδίαν θεῖναι στέφος·
δῆμος δ' ἰδόντες ἐψιλωμένην κάραν,
λαβεῖν ἀπηγόρευσαν αὐτῷ τὸ στέφος,
γέροντ' δ' ἐπ' αὐτοὺς βασιλεύειν μηκέτι
δι' Ἀνδρόνικον μὴ θέλειν εἰρηκότες,
πολλὰ παρ' αὐτοῦ τῶν κακῶν πεπονθότες·
Τέως δ' ὑπάρξας δημοπρόβλητος κράτωρ
Ἴσακος ὡς ἄνωθεν ἱστορεῖν ἔφη,
ᾔει πρὸς οἴκους τοὺς βασιλείους βάδην
σὺν πατριάρχῃ καὶ λεῷ πλείστῳ στίφει·
Ἀνδρόνικος δ' ὢν ἐν Μελυδίῳ δόμοις
ἐπείπερ ἠκούσατο τὰ πεπραγμένα,
ἧκε τριήρει πρὸς παλάτιον μέγα
ἐν ἀστέρῳ δέ τινι πεπλευκὼς τάχει·
ὡς οὖν ἀφῖκτο καὶ νεόχριστος κράτωρ,
ἀντιμαχεῖν ἤρξατο κρατάρχης γέρων
ἰστοὺς ἀφιεὶς ὑψόθεν σὺν βραχέσιν
πᾶσιν ἐπιοῦσι τε καὶ στεφηφόρῳ·
ὡς τηνάλως δ' ἔγνωκε μοχθεῖν πρεσγέρων,
πέδιλα ῥίψας κοκκοβαφῆ καὶ στέφος
καὶ τοῦ τραχήλου σταυρὸν ἐκβαλὼν τάλας,
ἐνθεὶς δὲ κρατὶ βαρβαρικόν τι πῖλον,
ἐμβὰς τριήρει πρὸς ταυροσκύθας ἔπλει·
εἴσω δ' Ἰσαάκιος ἀρχικῶν δόμων,
εὐθὺς παρελθὼν βασιλεύς τ' αὐτοκράτωρ
ἀναγορευθεὶς Ῥωμαΐδος τῆς ὅλης
ἔστειλεν Ἀνδρόνικον ἄξοντας τάχος·
ὃν κατὰ Χηλὴν ἄστυ συνειληφότες,
ὡς φθὰς ἔφην, φεύγοντα πρὸς ταυροσκύθας
ἄνακτι παρέστησαν Ἰσαακίῳ·
καὶ λοιπὸν οἵαις ἐξέτριψεν αἰκίαις
ὅσαις τε ποιναῖς Ἰσαάκιος κράτωρ
τὸν ἄθλιον γέροντα τόνδε καὶ βίαις
οὐκ ἄν τις ἰσχύσειεν εἰπεῖν ῥᾳδίως·
ὅμως φράσαιμ' ἂν συνελὼν κατὰ σθένος
καθείργνυται πρῶτα μὲν οὗτος εἰς πόλιν
δεσμοῖς σιδηροῖς ἐνδεθεὶς δειρὴν πόδας·
εἶτ' ἐμφανισθεὶς ἀθλίως οὕτως ἔχων
τῷ βασιλεῖ, σκώμμασι βάλλεται τάλας
καὶ λοιδορησμῶν νιφάσιν ἀπειρίτων,
ῥαπίζεται μάστιξι γλουτοὺς καὶ ῥάχιν,
κάραν ψιλοῦται τῶν τριχῶν καὶ τὴν γένυν,

vir canus, immo et calvus et senecio,
denudans caput pileo, obsecrabat
ut suam frontem redimirent stemmate.
Populus recalvastrum caput cernens,
negavit huic coronam se donaturum;
aitque regem senem se iam nolle,
Andronici nempe causa a quo malorum
tantam nuper congeriem perpessi erant.
Tunc ergo a populo electus imperator
Isaacius, ut meum hactenus carmen dixit,
ad regiam pedetemtim ibat domum
cum patriarcha populoque plurimo.
At Andronicus in Meludii regia
versans, ut gestam rem inaudiit,
venit trireme ad palatium magnum,
volucri nempe cursu fretum permeans.
Superveniente tunc novello Caesare,
repugnare coepit armis senex dominus,
tela cum paucis desuper coniiciens
contra adventantes omnes atque Caesarem.
Sed cum se frustra laborare senex
sensit, purpureas crepidas et coronam
abiecit, crucemque miser collo abstulit:
barbaricumque capiti imponens pileum,
trireme inscensa ad Tauridem fugiebat.
Ingressus autem palatium Isaacius,
statim romani universi imperii
dominus acclamatus atque imperator
misit qui Andronicum ad se retraherent;
quem prope urbem Chelen comprehensum,
dum fugeret ut diximus ad Scythas tauricos,
imperatori obtulerunt Isaacio.
Quantis deinde attriverit cruciatibus
quotque suppliciis Isaacius imperator
infelicem hunc senem quotque poenis,
vix est humano effabile eloquio,
attamen dicam breviter pro viribus.
Urbano primum concluditur carcere
collum catenis vinctus atque pedes;
atque hac tristi exhibitus in specie
regi, conviciis appetitur miser
maledictisque obruitur innumeris;
verberibus lumbos teritur et nates,
barba et capillo carptim nudatur caput,

excutiuntur dentes inflictis ictibus,
ludibriique gratia ac risus traditur
suismet inimicis et carnificibus.
Fert petulantias contumelias verbera,
tunditur os alapis, varie adfligitur,
malorum iliadem trogoediamque patitur
et miseriarum infinitum pelagus:
praesertim vero vexatur a feminis,
quibus oculorum lumen eripuerat,
vel maritos partim nece abstulerat
partim effossis oculis excaecaverat
pro sua saevitia mortalis hic pessimus.
Postremo impositus, hem auditu horribile!
scabioso infeliciter camelo,
qui Romanorum nuper imperator,
quem circa regii resonabant plausus,
per forum ducitur perque vias publicas
triumphum turba spectante turpissimum,
ipse vix tectus vili tunicula
tegmine nudum cranium ostentans;
lugubre visu narratuque horribile
uberes lacrimas sine dubio eliciens
mitibus ex oculis, qui solent miseros
naturaque socios, prout fas est, aspicere.
At plebeiorum vilissima colluvios,
fartores et coriarii ac sutores,
dardanariorum stolida collegia,
pompam ducentes triumphumq. huiusmodi,
vel potius id ludibrium et deridiculum,
nullum praetermittebant poenae genus,
opprobrii, maleficii, contumeliae,
quin Andronico per nefas impingerent.
Alii siquidem, o vesanum furorem!
percussum discerpebant ipsius cranium
dorsumque ligneis inclementer clavis:
alii latus renes atque podicem
suffodiebant cultris atque subulis,
alii inquinabant fimo nares bubulo,
alii spurcitias corporum in vultum eius
spongiis expressas saepe coniiciebant:
audaces autem quidam ac ferociores
lapidibus adpetebant dicentes canem
et cerberum atque feram sanguinariam,
atque his similia per summum furorem.
Verum ut verba ad compendium conferam,

ϗ τοὺς ὀδόντας ἐξεκρούσθη πρὸς βίαν
ἐκδίδοται παίγνιον ἄθυρμα γέλως
μισοῦσιν αὐτὸν ϗ κακοῦν ἡρμένοις·
φέρει παροινίας τε μάστιγας ὕβρεις,
πυγμὰς κατὰ στόματος, ἄλλας αἰκίσεις,
κακῶν ἰλιάδα τε ϗ τραγῳδίαν
ϗ συμφορῶν πέλαγος οὐ μετρούμενον·
ϗ πρὸς γυναικῶν ἐμπαροινεῖται πλέον,
πρὸς τοῦδε φάος ὀμμάτων ἐσβεσμένων,
ἢ ϗ παθουσῶν ζημίαν τῶν συζύγων,
τυχὸν δὲ ϗ σφῶν ἐκτύφλωσιν ὀμμάτων,
πρὸς μισοφαοῦς τοῦδε φαύλης καρδίας·
τέλος καθισθεὶς, ὢ ξένων ἀκουσμάτων,
ἐπὶ καμήλου ψωριώσης ἀθλίως
ὁ πρὶν βασιλεὺς αὐτοκράτωρ αὐσόνων,
ὁ βασιλικοῖς ἀνῳδούμενος κρότοις,
δι' ἀγορᾶς τε ϗ μέσης λεωφόρου
πομπεύεται κάκιστα συνειλεγμένοις,
σῶμα καλύπτων εὐτελεῖ τῷ ῥακίῳ,
ἀκαλυφές τε δεικνύων τὸ κρανίον,
οἰκτρά τις ὄψις, ἀκοὴ φρικαλέα,
πηγὰς δακρύων ἐκκαλούμεναι τάχα
εἰς ἡμέροις ὄμμασι πρὸς κακουμένους
ϗ συγγενὲς πέφυκεν ἀθρεῖν ἐνθέως·
ὁ ξυγκλύδων ὄχλος δὲ ϗ τῶν συρφάκων
ἀλλαντοπῶλαι βυρσοδέψαι ϗ ῥάπται
παλιγκαπήλων ἀλόγιστος φρατρία
πομπῇ παρόντες ϗ θριάμβῳ τῷ τότε,
ἀτιμοποιῷ ϗ γελοιώδει πλέον,
οὐδὲν παρῆκαν αἰκίας τιμωρίας
εἶδος τι λοιπῆς κακίας βδελυρίας
ὃ μὴ προσῆγον ἀσεβῶς Ἀνδρονίκῳ·
οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν, ὢ περιττῆς μανίας,
ἔτυπτον, ἐσπάραττον αὐτοῦ κρανίον
ϗ νῶτ' ἀφειδῶς ταῖς κορύναις ϗ ξύλοις,
οἱ δ' αὖ γε πλευρὰς ϗ νεφροὺς πρωκτὸν πάλιν
ξιφιδίοις ἔπειρον ἢ ϗ ῥαφίσιν·
ἄλλοι δ' ἐμίνθουν τὴν ῥῖνα τοῖς βολβίτοις,
τῶν δ' ὄψεων λύματα τὰ τῶν γαστέρων
σπόγγοις κατηκόντιζον αὐτοῦ συχνάκις·
οἱ δὲ θρασεῖς τε ϗ πλέον τολμηρίαι
ὀλεθολεύστην ἀποκαλοῦντες κύνα
ϗ κέρβερον θῆρα τε ϗ μιαιφόνον
ϗ τοῖσδε τὰ σύστοιχα, φεῦ τῆς μανίας·
ὡς ἂν δὲ φαίην ἐν βραχεῖ τὸ πᾶν λόγῳ,

οὐδεὶς ὑπῆρχε συναλγηθεὶς θέας
ὃς οὐ κακοῖς ἔβαλλε βλήμασι λόγοις
τὸν δυστυχῆ γέροντα τῷ τηνικάδε·
μία δὲ γυνὴ πορνικὴ λαγνιστάτη
ἐξ ὀπτανείου σκεῦος ἐρπάσασά τι
σφοδρῶς γε καχλάζοντος ὕδατος πλέον
τούτῳ παρειῶν ἐμμανῶς κατεχέει·
τόσα δὲ παθὼν καὶ πολὺ τούτων πλέω
καὶ τηλικαῦτα δυσχερῶν ὁ γεννάδας
πρὸς συμφορῶν κύματα καὶ καταιγίδας
καὶ χαλεπῶν πέλαγος, ἀντέχων ὅμως
καὶ νιφάδας φέρων τὰ κακῶν εὐψύχως,
ἐν πᾶσιν εὐχάριστος ἦν πρὸς δεσπότην
ἐῤῥωμένον φρόνημα κἀν δεινοῖς ἔχων·
οὕτως δ' ἀπαχθεὶς ἀτίμως ἐν σταδίῳ
ποδῶν ἀπαιώρητε βραχύ τι πνέων
ἐν τοῖς ἐκεῖ που καθιδρυμένοις στύλοις·
μετὰ δ' ἀπαιώρησιν ἄφρονες πάλιν
ὡς μὴ λαβόντες τοῦδε τῶν σαρκῶν κόρον,
αἰδῶ τε κακῶς παιδικούς τε διδύμους
χιτῶν' ἀναστέλλοντες ὕβριον, ὢ πάθους·
καὶ κατὰ τῆς φάρυγγος ὦσέ τις ξίφος·
καί τις λατίνων καθ' ἕδρας ἀκινάκην·
λοιποὶ περιστάντες δὲ τόνδε λατίνων
τοῖς ξίφεσιν ἔπαιον αὐτοῦ σαρκίον
συχνὰ καταφέροντες αὐτοῦ συντόνως,
πεῖραν δοκιμὴν προσλαβεῖν ᾑρημένοι
ὁποῖον αὐτῶν τμητικώτερον πέλει·
οὕτως ἐναθλῶν ἐν τοσαύταις βασάνοις
καὶ τηλικαύτῃ συμφορῶν τρικυμίᾳ
ψυχὴν ἐναπέῤῥηξεν αὐτοῦ πρὸς βίαν
ἐπὶ στυλίσκων ἀτίμως ἠρτημένος·
τοιοῦτο τέρμα τοῦ κράτους καὶ τοῦ βίου
πολύτλας Ἀνδρόνικος εὗρεν ἐν βίῳ,
χρόνοις μὲν ἄρξας δυσί πη στεφηφόρος·
κοινῶν δ' ἑνὶ κύριος ὢν τῶν πραγμάτων
ἄνευ χλαμύδος καὶ πολυτίμου στέφους·
ἦν οἷον φυὴν σώματος εὐφυὴς πάνυ
ἡρωϊκόν τ' ὄρθιον εὖ φέρων δέμας
ἀγητὸς εἶδος καὶ γεραρὸς εἰσάπαν
σῶμα προδεικνὺς ὑγιές τ' ἐῤῥωμένον·
μεθ' ἡμέρας δὲ κατενεχθεὶς ὑψόθεν
ὁ τοῦδε νεκρὸν ἐν μιᾷ τῶν ἀψίδων
ἀτημελήτως ἔῤῥιφε τοῦ σταδίου·
εἶτα περί που τὴν μονὴν τὴν Ἐφόρου

nemo in immenso illo fuit spectaculo,
quin molestis ictibus et conviciis
tunc infelicem senem non verberaret.
Scortum denique quoddam inpudentissimum
correptam de culina in viam deferens
ollam fervente admodum aqua plenam
in Andronici effudit furiose genas.
Atque haec perpetiens multoque plura,
contra tot mala durans vir magnanimus
in tot dolorum fluctibus et procellis,
tantoque miseriarum obluctans pelago,
malorum inquam nimbo quamvis pressus,
fortiter tamen Domino agebat gratias,
constantem in suppliciis mentem retinens.
Sic ergo in stadium ductus cum ignominia
parumper adhuc spirans ad columellas
prostantes illic pedibus est suspensus.
Furiosus tamen populus necdum satur
vorandis eius carnibus, suspensi miseri
membris etiam genitalibus insultavit,
tunicula reducta, hem pudorem!
Quidam acutum gladium per guttur egit,
alius latinus podicem ense fodit:
latini vero circumstantes reliqui
gladiis caedebant miserum corpusculum
ingeminatis continenter ictibus,
sponsione velut mutua utri acutius
acinaces ferirent experientes.
Sic Andronicus in suppliciis luctans
in tantoque cruciatuum mari naufragus,
spiritum sibi violenter raptum
in columellis illis effudit turpiter.
Atque hunc imperii vitaeque finem habuit
homo aerumnosus postquam imperaverat
biennio fere stemmate revinctus,
uno praeterea dominatus anno
absque corona, et purpurae decore.
Erat is egregia forma corporis
proceritate praeditus heroica
augusta facie et prorsus admirabili,
praevalidaque utens valetudine.
Post aliquot autem dies de suspendio
detractum eius cadaver in quodam stadii
fornice sine cura proiectum iacuit;
donec ad Ephori tandem monasterium

composuerunt quidam in brevi loculo;
ubi adhuc corpus spectatur a cupidis
integritatem suam prorsus retinens.
Is autem toto deperibat animo
apostoli divinas Pauli epistulas;
a quibus, admiranda velut scatebra,
in orationes suas et scripta ducebat rivulos,
quae componebat nobili artificio.
Quin sacram Pauli caelispicis imaginem
auro argentoque insignem Andronicus
in quadraginta martyrum delubro
a semet dedicatam colebat admodum.
Haec autem Andronici instante fato
oculis lacrimarum profudit guttas.
Audita re, Andronicus statim misit
ad explorandum famam studio sedulo
fidelem sibi Stephanum cum comitibus.
Ergo profectus impius ille Stephanus
curam impendit probe ut rem cognosceret,
veridicoque ore mittenti diceret.
Quamobrem Pauli oculos linteolo puro
abstersit reverenter; is autem veluti
fons, lacrimarum frigidum fudit rivum.
Id quod ubi intellexit a spectatoribus,
ingemuit Andronicus, miransque plurimum,
caput hac illac quassans, Paulum ait
lacrimas illas causa sui profundere,
aliquid forte mali portendentem:
nam se Paulum amare effictim dixit,
eiusque summe verba pretiosa colere;
quare se amari ab illo vicissim, aequum.
Quid autem mali lacrimae praedicerent,
a me superius dicta perspicue docent.

ISAACIUS ANGELUS AN. VIIII.
MENS. VI.

Igitur postquam tam facile obtinuit
romani imperii thronum Isaacius,
hilaris erat, subditis accessu facilis,
suavis, mitis, erga omnes clemens.
Is ab Andronico male passos,
vel iniuste bonis pulsos propriis,
vel membro aliquo corporis mulcatos,
prolixis beneficiis recreabat,

ἔν τινι κατέθεντο τινὲς χωρίῳ·
ὀπτάνεται δὲ σῶμα τοῦδ' ἠρημένοις
ἀκραιφνὲς ἀλώβητον εἰσέτι μένον·
ψυχὴν δὲ παντάπασιν ἦν ἐκλιμπάνων,
εἰς τοὺς θεαυγεῖς κήρυκος Παύλου λόγους,
ἀφ' ὧν ἀπαντλῶν ἐκ πίδακος ὡς ξένης
ἐπιστολὰς ἤρδευεν αὐτοῦ καὶ λόγους,
ἃ συντιθεὶς ἦν εὐφυῶς καὶ συγγράφων·
οὗ καὶ θεόπτου Παύλου σεπτὴν εἰκόνα
καλλύνας Ἀνδρόνικος ἐν χρυσαργύρῳ
νεῷ τεσσαράκοντα Χριστοῦ μαρτύρων
ἀνατεθεικώς, προσκυνῶν ἦν καὶ σέβων·
ἥτις ἀπεστάλαττεν ὀμμάτων δάκρυ
Ἀνδρονίκου φθάνοντος οἰκτιστον μόρον·
ὃ γνούς, ἀκριβώσοντας ἐκπέμπει τάχος
τὴν ἀκοήν τε καὶ τὰ τῆσδε καθάπαξ,
τὸν πιστόν οἱ Στέφανον ἄλλοις συνάμα·
ἐπεὶδ' ἀπῆλθεν, ἀντιχριστοφερίτης
σπουδὴν ἐτίθει πάντα σαφῶς εἰδέναι,
ὡς πάντ' ἀληθῶς μηνύσῃ τῷ πομφότι·
ὑφάσματι γοῦν ἀθιγεῖ Παύλου κόρας
σεπτῶς ἐναπέψησεν· αἱ δ' ὥσπερ πίδαξ
δάκρυον ἀπέλειβον ὡς ψυχρὸν νᾶμα·
ἃ πρὸς θεατῶν Ἀνδρόνικος γνωρίσας,
μέγα στενάξας θαυμάσας τὸ πλείονως
κάραν ταλαντεύσας τὸ τῇδε κἀνθάδε
αὐτοῦ χάριν εἴρηκε Παῦλον δακρύειν
κακόν προσημαίνοντα τῷ δὲ πῃ τάχα·
φιλεῖν γὰρ αὐτὸν ἐνθύμως ἄγαν ἔφη,
καὶ οἱ τιμαλφεῖν ἐξόχως ῥημάτων,
πρὸς τοῦδε λοιπὸν ἀντιφιλεῖσθαι δίον·
ὅ τι δὲ κακὸν προὔλεγον τὰ δακρύων,
εἴρηκε σαφῶς ἀνόπιν τεθρασμένα.

ΙΣΑΑΚΙΟΣ Ο ΑΓΓΕΛΟΣ
ΕΤ. Θ. Ϛ.

Ως οὖν ἐπιβέβηκεν οὕτω ῥᾳδίως
Ἰσαάκιος αὐσόνων κραταρχίας,
ἱλαρὸς εὐέντευκτος ἦν ὑπηκόοις,
ἡδὺς προσηνὴς καὶ φιλοικτίρμων ὅλοις·
παρ' Ἀνδρονίκου τοὺς κακῶς πεπονθότας,
ἢ τῶν ἐόντων ἐκπεσόντας ἀδίκως,
ἢ σώματός τι τῶν μελῶν τετμημένους,
ἐδεξιοῦτο δωρεαῖς σφᾶς ἀφθόνως,

ἀφαιρεθεῖσαν ἀποτινὺς οὐσίας·
ἄναξ γὰρ οὗτος, ἵνα συλλήβδην φράσω,
ὑπῆρχεν ἐκφὺς εὐγενοῦς λαμπροῦ γένους
κομνηνιαδῶν ἀγγέλων ὑμνημένων·
νεανίας κάλλιστος εὐπρεπὴς λίαν,
ἀκμαῖος εὐμήκης τε καὶ ῥωμαλέος,
εὔρωστος ἰσχὺν καὶ σθεναρὸς τὰς χέρας,
μείλιχος, εὐπρόσιτος, εὐσεβὴς ἄγαν,
ἐς μητρανάνδρον παρθένον πίστιν τρέφων
ἄρρητον εἰπεῖν καὶ τιμὸν σέβας σχέσιν·
λόγων ἑταῖρος ἑρμαϊκὸς χαρίεις,
τιμῶν λόγους εὖ καὶ λόγων τοὺς πατέρας·
οἰκτρῷ πενήτων καὶ φιλευσπλάγχνοις τρόποις,
εὐποιΐᾳ τε τὴν ψυχὴν κεκλασμένος,
μεταδοτικὸς συμπαθὴς στερουμένοις,
εὐεργετῶν ἅπαντας ἀπορουμένους,
πτωχοὺς, πένητας, ὀρφανοὺς, χήρας, ξένους·
ἦν καὶ χορηγῶν παρθένοις τὰ πρὸς γάμους,
καὶ πανδοχεῖα καὶ νοσοκομούντων δόμους
ἀνακαινῶν τε φιλοτίμως καλλύνων,
εἰς ἀνάπαυσιν εἰς ἴασιν τῆς νόσου,
τῶν συνιόντων ἀσθενῶν πτωχῶν ξένων
τὰ πρὸς δαπάνην προσνέμων μάλα σφίσιν·
ἦθος μαλακὸς, νωχελὴς, ἀνειμένος,
πολυτελὴς δίαιταν ἐσθῆτας ἅμα,
τράπεζαν ἀεὶ σολομώντειον φέρων,
καὶ καινοφανεῖς στολὰς καθημέραν·
μεταδοτικὸς βρωμάτων διακόνοις·
ἐχρῆτο λουτροῖς ἑβδομάδος πολλάκις,
ὠσφραίνετ' ἀεὶ καὶ μύρων εὐωδίας,
καὶ φιλόκαλος ὡς ταὼν καὶ νυμφίος
ἀεὶ προῄει τῶν βασιλείων δόμων·
ὀργίλος ἦν τις καὶ θυμῷ πλέον νέμων·
πλὴν εἶχε θυμὸν συμπαθεῖ κεκραμένον·
οὐ διέπων κάλλιστα τὴν κραταρχίαν·
καινουργὸς ὑπῆν πραγμάτων παραλόγων,
λουτρὰ διαιτήσεις τε καὶ λαμπροὺς δόμους
δομούμενος κτίζων τε καινίζων ξένως·
ἐκκλησίας ἔθιμα καινουργῶν φύρων,
ὃν μὲν καθιστὰς ποιμεναρχῶν εἰς θρόνον,
ὃν δ' ἐξάγων αὖ καὶ μόνῃ προαιρέσει.
Τούτῳ προσῆλθε τοῦ κράτους τετυχότι
ἀνδρῶν ἀπειράριθμον εὐσθενῶν στῖφος
ἐκ ῥωμαΐδων ἀστέων πανταχόθεν
χώρων τε λοιπῶν τῆς ἕω τῆς ἑσπέρας,

reddens ablata cunctis patrimonia.
Hic enim Caesar, ut summatim dicam,
genitus erat nobili illustri genere
e Comnenladis agnomento Angelis,
speciosus valde iuvenis et pulcherrimus,
floridus, validus, corpore procero,
viribus praepollens fortique manu,
comis, benivolus, apprimeque pius:
erga Deiparam miram fiduciam gerens,
eamque summa religione colens:
litterarum amans, gratiosus, doctus,
litteras ac litteratos honorans simul:
misericordi animo erga egenos,
ad beneficia conferenda pronus,
largus opum, indigos charitate fovens,
cunctis demum subveniens necessitatibus,
inopibus, mendicis, viduis, pupillis, advenis,
Virgines quoque dotabat ad nuptias;
publica hospitia atque nosocomia
instaurabat studioseque ornabat,
ad requiem corporum morborumque curam;
quicumque convenissent infirmi, pauperes,
omnia ad victum affluenter tribuens.
Ceterum mollis moribus, ignavus, socors,
et sumptuosus valde victu ac vestibus,
convivium semper solomonteum apparans,
semetque novis stolis quotidie exornans,
lautasque suis ministris largiens epulas.
Saepe utebator balneis in hebdomada,
unguentorum semper odore fragrans,
exornatusque ut sponsus vel ut pavo
procedere de regiis solebat aedibus.
Idem promptus ad iram eique indulgens,
misericordiam tamen irae admiscens.
Nec vero imperium administrans optime,
sed inconsultus potius novator rerum:
caenacula, balinea, domos splendidas
fundans aedificans sumptuoseque instaurans:
statuta ecclesiae innovans perturbans;
pastores alios in sede constituens,
alios per solum deturbans arbitrium.
Ad hunc regnantem convenerunt undique
fortium virorum innumerae catervae
ex urbibus romanis aliisque terris
tum orientalis orbis tum occidui;

e quibus iustum conscribens exercitum,
adnumeravit romanis legionibus.
Militibus quin etiam extra metropolim,
ut propulsandis hostibus promptos faceret,
victum submisit lautaque stipendia,
auri nimirum summam cuius pondo
pol centenarios quadraginta appenderet.
Iam vero, ut retro diximus, miles siculus
romanas urbes vexabat concursans:
Serras oraque Strymonis devastaverat:
urbem Amphipolim, expugnatis moenibus,
ceperat nuper cum propinquis locis;
Boleron occupaverat cum Mosynopoli:
ipsamque urbem se capturum regiam
ceu nidum derelictum autumabat,
copiis suis moenia circumdans.
Iamque etiam classis sicula stationem
in suburbanis insulis insederat.
Verum romani ductor exercitus
Branas vir magnanimus et consiliosus
italo cum hoste consertis manibus,
Numinis proelia inclinantis ope,
magnum de barbaris retulit trophaeum,
et Siculorum plurimam stragem edidit.
Vivos quin etiam legionum duces
Ricardum cepit Balduinumque comitem,
quos in metropolim misit ad Caesarem.
captivum fecit cum praedictis ducibus
exitium patriae comnenum Alexium
malorum causam et procellae flabrum,
atque oculorum lumine privavit.
Quotquot autem Itali effugerunt caedem,
Thessalonicam properantes urbem
navibus abierunt in patriam suam.
Qui vero in illa substiterunt urbe,
malos male iustus ensis perdidit,
superveniente exercitu romano.
Ergo omnes Siculi peribant gladio
magnanimorum domiti virorum manibus,
praesertim ab Alanis tunc auxiliaribus.
Talionem siquidem reddentes Latinis,
saevitiaeque memores recentis
Thessalonica capta quam exprompserant,
recta capitibus enses impingebant,
fratrum suorum gentiliumque vindices

οὓς εἰς στρατιὰν ἀποτάξας ὡς δέον,
ῥωμαϊκοῖς τάγμασιν ἐγκαταλέγει·
καὶ τοῖς θύραθεν οὖσι ταγμάτων πάλιν
ὀψώνια πέπομφε καὶ πλείστας δόσεις,
πρὸς τὴν κατ' ἐχθρῶν παραθαῤῥύνων μάχην,
κεντηνάρια χρυσίου στείλας σφίσι
ποσούμενα ξύμπαντα τετράκις δέκα·
ἦν, δ' ὡς ἔφην, στράτευμα σικελῶν ἄνω
πόλεις ἐλαῦνον ῥωμαΐδας καὶ τρύχον.
Σέῤῥας μὲν ἠμαύρωσε Στρυμμόνος τόπους,
Ἀμφίπολιν δὲ τειχομαχίᾳ πόλιν
ἤδη παριστήσαντο σὺν τοῖς ἐν κύκλῳ·
εἷλον Βολερὸν, Μοσυνόπολιν πόλιν·
καὶ τὴν βασιλεύουσαν αἱρήσειν πόλιν
ὡς νοσσιὰν ἔρημον ᾤοντ' αὐτίκα,
κύκλῳ περιστήσαντες αὐτῶν δυνάμεις·
καὶ σφῶν στόλος δὲ νησίοιν ἀμφιῤῥύτοις
ἐλλιμενίζει ταῖς περὶ πόλιν φθάσας·
ἀλλὰ στρατηγὸς στρατιᾶς τῶν αὐσόνων
Βρανᾶς ἀνήρ τις γεννάδας βουληφόρος
ἐχθροῖς ἰταλοῖς συμπλακεὶς κατὰ μάχην
Θεοῦ συνάρσει συντρίβοντος τὰς μάχας,
τρόπαιον ἱστᾷ κατὰ βαρβάρων μέγα,
καὶ πλεῖστον εἰργάσατο σικελῶν φόνον·
ζωγρεῖ τε καὶ σφῶν τοὺς λοχαγοὺς ταγμάτων
τὸν Ῥικάρδον τε καὶ Βαλδουῖνον κόντον,
οὓς βασιλεῖ πέπομφε πρὸς πόλιν κράτους·
ζωγρεῖ δὲ σὺν οἷς ἐῤῥέθη στρατηγέταις
κομνηνὸν, Ἀλέξιον πατρίδος φθόρον
ῥέκτην τε κακῶν κυκεῶνα τε ζάλης,
καὶ φωτὸς ἐστέρησεν αὐτὸν ὀμμάτων·
ὅσοι δ' ἰταλῶν ἐξέφυγον τὸν φόνον,
Θεσσαλονίκην καταλαβόντες πόλιν,
ναυσὶν ἀπηλλάττοντο πρὸς τὴν πατρίδα·
ὅσοι δ' ἐναλύοντες ἦσαν τῇ πόλει
κακοὶ κακῶς ὤλλυντο δικαίως ξίφει,
ἐπιφθασάσης στρατιᾶς σφᾶς αὐσόνων·
πάντες δ' ἀπεσφάττοντο σικελοὶ σπάθῃ,
ἄλλοις τε πολλοῖς ἀνδράσιν εὐκαρδίοις,
τοῖς δ' ἀλανοῖς μάλιστα συμμάχοις τότε·
ἀντίῤῥοπα δρῶντες γὰρ οὗτοι λατίνους
ὧν πρὶν καθυπέστησαν ἀσπλάγχνῳ τρόπῳ
ἐπὶ κατασχέσει γε Θεσσαλονίκης,
ἔπηγον εὐθὺς τὸ ξίφος κατὰ κάρας
σοῦ σύγγονος φάσκοντες ἢ συμφυλέτης;

οὓς πρὶν ἀνεῖλον δηλαδὴ κατὰ πόλιν·
τούτων δὲ ναοῖς προσπεφευγότας πάλιν
σφάττοντες ἀνέκραζον ἐν παῤῥησίᾳ
ποῦ σοῦ παπᾶς πέφυκεν ἀνῃρημένος;
οὓς ἐν ναοῖς ἔκτειναν οἱ μιαίφονοι·
ἐφ' ἂν ὑπῆρχε καθορᾶν τι ϗ ξένον
τοὺς κύνας οὐ θίγοντας ἀστῶν σωμάτων
τῶν νεκριμαίων ἀμφόδοις ἐῤῥιμμένων·
τοῖς δ' ἰταλῶν πτώμασι τῷ τηνικάδε
ἐπιμανέντας ἐσθίειν κατὰ κόρον
ϗ τυμβορυκτεῖν εἰ δεήσοι πολλάκις·
οὕτως ἀπηλάθη μὲν ἐκ Θεσσαλίας
ἡ σικελικὴ στρατιὰ σὺν αἰσχύνῃ·
αἱ δὲ τριήρεις αἱ κατὰ Βυζαντίδος
ἐκπλεύσασαι σφῶν, ὡς ἔφημεν ἀνόπιν,
κακῶς παθοῦσαι πρὸς στρατιᾶς αὐσόνων
πλείστας τε ναυτῶν ἀποβάλλουσαι μόρῳ
οὖσαι περί που δὶς ἑκατὸν ϗ πλέον
ᾤχοντ' ἀγεννῶς ἀκλεῶς πρὸς πατρίδα·
ὧν φασι πολλαὶ κατέδυσαν εἰς βάθος
κατά γε τὸν πλοῦν πνευμάτων καταιγίσι
περιπεσοῦσαι ϗ κλύδωνι ϗ σάλῳ·
ὡς ἀπολέσθαι κατὰ τάσδε τὰς μάχας
ἀνδρῶν ἰταλῶν μαχίμων πρὸς αὐσόνων
πλείους σχεδόν που χιλιοστύων δέκα·
ϗ συσχεθῆναι κατὰ διπλῆν μάχην
ἄνδρας σικελοὺς τέσσαρας χιλιάδας·
οἳ δημοσίαις φυλακαῖς καθειργμένοι
ὤλοντο λιμῷ ϗ κρύει ϗ τῇ νόσῳ·
ἠγάγεθ' οὗτος ϗ σύνευνον δευτέραν,
πρώτης θανούσης, παῖδα ῥηγὸς Οὐγγρίας·
ἧς οὐ θελήσας νυμφικὴν δαῖτα γάμους
ἐκ δημοσίων χρημάτων ἑστιάσαι,
φειδοῖ τε τούτων, ϗ φιλοχρύσῳ τρόπῳ
ἐκ τῶν ὑπ' αὐτὸν ἀστέων ὑπηκόων
χωρῶν τε λοιπῶν ἦν τάδ' ἠρανισμένος·
ὧν χάριν μυσῶν ἐκταραχθέν πως ἔθνος
κατ' Αἷμον οἰκοῦν οἳ κικλήσκονται Βλάχοι,
ἀπεστάτησεν αὐσόνων κραταρχίας,
ἀφαίρεσιν σφῶν θρεμμάτων εὑρηκότες,
τὴν Πατρόκλεος (1) πρόφασιν, ἣ φασιν λόγος·
ϗ συνεπαλείφουσαν αὐτοὺς πρὸς τόδε
δυάδ' ἀδελφῶν Ἀσάνην τε ϗ Πέτρον·

quos illi nempe per urbem mactaverant.
Quod siqui ad sacra asyla confugiebant,
hos iugulantes clamabant ferociter,
ubinam est occisus per vos sacerdos?
nam et se sacris caedibus impiaverant.
Tum et mirandum quiddam videre licuit,
canes parcentes civium corporibus,
si quae proiecta iacebant in vicis;
ast Italorum certatim cadavera
avida fame ibidem devorantes,
quin et sepulchris saepe protrahentes.
Sic e thessalicis pulsus fuit finibus
cum ignominia siculus exercitus.
Triremes autem, ut superius diximus,
byzantina urbe fugientes procul,
male a romano milite sunt mulcatae,
atque amiserunt plurimam turbam nauticam:
quumque ducentae essent vel etiam plures,
turpiter victae fugiebant in patriam:
quarum permultae fama est in cursu
ventorum vim perpessas et tempestatis,
naufragas medio periisse mari.
Quare in his proeliis bellatores itali
contra romanum decertantes militem
occubuerunt decem ferme mille:
terrestrique simul et maritimo
bello sunt capti quater mille Siculi,
qui carceribus publicis conclusi
frigore sunt enecti et morbo et fame.
Alteram duxit Isaacius coniugem,
mortua priore, ungarici regis filiam:
quarum nuptiarum sponsalisque pompae
nolens de fisco regio impensas facere,
dum huic parcit victus avaritia,
coepit pecuniam subditis ex urbibus
et reliquis castellis coacervare:
unde commoti populi Moesorum,
incolae Haemi, qui dicuntur Blachi,
fidem romano negarunt imperio,
propterea quod suis gregibus spoliabantur,
Patroclis occasio ut est in proverbio.
Ad id praeterea facinus sunt compulsi
a fratribus duobus Asane et Petro

(1) Cod. Πάτροκλος. De iis dici proverbium Diogenianus VII. 47. ait, qui cum proprias calamitates ob metum deplorare non ausint, sub alieno praetextu eas deflent. De Patroclo sordidissimo Aristophanes in pluto I. 1. 28.

moesis et ipsis genere et ingenio.
Hi populares suos, qui deficere
a partibus imperii subtimebant,
exacuerunt callido artificio,
seu daemoniaca fraude, ut rectius dicam.
Splendidum isti condiderunt fanum
Demetrio martyri unguentifluo,
ibique quosdam familiares daemonum
lymphatos homines dolose collocarunt,
oculos distorquentes, effusis comis:
atque his mandarunt ut tamquam inspirati
sic loquerentur inter multitudinem.
Nempe quod Deus Bulgaros atque Moesos
in libertatem vindicare vellet;
propterea Demetrium quoque magnum
Thessalonicam cum suo templo insigni
atque romanas deserentem sedes,
huc demigrasse opem adlaturum.
Quare iam mora protinus abrupta
armis Romanos commotis adpeterent,
cosque in proelio sine venia occiderent,
neminem vivum pretio dimitterent.
Haec inclamantes bacchici divini
persuaserunt barbaris ut arma caperent,
qui romanam ditionem ad Haemum sitam
concursaverunt totam diripientes.
Petrus quin etiam aurea corona caput
vinxit, et pedes calceis purpureis.
Hos ergo adgressus armis imperator
proelio victos compulit in fugam.
Asan vero Petrusque auctores sceleris
Istro transmisso cum suis rebellibus,
adiunxere semet barbaris loci accolis.
Caesar cum posset universam Moesiam,
percurrere recteque eam componere,
quoniam nuspiam quisquam resistebat,
utile nihil ad tutelam praestitit.
Inflammatis igitur frumenti cumulis,
simul Blachorum fraudibus deceptus,
ad urbem regiam retulit inde pedem,
relictis ibi rebus in discrimine.
Tum Asan atque Petrus adsumptis Scythis

καὶ τούςδε μυσοὺς καὶ γένος καὶ τὸν τρόπον·
οἱ πρὶν ὀκνοῦντας βαρβάρους συμφυλέτας
ἀποστασίαν καὶ τὸ ῥαγῆναι κράτους,
σφᾶς παραθαῤῥύνουσι δραματουργίᾳ
ἢ μᾶλλον εἰπεῖν δαιμονιώδει πλάνῃ·
περιφανῆ κτίζουσιν ἱερὸν δόμον
μυροβλύτῃ (1) μάρτυρι τῷ Δημητρίῳ,
εἰς ὃν θιασώτας γε τινὰς δαιμόνων
ἐνθουσιῶντας ἐμβιβάσκοντες δόλῳ
διαστρόφους κόρας τε χαίτας ἀνειμένους,
τοιάδε θείας ἐξ ἐπινοίας τάχα
λέγειν ὑπηγόρευον αὐτοῖς εἰς ὄχλους,
ὅτι θεὸς μυσῶν τε βουλγάρων γένους
ἐλευθερίαν εὐδοκεῖ ζυγοῦ λύσιν·
ταῦτ' ἄρα λιπεῖν καὶ Δημήτριον μέγαν
Θεσσαλονίκην καὶ νεὼ κάλλος ξένου
διατριβάς τε ῥωμαϊκὰς καθάπαξ
ἐλθεῖν πρὸς αὐτοὺς συμμαχήσοντα σφίσι·
μέλλειν τολοιπὸν οὐδὲ βραδύνειν ἔνι,
χρεὼν δὲ κινεῖν κατὰ ῥωμαίων ὅπλα,
ἀνηλεῶς κτείνειν τε τούτους ἐν μάχῃ,
ζωγρεῖν δὲ μηδένα, μὴ δ' ἐπὶ λύτροις λύειν·
τοιαῦτ' ἀνακράζοντες οἱ θεοπρόποι,
ὅπλων γενέσθαι κατέπεισαν βαρβάρους,
καὶ τὰ κατ' Αἶμον ῥωμαϊκὰ χωρία
κατέδραμον ξύμπαντα κείροντες βίᾳ·
Πέτρος δ' ἀναδεῖ καὶ χρυσῷ στέφει κάραν
καὶ φοινικοῦν πέδιλον εἰλίσσει πόδας·
ὅθεν κατ' αὐτῶν ἐκστρατεύσας ὁ κράτωρ
ἐτρέψατο σφᾶς καὶ τίθησι φυγάδας·
Ἀσὰν δὲ Πέτρος κακίας ἀρχηγέται
Ἴστρον διαβαίνουσι σὺν ἀποστάταις
καὶ συνέμιξαν βαρβάροις παριστρίοις·
ἄναξ δ' ἐπελθεῖν Μυσίας πάσης ὅρους
καὶ τὰ κατ' αὐτὴν εὖ διαθέσθαι πάνυ
τῇ κωλυσόντων ἰσχύων ἐρημίᾳ,
τοιοῦτον οὐδὲν ὤπτο κατειργασμένος
πυρὶ δὲ καρπῶν πυραδοὺς θημωνίας,
καὶ ταῖς ἀπάταις ὑπαχθεὶς ταῖς τῶν Βλάχων,
παλινδρομεῖ δὲ πρὸς πόλιν βασιλίδα,
τἀκεῖ λελοιπὼς ὠδίνοντα πραγμάτων·
Ἀσὰν δὲ Πέτρος σὺν σκύθαις εἰς πατρίδα

(1) Cognomentum hoc s. Demetrio attribuitur etiam in argentea tabella cum his litteris in christianis inscriptionibus. Αὕτη ἡ στάμνος φέρει μύρον ἅγιον ἐκ τοῦ φρέατος ἀντλήσασα, ἐν ᾧ τὸ σῶμα τοῦ μυροβλύτου θείου Δημητρίου τοῦτο ἀναβλύζον κεῖται.

αὖθις ἐπανέδραμον ἀνυποστόλως·
ἐπῆσαν σὺν ῥωμαϊκοῖς χωρίοις
λείαν μυσῶν ἅπαντα δρῶντες ὡς λόγος·
καθ' ὧν ἀφῖκτο σὺν στρατιᾷ μυρίᾳ
στρατηγὸς Ἀλέξιος Βρανᾶς τοὐπίκλην·
ὃς δὴ τρέφων ἔρωτα πάλαι τοῦ στέφους
καὶ τηνικαῦτα συνδρομὴν σχὼν ταγμάτων,
ἀποστατήσας, σύμβολα τὰ τοῦ κράτους
αὐτῷ περιθεὶς, πρὸς Βυζαντίδα τρέχει·
καὶ δὴ πρὸ τειχῶν αὐλίσατό πῃ φθάσας,
πειρώμενος λόγοις τε τοῖς ὅπλοις πλέον
ἀστυπολιτῶν ὡς ἐνὸν καθ' ἡμέραν·
καὶ βασιλεὺς δὲ στρατιὰν συναλίσας
ἀνδρῶν ὁπλιτῶν ἐκ φύλων ἀλλοθρόων
σκυθῶν, ἰταλῶν, ἀγαρηνῶν, ἰβήρων,
ἰταλιώτου Κορράδου συμβουλίᾳ,
ἀντικατέστη τῷ τυράννῳ πρὸς μάχην·
ὑπῆρχε δ' ἐκφὺς εὐπατριδῶν πατέρων
τῶν παρ' ἰταλοῖς ἀρχικῶν ὁ Κορράδος,
ἀνὴρ περιώνυμος ἐν καλοῖς ὅλοις
λαχὼν φυσικὴν εἴ γέ τις εὐκληρίαν,
φρενῶν τε βαθύτητα, σώματος σθένος,
δραστήριος μάχας τε καὶ ῥωμαλέος·
γαμβρὸς κρατοῦντος εἰς σύναιμον τυγχάνων
θεόσδοτον δώρημα φανεὶς τηνικάδε
ἄνακτι τῷδε κατὰ τήνδε τὴν μάχην·
ὃς ἐκ λατίνων συναγείρας ἱππότας
ἀρειμανίους δὶς ἑκατὸν καὶ πλέον,
πεζοὺς καταφράκτους δὲ πεντακοσίους,
ἡγεῖτο τῶνδε καὶ κατορθοῖ τὴν νίκην·
παρῆν δὲ κατάφρακτος ὅπλοις καὶ κράτωρ
μετὰ στρατηγῶν εὐθετῶν τε ταγμάτων·
ἐπεὶ δ' ὑπῆρχε συμπλοκῆς καιρὸς μάχης,
εὐώνυμον μετὰ εἶχε Καμμύτζης κέρας
πρωτοστράτωρ ὢν εὐγενὴς βουληφόρος·
τὸ δεξιὸν δὲ βασιλεὺς ἦν διέπων·
σὺν ἰταλοῖς δ' ἴθυνε Κορράδος μέσον·
καὶ Βρανᾶς δ' ἐξήταζεν αὐτοῦ δυνάμεις
μέσον μετὰ αὐτὸς κατέχων τῶν ταγμάτων
τὰ δ' αὖ ἑκατέρωθεν, ἰλάρχαις πάλιν.
καὶ συῤῥαγείσης παρ' ἑκατέρων μάχης,
ἵν' ὡς ἔπος, φράσαιμι συντόμῳ λόγῳ,
πίπτει Βρανᾶς αἴσχιστα Κορράδου ξίφει,
καὶ τὴν κεφαλὴν τέμνεται παραυτίκα,
καὶ τέρμα μάχη καὶ τυραννὶς λαμβάνει·

in patriam redeunt, prohibente nemine,
rursusque ingressi romanas regiones
Moesis exercent dignum latrocinium.
Contra hos venit cum innumero exercitu
Alexius dux cognomento Branas,
qui regiae iamdiu inhians coronae,
nunc conspirantes legiones nactus,
a Caesare deficiens sumpsit purpuram,
atque Byzantium concito cursu veniens
constitit improvisus ante moenia;
ibique civium, verbis et armis magis,
sollicitabat valde quotidie animos.
Sed imperator congregato exercitu
ex viris militaribus externi generis,
Italis nempe, Scythis, Iberis, Turcis,
italici Corradi consilio impulsus
ausus est pugna tyranno resistere.
Nobili genitus fuerat de genere
italicorum principum Corradus,
vir clarus, omni lande florentissimus,
naturae dotibus praeditus eximiis,
mentis sapientia viribus corporeis,
strenuus patrandis proeliis et praevalidus,
Caesaris sororem in coniugio habens,
vere caeleste per id tempus donum
regi concessum ob imminens discrimen.
Nempe hic latinis collectis equitibus
Martem spirantibus paulo plus ducentis,
cataphractisque peditibus qningentis,
ducem se praebuit victoriamque retulit.
Caesar quin etiam loricatus adfuit
cum ducibus ac fortibus ordinibus.
Cumque iam acies essent in procinctu,
sinistro cornu praefuit Cammytzes
protostrator et nobilis consiliarius;
dexterum ipse Caesar cornu rexit;
medium tenuit Corradus exercitum.
Aciem et Branas ordinavit suam,
mediam ipse occupans phalangem,
alas tribunis regendas attribuens.
Mox concurrentibus utrimque aciebus,
ut paucis verbis tantam rem complectar,
Corradi Branas cadit ense turpiter
eique caput statim amputatur,
fitque simul pugnae finis et tyrannidi.

Deinde nobiles, qui rebelles fuerant,
legationem ad Caesarem submiserunt
criminis veniam sibi deposcentes.
Caesar se praebuit cunctis indulgentem,
atque accedentes benivole excipiens,
cunctis prudenter veram paenitentiam
violatorum foederum suadebat:
atque ut sacri vinclis anathematis
a patriarcha byzantinae urbis
peterent solvi, quibus ante triduum
a civibus obstricti rite fuerant,
dum summis moeniis stantes atque turribus
mala rebellium spectarent facinora.
Atque in his multi tacti paenitentia
ad magnum praesulem fervide accedebant:
ast alii vanam speciem consensus
capitis nutu tenus simulantes,
exhortationem Caesaris ridebant.
Ipse profectus iterum in Moesiam
hostium effusas passim excursiones
sane parumper armis compescuit
progressus usque ad urbem Hadriani.
Interim Moesi devastabant rursus
circa Philippi civitatem pagos.
Dum laboranti rex parti succurreret,
locum quem vacuum abiens reliquerat,
contumax statim moesa gens tenebat.
Barbaros ergo debellare studens
ad Triaditzae contulit se fines:
sed quum rigente hieme nil proficeret,
expeditus ipse Byzantium venit:
dumque illic miles manet sub Iove frigido,
circi spectabat ludicra certamina.
Attamen verno tempore Byzantio
rursus discedens Moesos armis petiit:
cumque ob capiendum laborasset diu
Lobitzum quoddam Moesiae castellum,
inconsummatam operam omittens,
iterum regiam rediit in urbem.
Scilicet pulchrae gratia Propontidos,
aedificiorum commoda et ornatus,
venatio dulcis et simul equitatio,
piscium praeda, cum hilaritatibus,
diu longinquum non sinebant Caesarem,

ἐπεὶ δ' ἐπρεσβεύσαντο πρὸς βασιλέα
οἷς περ μετῆν σθένους τε λαμπροῦ καὶ γένους
ἐκλιπαροῦντες λύσιν εὑρεῖν πταισμάτων,
ἄναξ βραβεύει πᾶσι τὴν ἀμνηστίαν.
καὶ προσδραμόντας εὐμενῶς δεδεγμένος
πᾶσι αἰχρῆσθαι γνησίῳ μεταμέλῳ
ἐπὶ παραβάσει γε φρικτῶν ὁρκίων
τῶν πρὶν πρὸς αὐτὸν ὑπετίθει σὺν λόγῳ·
latinae servituti haud subiacuit.
Nam Theodorus Mancaphas cognomine,
generis stirpem ab hac urbe repetens
pugna conserta cum latino Errico
quodam in loco haud procul Atramyttio,
ipse vix quidem necem evitavit,
nihilo tamen minus ipsa civitas
latino immunis mansit dominatu.
Interim Marchio hesperias civitates
bellans latino subigebat nomini,
quibusdam nostris utens viae ducibus.
Sgurus autem Leo cohorte imposita
Atticae loco celebri Thermopylis,
ut ibi proelians Italis resisteret;
nulla re digna laudibus patrata,
raptim Corinthum fuga se proripuit.
Hic erat ortus Nauplii regione,
modicum nactus a patre principatum:
verum reciproco temporum euripo,
praepostero varioque fortunae cursu,
usque progrediens magnus e parvo evasit.
Is et Corinthum oppidum diripuit,
et Argos simili posthinc latrocinio.
Postremo Athenas etiam invadebat,
verum repulsus verbis archipraesulis
Michaëlis choniatae sapientissimi,
Thebas celeriter excurrit heptapylas,
easque sibi facili bello vindicat:
et dum Larissae faucibus exiret,
imperatori quondam Alexio occurrit,
qui borealibus partibus digressus,
exulum more hac et illac errans,
nunc ad thessalica tempe pervenerat,
habens in comitatu Eudociam filiam,
quam tunc desponsam collocavit Sguro.
Ipsa quidem olim matrimonio fuerat
principi iuncta Triballorum Stephano,
qui repudiatam remisit in patriam.

ᾤχοντο λοιπὸν εἰς φυγὴν τετραμμέναι·
κρατεῖ δὲ Πέτρος εὐχερῶς Λοπαδίου,
ἐκ γειτόνων ἄλλων τε λοιπῶν ἀστέων·
ἐπεὶ δὲ προσβάλλει καὶ Προύσῃ πόλει
ἀνηνύτοις ἔγνωκεν ἐγχειρεῖν μάτην·
μεθίσταται γοῦν καταλιπὼν τὴν πόλιν·
Προυσαίοις δ' ἴσα καὶ Φιλαδέλφου πόλις
δουλείας ἀνάλωτος ἰταλῶν μένει·
Θεόδωρος γὰρ μαγκαφᾶς τις τοὐπίκλην
ἄνωθεν αὐχῶν ἄστυ πατρίδα τόδε,
Ἐρρῆ συνάψας λατίνων ἀρχῇ μάχην
ἔν τινι χώρῳ τῷ πρὸς Ἀτραμυττίῳ
αὐτὸς μόρον πέφευγε τὸν ἐκ τοῦ ξίφους
οὐδὲν δὲ μεῖον καὶ πόλις ἀνωτέρα
τῆς ἰταλῶν ὤφθη κυριαρχίας·
Μαρκέσιος δὲ τὰς πρὸς ἑσπέραν πόλεις
αἱρῶν ὑπῆγε τῷ κράτει τῶν λατίνων,
ἔχων ποδηγούς τινας ἐκ τῶν αὐσόνων.
Λέων δὲ σγουρὸς ὑποκαθίσας λόχον
ἐν Θερμοπύλαις Ἀττικῆς τῷ χωρίῳ
πρὸς δῆθεν ἀντίμαχον ἰταλῶν μάχην,
μηδὲν δὲ γενναῖον τι καὶ δράσας ὅλως
ἐκεῖθεν εἰς Κόρινθον ᾤχετο τρέχων·
ὃς ἐξέφυ μὲν ἐκ κλίματος Ναυπλίου
πατρῴας ἄρχων μετρίας κληρουχίας·
ἀνωμαλίᾳ καιρικῇ δὲ πραγμάτων
φορᾷ τε τύχης ἀστάτου καὶ συγχύσει
ἀεὶ προϊὼν ἐκ μικροῦ μέγας ἔφυ·
ληΐζεται δὲ καὶ Κορινθίων πόλιν,
Ἄργος παρεστήσατο πᾶν λῃσταρχίᾳ·
τέλος προσαρράσσει δὲ καὶ ταῖς Ἀθήναις·
ἀλλ' ἀποκρουσθεὶς ἀρχιποιμένος λόγοις
τοῦ χωνιάτου Μιχαὴλ τοῦ πανσόφου,
Θήβαις ἐφορμᾷ ταχέως ἑπταπύλοις,
καὶ τάσδε συσχὼν ῥᾷστα τῆς μάχης νέμει,
πρὸς Λαρίσσης ἔξεισι τὰς διεξόδους,
ἔνθα βασιλεῦ συνέμιξ' Ἀλεξίῳ,
ὃς ἀπαναστὰς ἐκ μερῶν προσαρκτίων
ἀλώμενός τε τῇδε κἀκεῖσ' ὡς πλάνης
καὶ θετταλικοῖς τέμπεσι προσερρύη,
ἄγων μεθ' αὐτοῦ παῖδα τὴν Εὐδοκίαν,
ἥνπερ κατηγγύησε τῷ Σγουρῷ τότε·
συνῆπτο δὲ πρὶν πρὸς γάμου κοινωνίαν
ἀρχηγετοῦντι τῶν τριβαλῶν Στεφάνῳ,
ὃς ἐκβαλὼν ἔπεμψε τήνδ' εἰς πατρίδα·

ᾗ Δούκας συνῴκησε Μούρτζουφλος θέσιν
μετὰ στέρησιν καὶ κράτους καὶ πατρίδος·
ὅντινα συσχὼν Ἀλέξιος σὺν δόλῳ
ἄναξ πλάνης ἄνακτα πλανήτην ἴσον
ἔθηκε τυφλὸν, ὀμμάτων λύχνους σβέσας·
εἶτ᾽ εἰς λατίνων ἐμπεσὼν φονὰς χέρας
δέσμιος ἀχθεὶς εἰς πόλιν τὴν τοῦ κράτους,
δίκας ὑπέσχε τοῦ δι᾽ ἀγχόνης μόρου
ὅνπερ ἐπῆγεν Ἀγγέλῳ Ἀλεξίῳ·
εἰς κίονα γὰρ ἀναχθεὶς Ταύρου μέγαν
ἐκεῖθεν ἠκόντιστο, φεῦ δίκης, κάτω
καὶ συντριβεὶς ὤλλυτο βιαίῳ μόρῳ.
Μαρκέσιος δὲ τὴν Βοιωτίαν φθάσας,
ταύτην παρεστήσατο ταῖς στρατηγίαις·
κρατεῖ προϊὼν Ἀττικῆς σὺν Εὐβοίᾳ·
ὡς ἐν κεφαλαίῳ δὲ συντεμὼν φράσω,
μήπω περιτραπεύσαντος ἀκριβῶς ἔτους,
ἑῷον ἑσπέριον αὐσόνων κλίμα
ἅπαν ὑπεῖκε τῷ κράτει τῶν λατίνων·
ἄναξ δὲ φυγὰς Ἀλέξιος σὺν χρόνῳ
εἰς ὄψιν ἐλθὼν λατίνῳ Μαρκεσίῳ,
τὰ σύμβολ᾽ ἀφῄρητο τοῦ κράτους ἄκων,
εἰς ἁλμυρὸν δ᾽ ἔσταλτο χῶρον ἑσπέρας
ἐκεῖ διάγειν καὶ διανύειν βίον
σὺν Εὐφροσύνῃ συζύγῳ βασιλίδι,
σχόντες τύχῃ σύμφωνον ἀτεχνῶς τόπον·
ὅσοι δὲ συνείποντο τῷ στεφηφόρῳ
ἄνδρες μαχηταὶ καὶ γένους ὀρειτίμου
πόλεις θρακικὰς πατρίδας κεκτημένοι
ᾑροῦντο συνεῖναι γε τῷ Μαρκεσίῳ,
καὶ δυνατὴν σύναρσιν οἱ συνεισφέρειν,
καὶ λιπαροῦσιν ὑπὸ τῷδε τυγχάνειν·
ὁ δ᾽ οὐ προσέσχε τῇ δεήσει σφῶν ὅλως,
μὴ χρείαν ἴσχειν ῥωμαϊκῶν ταγμάτων
ἢ τῆς παρ᾽ αὐτῶν φάμενος συμμαχίας·
ὡς δ᾽ ἱκέται γίνοιντο καὶ Βαλδουίνου
ὡς σφίσι τὸ πρόθυμον ἥκῃ πρὸς πέρας·
καί τι προβαῖνον οὐχ ἑώρων εἰκότως,
προσῆλθον ἀρχῷ Μυσίας Ἰωάννῃ,
Ἀσὰν συναίμῳ καὶ Πέτρου τοῦ ἐξ Αἵμου,
ἀνδρὶ στρατηγῷ γεννάδᾳ τολμητίᾳ
πάσας διαφθείροντι ῥωμαίων πόλεις
χώρας τε λοιπὰς κειμένας πρὸς ἑσπέραν,
σκυθῶν ὁμαιχμίᾳ τε καὶ συμμαχίᾳ·
ὃς λατινικὴν ὑφορώμενος βλάβην,

Eadem Murtzuflo Ducae deinde nupsit
postquam hic imperium patriamq. amiserat.
Sed hunc deinde captum Alexius dolo,
rex erro erronem regem sorte pari,
lumine cassum oculorum reddidit.
Saevis postremo Latinorum manibus
Ducas exceptus Byzantiumque ductus,
pertulit poenam, quod Alexio Angelo
gulam funesto laqueo fregisset.
Nam de sublimi Tauri columna
praecipitatus est, proh Dei indicium!
et sic collisus violenter obiit.
Interim Marchio venit in Boeotiam,
eamque sibi bello fecit subditam;
Atticam quoque obtinuit cum Euboea.
Atque ut paucis rem verbis expediam,
integro nondum praeterlapso anno
eoa simul ditio atque occidua
nostra in latinum cessit dominatum.
Alexius posthinc exul imperator
cum in latinum Marchionem incurrisset,
exuitur invitus imperii insignibus:
tum ad hesperium salsi aeris locum
mittitur, ut vitam ibi suam clauderet,
non sine Euphrosyne coniuge regina,
sedem fortunae congruam sortiti.
Caesaris autem stipatores regii
strenui viri stirpis generosae
thracias urbes patriam habentes,
ut cum Marchione facerent stipendia,
validam ipsi offerebant operam,
eiusque imperio postulabant obsequi:
ille tamen preces prorsus respuit;
nec sibi romano opus esse milite
dixit, nec illorum expetere auxilia.
Iidem Balduino fuerunt supplices,
si forte fierent voti sui compotes;
verum cum spe frustratos semet cernerent,
ad Moesiae principem Iohannem veniunt
Petri Asanisque fratrem in Haemo natum,
audacem virum, bellatorem strenuum,
et romanarum urbium perniciem,
quas cum hesperiis vastabat regionibus,
fretus Scytharum foedere et auxiliis.
Is ut Latinis detrimentum faceret,

supplices illos excipit libenter
inque suam singulos patriam remittit;
mandans ut damnis Latinos adficerent,
quos sibi infensos iamdiu sciebat,
terroremque belli, direptionem patriae,
et principatus iacturam minantes,
nisi serviret dominis Latinis
iussaque prompto faceret obsequio.
Reversi in patriam milites, quos diximus,
urbibus hesperiis Thraciaeque simul
itemque Macedoniae suaserunt
ut a latino imperio deficerent,
Deo favente, Moesis auxiliantibus.
Italos multos demiserunt orco
Didymotichi incolas potissime:
alios Byzantium coegerunt fugere.
Atque haec caedes latino flagello
eoas etiam terras liberavit,
dum ad graviora damna accurrunt Itali:
et simul illos modestiores reddidit
qui fastu elati Pelopis tenebant
armis provinciam magnam atque Helladem.
Didymotichum simul et Hadrianopolim
Romani egregio imposito praesidio
auxiliantibus retinebant Blachis.
Iohannes autem contrahebat copias
atque accersebat scythica subsidia,
idque Latinis clam curabat fieri.
Sed conspirantium Romanorum motibus
rex Italorum Balduinus cognitis,
militem mittit ad rebelles urbes,
a quo cum Byzia capitur Tzurulus
latinoque iugo utraque subiicitur.
Urbem Arcadii cuncti deseruerant
cives pecunia vel stirpe conspicui;
reliquus tamen portis egressus populus
pugnam cum Italis maluit committere;
verum fugati omnes caeduntur gladio,
dum Latinorum furor parcit nemini,
ac ne sepulchri quidem gratiam annuit.
Reliquus autem latinus exercitus,
quem Balduinus ipse ducebat Caesar,
ad Orestiadem contulit se urbem,
eamque structis obsidens aggeribus
summo conatu nitebatur capere.

πρόσφυγας ἄνδρας ἀσμένως δεδεγμένος
πρὸς τὰς ἑαυτῶν ἀποπέμπει πατρίδας,
τούτοις κελεύσας δρᾷν τι κακὸν λατίνους
οὐκ εὖ πρὸς αὐτὸν διακειμένους τέως·
φόβους δ' ἐπισείοντας αὐτῷ ϗ μάχας,
ἔκπτωσιν ἀρχῆς ϗ σκύλευσιν πατρίδος,
εἰ προσφέροιτο μὴ σφίσιν ὡς δεσπόταις
ϗ πάνθ' ὑπείκοι τοῖς παρ' αὐτῶν ῥᾳδίως·
ὡς οὖν ἐπανῆκον γε πρὸς τὰς πατρίδας
πόλεις δυτικὰς αὔσονες τούτου τρόπου,
τὰς τῆς θρακῶν τε ϗ μακεδόνων πόλεις
ἀφηνιάσαι δρῶσι λατίνων κράτους,
θεοῦ συνάρσει ϗ μυσῶν συνεργίᾳ,
πολλοὺς ἰταλῶν παραπέμψαντες μόρῳ,
μάλιστ' ἐνοίκους τῆς διδύμου τειχέων·
οὓς δ' αὖ φυγάδας εἰς πόλιν δεδρακότες·
ϗ τοῦτο τοὔργον, λατινικῆς κακίας
ἐλευθέραν ἔδρασε πᾶσαν τὴν ἕω,
πρὸς κατεπεῖγον ἰταλῶν ὡρμημένων,
ϗ σφᾶς φρονεῖν μέτρια τίθησι τέως
τοὺς Ἑλλάδα νῆσόν τε Πέλοπος ξένῳ
ὅπλοις ἑλόντας ϗ κατωφρυωμένους·
πλὴν Ἀδριανοῦ, Διδυμότειχον, πόλεις
κάλλιστα κρατύναντες αὐσόνων στῖφος,
κατεῖχον αὐτὰς συμμαχούντων ϗ βλάχων·
Ἰωάννης δὲ συντεταχὼς δυνάμεις
ϗ συμμαχίδας ἐκ σκυθῶν μυριάδας
σπουδὴν ἐτίθει λατίνους λεληθέναι·
ἐπεὶ δ' ἐπανάστασιν αὐσόνων μάθοι
ἄναξ ἰταλῶν Βαλδουῖνος ϗ δρᾶμα,
στέλλει στρατιὰν πρὸς πόλεις ἀποστάτας·
ἣ συνέσχε Τζουρουλὸν σὺν Βιζύῃ
ϗ ταύτας ὑπέταξε λατίνων κράτει·
ἀνδρῶν κενὴν δ' εὕρηκε τὴν Ἀρκαδίου
ῥυπφενῶν τε ϗ περιόντων γένει·
ὅμως ἐνόντες ἐκχυθέντες τῆς πύλης,
ϗ συμπλακέντες ἰταλοῖς κατὰ μάχην,
τραπέντες ἀπώλοντο πάντες τῷ ξίφει,
φειδὼ λατίνων οὐδένων εἰληφότων·
ἀλλ' οὐδ' ὁσίας τῶνδ' ἔτυχέ τις ὅλως·
ἡ δ' αὖ γε λοιπὴ στρατιὰ τῆς λατίνων
ἧς Βαλδουῖνος ἡγεμὼν ὑπῆν ἄναξ
Ὀρεστιάδα καταλαβοῦσα πόλιν,
ἐκεῖθι που χάρακα βαλοῦσα μένει,
ταύτην ἑλεῖν σπεύδουσα παντὶ τῷ τρόπῳ·

πρεσβεύεται γοῦν ἡ κακουμένη πόλις
πρὸς Ἰωάννην τὸν κρατοῦντα βουλγάρων,
τὴν δυνατὴν σύναρσιν ἐξαιτουμένη,
ἐπικρεμαμένου τε κινδύνου λύσιν·
ὁ δ' ἀσμένως δέδεκτο πρεσβείας λόγους·
ϗ συμμαχικὸν σκυθικὸν λαβὼν στίφος
ἐπεισπεπαικὼς ἰταλῶν στρατῷ λάθρα,
τοῦτον τροποῦται ϗ νικᾷ κατὰ κράτος·
ζωγρεῖ τε ϗ σφῶν κράτορα Βαλδουῖνον
κομῶντα πολλαῖς ἀρετῶν νεανίαν,
μάλιστα πασῶν σωφροσύνῃ ϗ δίκῃ,
ὡς φθὰς προϊστόρησεν ἀνόπιν λόγος·
ὅνπερ καθείρξας μακρὸν ἐν τῷ Τερνόβῳ
δράσας τὲ δεινὰ μυρία κακοτρόπως,
πέρας καθυπέβαλεν οἰκτρῷ θανάτῳ
κατ' ἠλιβάτων κατακρημνίσας τόπων.
Μεθ' ὃν κρατάρχει λατίνων τῶν ἐν πόλει
κλῆσιν Ἐῤῥῆς σύναιμος ὢν Βαλδουίνου,
ἀνὴρ ἱλαρὸς εὐμενὴς ὑπηκόοις,
πρὸς δὲ στρατηγὸς εὐσθενὴς τολμητίας,
ἐξύῤῥοπός τε πρὸς μάχας ἀντιπάλων·
ϗ στρατιώτας γεννάδας ῥωμαλέους
ἕλληνας ἄνδρας συντεταγμένους ἄγων
ἐπίλεκτον φάλαγγα ϗ νικηφόρον·
οὗτος μάχης αἴτιος ὤφθη πολλάκις
τῶν αὐσόνων ἄνακτι τῷ Λασκαρίῳ,
ϗ σφῶν παρεστήσατο χώρας ϗ πόλεις
πλήθει στρατιᾶς ϗ ψυχῆς προθυμίᾳ·
Λεντιανά τε Ποιμανηνὸν τὰς πόλεις
ϗ τὰς Ὀχυρὰς καταπορθήσας μάχῃ·
καθ' ἣν τρεῖς ὄλωλον ἀνδρῶν τῷ ξίφει,
πανευγενῶν τε ϗ περιόπτων βίῳ,
Δερμοκαΐτης ἡγεμὼν στρατευμάτων,
Παλαιολόγων Ἀνδρόνικος ἐκ γένους
γαμβρὸς κρατοῦντος εἰς Εἰρήνην τυγχάνων
τὴν πρωτόπαιδα φιλτάτην θυγατέρων·
πρὸς τοῖσδε τοῦδε ϗ φίλων εἷς συγγόνων.
Ἐῤῥῆ κρατοῦντος τοῦδε τῆς Κωνσταντίνου
Πελάγιός τις ἀρχιθύτης λατίνων
θερμουργὸς ἀνὴρ ὑπερόπτης τῶν νόμων (1),
πρὸς Πάπα πεμφθεὶς εἰς πόλιν βασιλίδα,
ὡς ποιμενάρχης ϗ λεγάτος τοῦ Πάπα,
ἐνημμένος δίκαια τοῦ πεπομφότος,
πάντας θυηπόλους τὲ ϗ μονοτρόπους

Tunc urbs periclitans legationem mittit
ad Bulgarorum principem Iohannem
validum petens militum auxilium,
qui se impendente discrimine eriperet.
Ille libenter legationem audiit;
cumque auxiliarium agmine Scytharum
exercitum latinum repente adgressus,
in fugam versum penitus devicit;
cepitque vivum Balduinum caesarem
permultis iuvenem ornatum virtutibus,
sed castimonia in primis ac iustitia,
ut mea superior retulit historia;
quem diu Ternobi carcere detentum,
exercitumque plurimis cruciatibus,
denique miserando supplicio adfecit
praecipitatum rupibus altissimis.
Post hunc Latinis imperat Byzantii
Balduini frater nomine Erricus,
vir comi aspectu, subditis benivolus,
et simul fortis dux et animosus,
atque ad ciendas pugnas paratissimus.
Hic habuit graecos milites fortissimos,
quos bene instructo agmine ducebat,
triumphalem phalangem et selectam.
Idem saepe gravem belli lusit aleam
cum Romanorum principe Lascareo,
nostrasque urbes cepit et provincias,
animi fortitudine et copia militum:
Lentiana nempe urbem ac Poemanenum,
Ochyras quoque armis superavit:
quibus in certaminibus tres perierunt
nobilitate et opibus insignes viri,
Dermocaites qui dux erat exercitus;
et Andronicus gente palaeologus
cui nuptui Caesar Irenem tradiderat
maiorem natu filiam et carissimam;
denique unus de Caesaris fratribus.
Byzantii imperium retinente Errico
latinus quidam Pelagius cardinalis,
homo temerarius, contemptor legum,
a Papa missus in regiam metropolim
tamquam legatus suus et summus praesul,
digna mittente adgressus committere,
monachos omnes atque sacerdotes,

(1) Verba sunt schismatici hominis et a pontificiis partibus alieni.

quotquot incolebant Constantinopolim,
coepit vexare et carceribus claudere
ob controversa dogmata ritusque;
quam rem gravate aegreque ferebant cives,
praesertim optimates ac senatores:
qui Erricum adeuntes imperatorem
mala suorum deprecantes gentilium
hoc usi sunt sermone confidenter.
Nos, imperator, ex aliena gente
alioque grege et libero prognati,
discrepantesque a vestris habentes ritus,
sponte tamen tuo paremus imperio:
sed enim ministerium praebere corporum,
non spiritalium rerum communionem
exhibere tibi hercle parati sumus.
Vel ergo statim fac malorum finem;
vel manumitte, ut liberi possimus
ad gentis nostrae pascua reverti.
Haec imperator audiit libenter,
invitoque licet Pelagio legato,
vincula solvit, molestias expedivit,
cunctis patere sacra templa voluit.
Haec in regali contigerunt urbe.
Nunc ad romanos principes transgredior,
horumque historico res dicam sermone.
Post regiam captam ab Italis metropolim
Theodorus dictus cognomento Lascaris,
quem caesaris Alexii scimus generum,
illinc secessit festinans cum coniuge:
cumque in nicaenam pervenisset urbem,
ibi deposuit coniugem dilectam:
ipse autem Prusam cum locis circumiectis,
aliosque pagos peragrans et urbes,
idoneis populos conciliabat sermonibus,
ut se unum regem dominumque agnoscerent:
neque non compos voti sui fuit.
Haud enim longo praeterlapso tempore
reapse rex creatur et imperator:
eumque Michaël byzantinae urbis
nuper sortitus patriarchae titulum
rite regali redimit corona.

Lascaris ergo creatus imperator
imperii pondus admodum viriliter,
immo potius regaliter, sustinuit.

οἰκήτορας ἕδρας τε τῆς Κωνσταντίνου,
πάνδεινα κακὰ ϗ καθείρξεις ἀτόπως
χάριν ἐθῶν τε δογμάτων ἀμφιβόλων·
ὃ δὴ λύπην ἤνεγκεν ἀστοῖς ϗ βάρος,
μάλιστα τοῖς προὔχουσι ϗ τοῖς ἐν τέλει·
οἳ πρὸς τὸν Ἐῤῥῆν τὸν κρατοῦντ' ἀφιγμένοι
ᾐτοῦντο λύσιν δυσχερῶν τοῖς φυλέταις,
ϗ τάδ' ἐπιλέγοντες ἐν παῤῥησίᾳ·
ὡς πρὶν μὲν ἡμεῖς ἀλλοδαπῆς ἐκ φύτλης
φύντες βασιλεῦ ϗ νομῆς ἐλευθέρας
ἄλλοις τ' ἐθίμοις παρ' ὑμᾶς κεχρημένοι,
σοῦ πλὴν ἑκόντες ὑπετάγημεν κράτει·
ϗ σωματικὴν ἐκτίνειν ὑπουργίαν
οὐ πνευματικὴν ψυχικὴν κοινωνίαν
ἡμᾶς παρεσχήκαμεν αὐτούς σοι τάχα·
ἃ γοῦν τὰ δεινὰ λῦσον ἡμῖν εὐθέως,
ἢ χειρὸς ἀπόλυσον ὡς ἐλευθέρους
παλινδρομῆσαι πρὸς νομὰς τῶν αὐσόνων·
ταῦτα βασιλεὺς εὐμενῶς δεδεγμένος,
ϗ Πελαγίου μὴ θέλοντος λεγάτου,
τὴν συμφορὰν λέλυκε τοῖς καθειργμένοις,
δεσμώτας ἀφεὶς ϗ ναοὺς βατοὺς ὅλοις·
ταῦτα μὲν οὕτω συμβέβηκεν ἐν πόλει·
εἶμι δὲ λοιπὸν πρὸς κρατοῦντας αὐσόνων,
ϗ τὰ κατὰ σφᾶς ἱστορήσω τῷ λόγῳ.
Ὡς οὖν ἑάλω τοῖς ἰταλοῖς ἡ πόλις,
Θεόδωρος μὲν ὁ λάσκαρις τοὐπίκλην
ὃν γαμβρὸν ἐγνώρισε κρατοῦντος λόγος,
ἀπῇρε προφθὰς τῆσδε σὺν ὁμοζύγῳ,
ϗ καταλαβὼν τὴν Νικαέων πόλιν
ὁμευνέτιν φίλτατα τῇδ' ἐνισάγει·
αὐτὸς δὲ Προῦσαν χωρία τε τὰ πέριξ
περιπολῶν ἄλλας τε κώμας ϗ πόλεις,
τῶν δ' εὐνοεῖν ἔπειθε τάσδε τοῖς λόγοις,
ϗ τόνδ' ἔχειν ἄνακτα δεσπότην μόνον·
ϗ τῶν κατὰ νοῦν οὐδόλως ἡμάρτανε·
πολλοῦ γὰρ οὔπω παραδραμόντος χρόνου
καθίσταται δὲ βασιλεὺς αὐτοκράτωρ
πρὸς ποιμενάρχου Μιχαὴλ Βυζαντίδος
ἄρτι λαβόντος τὴν λεῶ προεδρίαν,
τῇ βασιλικῇ ταινιωθεὶς ταινίᾳ.

Λάσκαρις οὕτως βασιλεὺς δεδειγμένος
σφόδρ' ἀῤῥενωπῶς πραγμάτων κραταρχίας
ἢ μᾶλλον εἰπεῖν βασιλικῶς ἡμμένος

ταύτην διώκων, ἀντέχων πρὸς κινδύνους
μάχας τὲ δεινὰς τὰς πρὸς ἐχθροὺς λατίνους·
ἄναξ ἀγαθὸς καὶ στρατηγὸς γεννάδας,
ὀξύρροπός τε πρὸς μάχας καὶ κινδύνους
ὑπερμαχῶν ὡς κράτιστα τῆς κραταρχίας,
ἀπορραπίζων ἐξὸν ποίμνης λύκους·
φρικτὸς μὲν ἐχθροῖς, ἤμερος δ' ὑπηκόοις,
μικρὸς τὸ σῶμα, πλὴν μαχητὴς ἐν μάχαις,
ἀεὶ στρατεύων, κατ' ἐχθρῶν κινῶν δόρυ,
αὔξων πλατύνων τοὺς ὅρους τῶν αὐσόνων,
καὶ ῥωμαΐδος ἀναλαμβάνων πόλεις,
ἐλευθερῶν τε τάσδε τῆς τυραννίδος
ὅπλοις στρατηγίαις τε καὶ μάχης νόμῳ·
φιλοικτος, εὐέντευκτος, εὔσπλαγχνος πάνυ,
μεταδοτικὸς, φιλοδωρίας χάρις,
καθειμένον γένειον εἰς μέγα φέρων,
φοξὸς, μελάγχρους μετρίως οὐ πρὸς βάθος,
ἔρωτος ἥττων, ἀφροδισίων, χόλου,
μακροὺς ἀνατλὰς κινδύνους καὶ καμάτους
ἐν ταῖς κατ' ἐχθρῶν δυσμάχοις ἀγωνίαις
χάριν γε κοινῶν πραγμάτων ὑπηκόων·
ᾧ τῶνδ' ὀφείλει πᾶς τις ἐκτίνειν χάριν,
καὶ πάλιν οἷς εὖ ἀναθηλῆσαι κράτος
ἤδη μαρανθὲν αὐσόνων ἀπειργάκει·
τούτῳ κραταρχήσαντι φροντὶς μυρία
ἐκ τῆς ἕω ἐξελάσαι λατίνους,
καὶ ῥωμαϊκῷ τόνδ' ὑποκλῖναι κράτει·
ἐπεὶ λατῖνοι κωλυσόντων τῇ σπάνει
οὐ χώρας ἐκράτησαν ἑσπέρας μόνον,
ἀλλά γε μικροῦ καὶ μερῶν πάσης ἕω·
καὶ γὰρ κατέσχον βιθυνῶν ἅπαν θέμα,
Λεντιανά τε Ποιμανηνὸν καὶ Βάριν,
Λοπάδιον τ' αὖ Ὀχυρὰς καὶ τὰ πέριξ,
προῆλθον ἄχρις Ἀτραμυττίου τόπων,
καὶ πάνθ' ἁπλῶς πάραλα χωρία πόλεις
αὐτοῖς καθυπέταξαν ἐσκυλευκότες·
οὐχ ἧττον ἐπέθραττον ἄνακτα πάλιν
αἱ κατὰ χώρας αὐσόνων τυραννίδες·
αὐτίκα καὶ γὰρ τῆς Σαμψὼν πολιχνίου
σὺν τοῖς προσοίκοις ἦρχε τουτικλὴν Σάβας·
καὶ Μωροθεόδωρος Φιλαδελφείας·
Δαβὶδ κομνηνὸς Παφλαγονίας ὅλης,
Ἀλεξίου σύναιμος ὢν τοῦ πρὸ χρόνων
κατατυραννήσαντος Τραπεζουντίων,
ὅστις ἐπωνόμαστο Κομνηνὸς μέγας·

semet periculis ingiter obiiciens,
pugnasque graves cum Latinis conserens,
rex simul bonus et fortis imperator
ad durum Martis opus paratissimus,
et pro republica strenue decertans,
lupos ovili pro viribus submovens,
hostibus formidandus, blandus subditis,
corpore parvo sed ad proelia vivido,
lanceam semper contra hostes quatiens,
romani fines proferens imperii,
urbes latina liberans tyrannide
atque ad antiquum dominatum revocans
armis et vario belli strategemate.
Idem erat clemens, misericors, comis,
liberalique manu ac munifica:
demissam gerens ad pectora barbam,
capite acuto, subnigro colore,
ad Venerem proclivis atque ad iram.
Hic diu graves pertulit labores
duris cum hoste luctans certaminibus
pro suis subditis atque pro re publica.
Huic certe omnes gratiam debemus,
quod iam extinctum romanum imperium
ipsius opera maxime revixerit.
Hic enim Caesar summopere studuit
ut ex oriente Latinos eiiceret,
ibique nostrum firmaret imperium.
Etenim Latini prohibente nemine
non solum terras tenebant occiduas,
sed orientis quoque partem maximam.
Namque Bithyniae insederant provinciam,
Lentiana, Poemanenum atque Barim,
Lopadium, atque Ochyram cum viciniis.
Quin et devenerant Atramyttium usque,
maritimosque locos urbesque omnes
abactis praedis sibi subiugaverant.
Nec minus animum Caesaris mordebant
circa suam natae ditionem tyrannides.
Ecce enim parva Sampsonis in urbe
eiusque villis imperabat Sabas;
et Philadelphiae Theodorus fatuus;
David comnenus cuncta Paphlagonia,
illius frater Alexii, cuius pridem
Trapezuntiorum civitas iugum tulerat;
hic porro dicebatur Comnenus magnus:

ambo autem proprii generis originem
ab Andronico caesare trahebant,
ex huius filio Manuele sati.
Et Theodorum quidem atque Sabam
Lascaris, Deo favente, statim vicit.
Atque hinc Celbiani se fecit dominum,
Philadelphiae maeandricae, Neocastrorum.
Sed Paphlagoniam aegrius obtinuit,
comneno debellato armis Davide:
unde acquisivit cum Heraclea
Amastridem, Cytorum, Cromnamq. urbes
cum circumiectis agris atque oppidulis,
et Paphlagonum dominus evasit.
Turcas vero Italosque perpetuis proeliis
aegre mehercle, sed tamen devicit,
vires videlicet ministrante Deo.
Sed conturbavit animum Lascareum
exul Alexius olim imperator,
socer ipsius sceptrum nunc tenentis.
Etenim ille post amissum regnum,
ut mea superior retulit historia,
Thessalonicam errabundus venit;
atque a Maria genere alamanna,
quae coniux fuerat fratris Isaacii,
nunc in Marchionis nuptias concesserat,
exceptus peramanter et honorifice,
diversabatur ibi cum sua uxore.
Verum quum civium animos tentaret,
mox cum uxore et liberis est eiectus.
Is ad Corinthi protinus tyrannum
Sgurum profectus, foedere coniugii
huic copulatam tradidit filiam suam.
Mox illinc navi recessit in Aetoliam
ad Michaëlem huic dominantem
et simul Epiro, quam veterem vocant;
(erat enim Alexii ex fratre nepos;)
sed interceptum piratae Longobardi
ad Michaëlem, auro repenso, mittunt.
Dum ergo longo diversatur tempore
In Michaëlis ditione Alexius,
moritur ex morbo Euphrosyne regina
atque in oppidulo sepelitur Arta.
Ipse navigavit ad urbem Attali,
ubi est susceptus animo lubente
a Turcarum sultano Iathatine,

κατηγέτιν ἄμφω δὲ σπορὰν τοῦ γένους
ἐξ Ἀνδρονίκου τοῦ βεβασιλευκότος,
ἐκ τοῦδε παιδὸς Μανουὴλ πεφυκότες·
ἀλλ' εὐχερῶς μὲν Θεόδωρον Σάβαν
ἄναξ μετῆλθε τῇ Θεοῦ συμμαχίᾳ,
κἀντεῦθεν ὤφθη Κελβιανοῦ δεσπότης,
Φιλαδελφείας Μαιάνδρου, Νεοκάστρων,
καὶ Παφλαγονίας δὲ κρατεῖ τῷ χρόνῳ,
καταπαλαίσας κομνηνὸν Δαβὶδ μάχῃ·
ὅθεν περιεστήσατο σὺν Ἡρακλείᾳ
Ἀμάστριδα, Κύτωρον, Κρώμναν τὰς πόλεις
πρὸς τοῖς πέριξ ἅπασι καὶ πολιχνίοις,
καὶ κατακυριεύει καὶ Παφλαγόνων·
Πέρσας δ' Ἰταλοὺς ταῖς καθημέραν μάχαις
οὐκ εὐχερῶς μὲν ἐτροποῦτο δ' οὖν ὅμως
σθένει θεϊκῷ συμμαχούμενος τάχα·
παρέσχε δ' αὐτῷ πράγματα δυσθυμίας
ὁ φυγὰς Ἀλέξιος αὐσόνων ἄναξ,
ὢν πενθερὸς τούτου γε τοῦ βασιλέως·
οὗτος γὰρ οὗτος ἐκπεσὼν κραταρχίας,
καθάπερ ἱστόρησε φθάσας μοι λόγος,
ἀλώμενος πέφθακε Θεσσαλονίκην·
καὶ πρὸς Μαρίαν ἀλαμανῶν ἐκ γένους
ἣ πρὶν συνῴκει συγγόνῳ Ἰσαακίῳ,
Μαρκεσίῳ δὲ τηνικαῦθ' ὡμευνέτει
ἄριστα δεχθεὶς καὶ φιλοφρόνως πάνυ,
ἐκεῖσε διέτριβε σὺν τῇ συζύγῳ·
ὡς δ' αὖ ἀνασείων τὴν πόλιν ἐφωράθη,
ἅμα γυναικὶ καὶ τέκνοις ἀπηλάθη,
καὶ πρὸς τυραννοῦντα τοῦ Κορινθίων
Σγουρὸν βαδίσας, πρὸς γάμου κοινωνίαν
τούτῳ κατηγγύησε τὴν θυγατέρα·
κἀκεῖθεν ἀπέπλευσε πρὸς Αἰτωλίαν
πρὸς τὸν κρατοῦντα Μιχαὴλ ταύτης τότε
πρὸς δ' αὖ παλαιᾶς Ἠπείρου κεκλημένης
πρωτεξάδελφον συγγενῆ πέλοντά οἱ·
ἁλίσκεται δὲ πειραταῖς λογγιβάρδοις,
ἀπεμπολεῖται πρὸς Μιχαὴλ χρυσίου·
ἱκανὸν γοῦν ἐνδιατετριφότος
τοῖς τοῦ Μιχαὴλ χωρίοις Ἀλεξίου,
θνήσκει βασιλὶς Εὐφροσύνη πρὸς νόσου,
καὶ θάπτεται δὴ τῷ πολιχνίῳ Ἄρτης·
αὐτὸς δ' ἀπέπλει πρὸς πόλιν τὴν Ἀττάλου,
ἔνθα πεφθακὼς τῷ κρατοῦντι Περσίδος
Ἰαθατίνῃ προσδέδεκτο γνησίως·

ὃν αὐτὸς ἐκφεύγοντα τ' ἀδελφοῦ χέρας
κ) πρὸς πόλιν ἥκοντα πρὶν δεδεγμένος
θετὸν κατωνόμασε παῖδα βαπτίσας,
κ) οἱ συνεξῆει γε τῆς Κωνσταντίνε·
ἔπειτ' ἐκεῖθεν ἀποδρὰς οὐκ οἶδ' ὅπως
παλινδρομήσας εὐχερῶς πρὸς πατρίδα,
Ἰκονίȣ δέδεικτο σελτὰν περσάναξ·
κ) τηνικαῦτα δυστυχοῦντ' Ἀλεξίῳ
ὤφθη παρηγόρημα κ) σωτηρία·
οὗτος γε τοίνυν ἱκέτῃ τίνων χάριν,
πρεσβεύεται δὴ πρὸς νέον στεφηφόρον,
κ) παραχωρῆσαι γε τῆς κρατταρχίας
τῷ πρὶν κρατοῦντι πενθερῷ παρηγύα·
εἶτ' ἐκστρατεύσας κ) κατὰ Ῥωμαΐδος
μετὰ στρατιᾶς δυσαριθμήτȣ μάλα,
ἄγων μετ' αὐτοῦ κ) κρατοῦντα φυγάδα,
τὴν Ἀντιόχȣ καταλαμβάνει πόλιν
τὴν πρὸς Μαιάνδρῳ τῷ ποταμῷ κειμένην·
ἀλλ' οὐδ' ὁ κρατῶν, τῶ καθ' αὐτὸν ἠμέλει·
ἀλλὰ προσοῦσαν στρατιὰν συναλίσας,
ἐλπίδας ἐξάψας τε Χριστῷ δεσπότȣ,
ἐπὶ σελτάνον ἔεται θαῤῥαλέως·
συῤῥήξεως γοῦν συμβολῆς τε συμβάσης,
τὸ πλεῖστον ἠφάνιστο τῶν στρατευμάτων
ἄνακτος, ὃν μάλιστα λατίνων γένος,
ἔργ' ἀρεϊκὰ καρτερὰ δεδειγμένων·
ῥωμαϊκὴ δ' ἔφευγεν ἀκόσμως φάλαγξ·
ταύτης μενόντων μετρίων κατὰ μάχην
ἀγωνίας τέρμα τὸ πᾶν σκοπουμένων·
οὕτω δὲ νίκης μειδιώσης βαρβάροις,
ἄνω θέων κάτω τε σελτὰν ἱππότης
ἀναδιφῶν ἦν τὸν κρατάρχην αὐσόνων·
κ) τόνδε καθ' ὅμιλον εὑρὼν ἱππότην
ῥώμῃ πεποιθὼς κ) σθένει βραχιόνων,
πλήττει κορύνῃ κατὰ κάρας αὐτίκα,
κ) κατὰ γῆν βέβληκε ῥίψας ἐκ δίφρȣ
πληγέντα τύψει συστροφῆς τε κ) σκότȣς·
ἐν χρῷ δὲ κινδύνȣ γε τῷδε τυγχάνων,
αἴφνης ἑαυτὸν ἀναλαβὼν ὁ κράτωρ
πλησθεὶς τε θείας ἐξ ἐπιπνοίας σθένȣς,
σταθεὶς ἐπὶ πόδας τε γενναίως μαλα,
σπάθην τ' ἐρύσας κολεοῦ, τέμνει πόδας
θηλείας ἵππȣ περσάνακτος εὐψύχως,
κ) τόνδε χαμαὶ κατέβαλεν ὑψόθεν·
εἶτ' ἐξαπίνης μηδενὸς πῶς εἰδότος

quem ipse olim profugum a fratre
Constantinopoli hospitem exceperat
et in baptismo filium adoptaverat,
quicum Byzantium quoque deseruerat.
Sed postea Iathatines nescio quomodo
feliciter reversus in patriam suam
Turcarum rex et Sultanus Iconii evasit.
Hic ergo tunc aerumnoso Alexio
ara salutis fuit et solamen.
Etenim reddens supplicanti gratiam,
misso ad novellum Caesarem legato,
hortatus est ut imperio decederet
socero suo domino priori.
Deinde sumptis contra nostros armis
egressus est cum innumero exercitu,
exulem habens in comitatu Alexium;
Antiochiamque occupavit urbem,
illam videlicet ad Maeandrum sitam.
At neque Lascaris rebus suis deerat,
qui congregatis, quotquot habuit, viribus,
spemque suam collocans in Christo domino,
contra Sultanum exiit audacter.
Sed mox conserto proelio gravissimo,
maxima pars exercitus caesarei
caesa est latinis constans stipendiariis,
postquam ediderat strenua facinora:
gentilis autem nostra confuse phalanx
acie profugit, paucis exceptis
qui pugnae reliquum expectarunt exitum.
Dum sic victoria barbaris arridet,
hac illac eques Sultanus oberrans
romanum vestigabat imperatorem:
quem ubi vidit equitem in turba,
robore proprii brachii confisus
clava percussit Caesarem in capite,
eumque ephippio proruit in terram
ictu patientem vertiginem tenebras.
In tanto versans Lascaris discrimine,
ilico tamen spiritum recepit,
divinitusque robore repletus,
pedibus insistens vigore magnanimo,
evaginato ense succidit pedes
fortiter equae Sultanum gestantis,
atque hunc humi praecipitem sternit:
mox improviso, incertoque auctore,

crudele caput Sultano praeciditur;
statimque ad nostros transiit victoria.
Atque hic successus triumphalis Caesarem
barbaris fecit hostibus terribilem,
et subditis iucundum ac gratissimum:
insuper populi recreavit animos
idoneaque fiducia replevit.
Exinde pacem cum romano imperio
superba gens Turcarum libens fecit.
Quare imperator postea latinis
gerendis bellis expeditior fuit.
Nunc media ex pugna socero recepto
exhibuit iustum praeter spem honorem:
atque eum nicaenam transferens in urbem,
imperii tantum detractis insignibus,
dat Hyacinthi pro sede coenobium,
in quo defunctus, sepelitur magnifice.
Atque ita se res Lascareos habebant.
Nunc nostra historia iterum convertitur
ad Michaëlem cognomento Angelum,
qui retinebat, ut superius diximus,
subditam Epirum veterem cum Aetolia.
Huic tres erant Michaëli fratres,
Manuel, Theodorus, et Constantinus:
ex quibus Theodorus nicaena in urbe
apud romanum versabatur Caesarem.
Iam quia filio legitimo herede
principatus sui Michaël carebat
(nam quem habebat dictum Michaëlem
spurium de vetita susceperat copula)
oravit Caesarem ut ex aula sibi
Theodorum illum liberum remitteret.
Annuens Caesar statim misit hominem
fide iurata sibi promittentem
conservaturum animum benivolum
atque sinceram, quoad viveret, fidem
ipsi et imperii nempe successoribus.
Sic Theodorus ad occidentem veniens
cum Michaële versabatur fratre
Aetoliae, ut dixi, principe et Epiri.
Sed postquam Michaël crudeliter caesus
a viro cui Romano nomen erat
noctu sopitus apud Bellegradum
vitam repente cum nece commutavit,
fratris principatum Theodorus excipit,

σουλτὰν κάραν τέτμητο τὴν μιαιφόνον,
ϗ λοιπὸν ἠνέγκατο τὴν νίκην κράτωρ·
τουτὶ τροπαιοῦχημα τὸν βασιλέα
ποιεῖ μὲν ἐχθροῖς βαρβάροις φρικαλέον,
ἡδὺν ὑπηκόοις δὲ ϗ πεφιλμένον·
πρὸς τοῖσδ' ἱκανῆς ἐμπιμπλᾷ θυμηδίας
ϗ λήματος θάρσους τε τούτους εἰκότως·
ἐντεῦθεν ἐσπείσατο ῥωμαίων κράτει,
ἡ πρὶν ἀλαζὼν περσικὴ χώρα πρόφρων·
ϗ λοιπὸν ἐσχόλαζε ῥωμαίων κράτωρ
ταῖς πρὸς λατίνων συμπλοκαῖς τε ϗ μάχαις·
ϗ πενθερὸν δὲ προσλαβὼν ἐκ τῆς μάχης
τιμήσας εἰκότα τε ϗ παρ' ἐλπίδα,
ἀπαγαγὼν δὲ πρὸς πόλιν Νικαίων,
ϗ παράσημα τοῦ κράτους ἀπεκδύσας,
μονῇ διάγειν ὑακίνθου προσνέμει·
ἔνθα θανὼν ἔτυχε ταφῆς ἐντίμου·
ταῦτα μὲν οὕτω συνέβη Λασκαρίῳ·
νῦν βούλεται λόγος δεδηλῶσθαι πάλιν
περὶ Μιχαὴλ ἀγγελωνυμημένου
τοῦ πρὶν κυριεύσαντος ὡς ἔφη λόγος
παλαιᾶς Ἠπείρου τε σὺν Αἰτωλίᾳ·
τούτῳ τριὰς ὑπῆρχε συγγόνων φίλη,
Μανουὴλ, Θεόδωρος, ϗ Κωνσταντῖνος·
ἀφ' ὧν ὁ Θεόδωρος ἐν Νικαίων
παρὰ βασιλεῖ διέτριβεν αὐσόνων·
ἐπεὶ δὲ παιδὸς γνησίου διαδόχου
ἀρχῆς Μιχαὴλ ἰδίας οὐκ εὐπόρει,
ὁ γὰρ παρ' αὐτῷ Μιχαὴλ κεκλημένος
νόθος τις ὑπῆν ἐκ παρανόμων γάμων,
δεῖται κρατοῦντος τοῦ Θεοδώρου πέρι,
ἵνα παρ' αὐτὸν ἀφεθεὶς καταλάβῃ·
πεισθεὶς ἄναξ πέπομφε τοῦτον εὐθέως,
πίστεις ἐνόρκους βασιλεῖ δεδωκότα
ἦ μὲν φυλάξειν εὔνοιάν οἱ σχέσιν
ϗ πίστιν ἀνόθευτον εἰς τέλος βίου,
αὐτῷ τε δήπου ϗ διαδόχοις κράτους·
οὕτως ἐπιστὰς Θεόδωρος ἑσπέρᾳ
συνῆν ἀδελφῷ Μιχαὴλ, ὡς ἂν ἔφην,
Αἰτωλίας ἄρχοντι ϗ τῆς Ἠπείρου·
ἐπεὶ δ' ἀπηνῶς Μιχαὴλ σφαγεὶς ξίφει
πρὸς ἀνδρὸς οὕτω Ῥωμαίου κεκλημένου,
νυκτὸς καθεύδων ἐν Βελλεγράδων ὅροις
ἐξαπίνης λέλοιπε τόνδε τὸν βίον,
ἀρχὴν ἀδελφοῦ Θεόδωρος λαμβάνει,

ἀνὴρ στρατηγὸς, εὐσθενὴς καὶ γεννάδας,
γίγας βριαρόχειρ τις ὀξὺς ἐν μάχαις·
ὃς παραλαβὼν συγγόνου κληρουχίαν,
ἀρχήν τε μικρὰν εὐόριστον καθάπαξ,
ηὔξησεν ἐπλάτυνε ταύτης τοὺς ὅρους
ἐκ βουλγάρων γῆς, ἰταλικῶν ἀστίων,
ἰλλυρικῶν τε καὶ τριβαλλῶν χωρίων
ταύτην ἐπαύξων εὐρύνων μεγαλύνων·
ἔθηκε καὶ γὰρ ὑφ' ἑαυτὸν ὡς ἔπος
Ἀχρίδα, καὶ Πρίλαπον, Πελαγονίαν,
σὺν τοῖς πέριξ ἅπασι χωρίοις τόποις·
κρατεῖ Θεσσαλίας τε σὺν Ἀχαΐᾳ,
Μακεδονίας καὶ μέρους τινὸς Θράκης,
αἱρεῖ Δαλματίαν τε σὺν Ἐπιδάμνῳ,
Ἰλλυρίδα γῆν, ἀλβανοὺς ὀρειτρόφους·
εὐρὺ δέ οἱ τίθησι μᾶλλον τὸ κλέος
ἡ κατὰ Πέτρου λατίνου λαμπρὰ νίκη·
γαμβρὸς γὰρ οὗτος εἰς ἀδελφὴν τυγχάνων
Ἐῤῥίκου Βαλδουΐνου τε τῶν βασιλέων,
πρὸς Πάπα χρισθεὶς εἰς στρατάρχην λατίνων,
Ἐῤῥίκου θανόντος, εἰς Βύζαντος ἐστάλη·
εἰς Ἐπιδαμνίων δὲ καταίρας πόλιν,
δι' ἀλβανῶν ἔσπευδε τὴν Κωνσταντίνου
μετὰ στρατιᾶς καταλαβεῖν εὔοπλου·
ἀλλὰ προφθάσας Θεόδωρος γεννάδας
τοῦτον τροποῦται καὶ νικᾷ κατὰ κράτος
αὐτόν τε καὶ στράτευμα δοὺς ἄρδην ξίφει·
πρὸς τοῖσδε Δυῤῥάχιον αἱρεῖ τὴν πόλιν,
καὶ στρατιὰν μὲν ἐμπιμπλᾷ λείας σκύλων,
αὐτὸς δὲ βασίλειον εἴληφε στέφος,
Πέτρου πεσόντος κατὰ μάχην ὡς ἔφην·
οὕτως πλατύνας εὐτυχῶς ἀρχῆς ὅρους
ταῖς ἀλλεπαλλήλοις τε κυρωθεὶς νίκαις,
ἐν οἷς ὑπῆρχε προσμένων οὐκ ἠγάπα,
ἀλλὰ φρονεῖ μέγα τι καὶ παρ' ἀξίαν·
φημίζεται γοῦν βασιλεὺς αὐτοκράτωρ
τῶν ὧν κατῆρχεν ἀστίων καὶ χωρίων,
στεφθεὶς κεφαλὴν βασιλικῇ ταινίᾳ
παρ' ἀρχιθύτου βουλγάρων Δημητρίου·
θεὸς δ' ἀπευδόκησε τούτοις εὐδήλως,
μισεῖ γὰρ ὄντως ὑπερηφάνους φύσεις,
ὅθεν δίκην δέδωκεν ὕστερον θράσους,
σβέσιν ὑποστὰς τῆς φάους τῶν ὀμμάτων·
κατὰ μάχην οὕτω δὲ κτανθέντος Πέτρου,
παισί τ' ἐπὶ τέτρασι λιπόντος βίον,

dux bellicosus, strenuus pugnator,
alter Briareus gigas in proeliis,
qui mox fraternum patrimonium augens
e parvo magnum spatiosumque reddidit,
proferens huius dilatansque fines;
Bulgarorumque et Italorum urbibus,
illyricis oppidis et triballicis
efficiens opulentum et amplificans.
Ut enim paucis dicam, sibi subdidit
Achridem, Prilapum, Pelagoniam,
cum suis agris et oppidis finitimis.
Thessaliam occupavit cum Achaia,
et Macedoniam, cum Thraciae particula,
Dalmatiam acquisivit cum Epidauro,
Illyrii tractum, monticolas Albanos.
Sed nihil huic tantam gloriam peperit
quantam Petri latini clades splendida.
Hic quia sororem in coniugio habebat
Errici et Balduini imperatorum,
a Papa coronatus latinus Caesar,
defuncto Errico, missus est Byzantium.
Atque Dyrrachium delatus ad urbem,
mox per Albanos itinere pedestri
ibat Byzantium cum instructo exercitu.
Sed antevertens Theodorus strenuus
Petrum insigni perculit victoria,
ipsum cum toto exercitu delevit.
Urbem quin etiam tenuit Dyrrachium,
suumque praeda ditavit exercitum:
ipse regalem induit coronam,
in acie Petro, ut diximus, occiso.
Nam aucta sua feliciter ditione
et cumulatis elatus victoriis
non fuit contentus acquisitis opibus,
sed ad maiora praeter fas anhelans,
imperatorem caesarem se dixit
eius quae sibi suberat ditionis:
atque regali coronatur stemmate
a Bulgarorum Demetrio archipraesule.
Sed Deus rem gestam minime probavit,
qui mentes odit hominum superbas.
Quamobrem Michaël seram luit poenam
utroque lumine orbatus oculorum.
Petrus in pugna spoliatus vita
quatuor reliquit liberos superstites,

Robertum et Philippum ac Balduinum,
praeterea filiam feminam Mariam.
Ex his Robertus imperavit Byzantii,
sed administrans ignave rempublicam,
post vita functum Caesarem Erricum
strenuum virum et plane fortissimum.
Post illum frater regnavit Balduinus
modestus vir et temperans ac gratiosus;
quo dominante, Constantini civitas
ad Romanorum rediit imperium.
Petri Maria filia nuptiali vinculo
imperatori Lascari coniungitur,
qui uxorem primam fleverat extinctam,
secundam autem cilice gente natam
nescio quo odio in patriam remiserat.
Idem Robertum coniugis germanum
optabat generum, contra fas ecclesiae
iugando tertiam filiam Eudociam.
Cum Manuele patriarcha iurgium
hinc ortum est, philosopho appellato,
huiusmodi vetante ne fierent nuptiae.
Sed Deus abrupit inlicitum coniugium:
prius quam enim fieret, ipse Caesar
humanae vitae terminum imposuit.
Ceterum adhuc imperante Lascare,
molestias multas proelia diutina
Byzantii dominus Erricus exhibuit,
dum sibi romana oppida subiiceret,
sus deque urbes diriperet ageret.
Vir enim erat efficax, forti manu,
alacer ad pugnas semper, et Marti par:
qui quum Romanos laborantes cerneret,
praesertim quia dum Sultanum debellaret
Lascaris Caesar, equites amiserat
italos viros strenuos mavortios;
perpetuo nostros lacessebat bello.
Quin quum in finibus obviarent nulli,
tanta est elatus confidentia Erricus,
ut usque in Ioniam faceret excursus
vastatis late terris interpositis,
nil bello intactum linquens, donec tandem
coram Nymphaei regia tentorium figeret.
Sed mox Byzantium reducem tulit pedem.
Hac Lascareos Erricique res fuerunt.
Deinde pacis foedere coaluerunt,

Ῥομπέρτῳ, Φιλίππῳ τε ϗ Βαλδουίνῳ,
πρὸς τῇδε μιᾷ θυγατρὶ τῇ Μαρίᾳ·
τούτων κραταρχεῖ Ῥομπέρτος Βυζαντίδος
πράγμασι κοινοῖς μαλακῶς κεχρημένος,
μετ' Ἐρρῆν κατάρξαντα τὸν τεθνηκότα,
ἀνδρεῖον ἄνδρα ϗ πάνυ ῥωμαλέον·
εἶτα μετ' αὐτὸν σύγγονος Βαλδουῖνος,
μέτριος ἀνὴρ σωφρονικὸς χαρίεις,
ἐφ' οὗ κρατοῦντος ἡ Κωνσταντίνου πόλις
ἐπανεσώθη ῥωμαίων κραταρχίᾳ·
ἡ δ' αὖ Μαρία πρὸς γάμου κοινωνίαν
τῷ Λασκαρίῳ βασιλεῖ συνεζύγη
πρώτης γυναικὸς ἐκλελοιπυίας βίον·
τῆς δ' ἐκ κιλίκων δευτέρας εἰς πατρίδα
διά τι μῖσος ἀποπεμφθείσης πάλιν·
οὗτος γυναικάδελφον αὐτοῦ Ῥομπέρτον
εἰς Εὐδοκίαν τὴν τρίτην θυγατέρων
σπεύδων ἀγαγεῖν γαμβρὸν ἀθέσμῳ τρόπῳ,
ἔριν ἐνῆκε ποιμενάρχῃ τηνικάδε
τῷ φιλοσόφῳ Μανουὴλ κεκλημένῳ
μὴ συγκατανεύοντι τῷδε τῷ γάμῳ·
θεὸς δ' ἔλυσε τὴν ἀθεσμογαμίαν,
πρὶν ἢ γενέσθαι τάνδε, τοῦ βασιλέως
βίον τὸν ἀνθρώπινον ἐκλελοιπότος·
ἔτι κραταρχοῦντι γε τῷ Λασκαρίῳ
πράγματα πολλὰ ϗ μακρὰς ἀγωνίας
Ἐρρῆς παρεῖχεν ὁ κρατῶν Βυζαντίδος,
τιθεὶς ὑφ' αὐτὸν ῥωμαϊκὰ χωρία,
ληϊλατῶν τε ϗ κατατρέχων πόλεις·
δραστήριος γὰρ ϗ σθεναρὸς ὢν χέρας
ϗ πρὸς μάχας ἕτοιμος, ἄντικρυς Ἄρης,
τὰ ῥωμαϊκὰ δ' ἠσθενηκότα βλέπων,
ϗ μᾶλλον ἀφ' οὗ σουλτάνου κατισχύσας
Λάσκαρις ἄναξ ἀπέβαλεν ἱππότας
ἄνδρας ἰταλοὺς ἀρεϊκοὺς γεννάδας,
συχνῶς ἐπεστράτευε ῥωμαίων ὅροις·
τῶν κωλυσόντων οὐδένων ὁρωμένων,
παρὰ τοσοῦτον τῆς θράσους ἀφιγμένον
ὡς καταδραμεῖν ϗ μέχρις Ἰωνίας
ληϊλατοῦντα τὰ μεταξὺ χωρία,
δῃοῦντ' ἀφανίζοντα τῆς μάχης νόμῳ,
σκηνάς τε πῆξαι κατὰ χῶρον Νυμφαίου·
εἶθ' ὑπονοστήσαντα τὴν πόλιν φθάσαι·
ταῦτ' ἄρα Λασκάριος Ἐρρῆ συνέβη·
εἰς σπονδὰς ἀμφοῖν συμβάσεις τ' ἀφιγμένων

αἱ συμβιβάσεις τάδε ϗ συμφωνίαι·
ὡς ἂν Ὀχυρᾶν τὴν πόλιν ϗ τὰ πέριξ
τὰ κατ' ὄρος τ' αὖ τοῦ Κυμινᾶ χωρία
τυγχάνον ἀγχοῦ φρουρίου λελεγμένου,
φῦλον κατάσχῃ ϗ νέμηται λατίνων·
Κάλαμος ἡ κώμη δὲ παρ' ἧς τὸ κλίμα
τῶν Νεοκάστρων τὴν καταρχὴν λαμβάνει,
ἔρημος ἀοίκητος ᾖ τὸ ϗ μένῃ·
τὰ δ' ἀπὸ τοῦδε καθ' ἕω νενευκότα,
Νεόκαστρα ταῦτ' ἔστι Πέργαμος πόλις
Κελβιανόν τε ϗ Χλιαρὰ ϗ Σμύρνα,
σὺν τοῖς κατ' εὐθὺ κειμένοις ϗ πλαγίως
ἅπαντ' ἀνεῖται βασιλεῖ Λασκαρίῳ.
πρόθυμον ὁρμῶ, ϗ τὰ παρὰ βουλγάρων
ἐπεισπεσόντα ῥωμαΐδι τηνικάδε,
τῆς ἱστορίας παραδοῦναι τῷ λόγῳ·
ϗ πρὶν μὲν οὖν ἔχοντος αὐσόνων κράτους,
πολλῶν κακῶν αἴτιον ἔθνος βουλγάρων
ὑπῆρξε ῥωμαίοις τε ϗ κραταρχίᾳ·
Ἰσάκιον γὰρ ἀγγελώνυμον πάλαι
κατὰ Βεῤῥόην ἐνίκησε κατὰ κράτος
ὥστε πρὸς ἄλλοις ϗ σεβάσμιον ξύλον
σταυροῦ διαρπάσαντας αὐτοὺς κερδᾶναι·
ὃν αὐσόνων ἄνακτες ἐχθρῶν ἐν μάχαις
ἡγήτορ' εἶχον ϗ τρόπαιον ϗ σθένος
ἀμήχανον κάλλος τι ϗ ποικιλίαν
χρυσῷ τιμαλφέσι τε λίθοις μαργάροις
ϗ τεχνικαῖς χάρισιν ὡραϊσμένον·
τοῦτο μέσον φέροντα, τιμίου ξύλου
ᾧ σωματικῶς προσπαγεὶς ὁ δεσπότης
Χριστὸς καθηγίασεν αἵματι τόδε·
θήκας τ' ἐφεξῆς ἐξ ἑκατέρου μέρους
χρυσοῦ τεχνίτῃ προσφυῶς εἰργασμένας
ἐν αἷς προσῆν λείψανα Χριστοῦ μαρτύρων
ϗ μητρανάνδρου παρθένου σεπτὸν γάλα,
τεμάχιον ζώνης τε τῆς δε τιμίας,
ϗ πλεῖστα τιμήεντα ϗ θαυμαστέα.
ϗ τῷ μετ' αὐτὸν παραλαβόντι κράτος
Ἀλεξίῳ γε κομνηναγγελωνύμῳ
πολλοὺς ἀγῶνας προὐξένησαν ϗ μάχας.
ἄρτι δ' ἁλούσης ἰταλοῖς Βυζαντίδος
ϗ τοῦ κατ' αὐτὴν καταλυθέντος κράτους,
ὁ κοιρανῶν βουλγάρων Ἰωάννης
σκαιός τις ἀνὴρ ϗ φιλαίματος κύων
Ἀσὰν Πέτρου σύγγονος ὢν ἀλαστόρων,

cuius huiusmodi conditiones erant.
Nempe ut urbs Ochyra cum agro suo
et pagi monti circumiecti Cymino
(qui mons ab urbe Ochyra non abest)
latinis dominis incolisque cederent.
Calamus autem pagus, nnde incipit
Neocastrorum quae dicitur provincia,
neutrius partis esset ac deserta.
Regiones autem ad orientem versae,
Neocastra videlicet atque urbs Pergamus,
Celbianum, Chliara, atque Smyrna
cum circumiecto regionum latere
Lascari cuncta Caesari parerent.
Nunc iam fert animus omnia quae Bulgari
per illud tempus contra nos fecerant
historiae reliquo pandere sermone.
Adhuc florente byzantino imperio
causa multorum extitit malorum
rei nostrae publicae bulgarica natio.
Nam et Isacium, Angelum cognomine,
magna devicit apud Berrohen clade;
ita ut cum cetera praeda diripuerit
crucis dominicae sacrosanctum lignum,
quod erat nostris regibus in proeliis
ducis instar, robur, victoriae omen.
Theca fuit, specie eximia et ineffabili,
auro gemmisque rutilans pretiosis,
et laborati operis artificio,
sinu complectens venerandum lignum,
quod Dominus suffixo quondam corpore
sanctificavit sanguine perfusum.
Inerant et aliae ex utroque latere
thecae ab aurifice pervenuste effictae,
martyrum Christi reliquias gestantes,
deiparaeque Virginis lac sanctissimum,
cum venerandae zonulae segmento,
mirisque aliis rebus religiosissimis.
Alexio quoque Isacii successori
aeque Comnenis Angelis progenito
permultas Bulgari pugnas obtulerunt.
Mox occupata ab Italis Byzantio
eiusque imperio ad nihilum redacto,
regnator Bulgarorum Iohannes
homo inhumanus vel cruentus canis
Petri Asanisque frater detestandorum,

Latinos obsidentes Hadrianopolim
eamque summa vi nitentes capere
adgressus est cum scythico exercitu,
et summa clade adfectos debellavit:
quorum etiam principem Balduinum
ab ipso vivum captum supra diximus.
Deinceps Orestiadem tentavit Bulgarus
ut suae ditionis oppidis adiungeret:
sed inhiavit frustra tamquam lupus.
Hinc ergo malo percitus furore
superbusque ut alter Senacherimus,
quum nihil uspiam ipsi iam resisteret,
Thraciam Macedoniamque concursabat
pagos desolans, civitates diruens,
vastans, depraedans, a fundamentis quatiens.
In primis quidem evertit Philippopolim,
famigeratam urbem et nobilissimam;
deinde et alias prostravit civitates,
inclytam Heracleam, ac Selybriam,
Rhaedestum, Panium, cum Daonio,
Maroneam insuper et Trianopolim,
itemque Mosynopolim et Stagiram,
aliasque plurimas, hic pessimus mortalis.
Sic vastitati indulgens et latrociniis
Thessalonicam denique illustrem venit,
ubi immaturum habuit vitae finem
pleuritidis, ut fama fuit, extinctus morbo:
vel eum potius, ut aiunt recte conscii,
vulgoque creditur, Christi martyr perculit
Thessalonicam protegens Demetrius.
Postquam tyrannus vivis exemptus fuit,
huius ex fratre nepos dictus Borilas
scythidi iunctus amitae incestis nuptiis.
bulgarae gentis excepit dominatum.
Asanis autem pedagogus filium
puerum adhuc clandestina fuga
consulens vitae transtulit ad Scythas.
Anna regina coniugi Lascario
tribus filiabus editis vita excessit,
Irene et Maria scilicet atque Eudocia.
Mariam, quae nata erat secundo loco
regis Paeoniae filio in matrimonium
Sione revertenti in patriam suam
genitor Caesar tradidit desponsam.
Maiorem natu Irenem nuptui tradidit

Ἐν Ἀδριανοῦ λατίνοις σκηνουμένοις
ϗ τόνδ' ἑλεῖν σπουδάζουσι παντὶ τρόπῳ,
ἐπιστρατεύει σὺν στρατιᾷ σκυθίδι,
ϗ κατακράτος ἐνικᾷ σφᾶς τοῖς ὅπλοις
ὡς ϗ κρατάρχην σφῶν ἀνεζωγρημένοι
τὸν Βαλδουῖνον, ὡς ἀνόπιν ἐῤῥέθη·
ἐπεὶ δ' ἑλεῖν ἔσπευδεν Ὀρεστιάδα
ϗ τοῖς ὑπ' αὐτὸν ὑπαγαγεῖν φρουρίοις,
ἀλλ' ἦν χανὼν ἄντικρυς ὡς λύκος μάτην·
ἐντεῦθεν οἶον ἐμμανὴς ὁ μαινόλης
ϗ κατεπαρθεὶς, Σεναχηρεὶμ ὡς πάλαι,
ἄλλως τε μηδὲν ἐμποδὼν ἔχων ὅλως
Μακεδονίαν ϗ Θρᾴκην κατατρέχει,
κώμας ἐρημῶν ϗ κατασκάπτων πόλεις,
δῃῶν, σκυλεύων, ἐκ βάθρων ἀνατρέπων·
καταστρέφει πρῶτα μὲν Φιλίππου πόλιν,
πόλιν περιώνυμον εὐκλεεστάτην·
ἔπειτα κατήρειψε τὰς ἄλλας πόλεις
κύδιστον Ἡράκλειαν ϗ Σηλυβρίαν,
Ῥαιδεστὸν ϗ Πάνιον σὺν Δαονίῳ,
Τραϊανοῦ τε ϗ Μάρωνος τὰς πόλεις,
πόλιν Μοσυνόπολιν ϗ τὴν Σταγείραν,
καὶ πλείστας ἄλλας ὁ βέβηλος καρδίᾳ·
οὕτως ἐρημῶν ϗ σκυλεύων τὰς πόλεις,
φθάνει περιώνυμον Θεσσαλονίκην,
κἀκεῖ βιαίως τὸν βίον καταστρέφει
πλευρίτιδι μὲν, ὡς ἀκούειν ἦν, νόσῳ·
ὡς δ' αὖ κλύειν πέφυκε σαφῶς εἰδότων
ᾧ τίθεται πᾶς, χριστομάρτυρος ξίφει
Θεσσαλονίκης προστάτου Δημητρίου·
τούτου δ' ἀποῤῥάξαντος ὡς ἴφιν βίον,
ἀδελφόπαις τις Βορίλας κεκλημένος
σκυθίδα θείαν γαμετὴν παρανόμως
γήμας, ὑπῆρξεν ἐγκρατὴς ϗ βουλγάρων·
Ἀσὰν δὲ παῖδα παιδαγωγός τις λάθρα
νέον κομιδῇ παραλαβὼν ὡς τάχος,
πρὸς σκύθας ἀπήγαγεν εἰς σωτηρίαν·
Ἄννα βασιλὶς συζύγῳ Λασκαρίῳ
θυγατέρας τέξασα τρεῖς, λείπει βίον,
Εἰρήνην Μαρίαν τε σὺν Εὐδοκίᾳ·
ἀλλὰ Μαρίαν δευτέραν κατὰ γένος
εἰς κῆδος ἐξέδωκε ῥηγὸς παιόνων
νύμφην ἐφ' υἱῷ βασιλεὺς φυτοσπόρος,
ἐπανιόντος ἐκ Σιὼν πρὸς πατρίδα·
πρώτην δ' Εἰρήνην ἁρμόσατο πρὸς γάμον

παλαιολόγων ἐκ γένους Ἀνδρονίκου,
ὃν δεσποτικῆς ἠξίωσεν ἀξίας·
τούτου θανόντος, ὡς προφθὰς ἔφη λόγος,
ταύτην συνῆψε κατὰ δευτέρους γάμους
πλήρει χαρίτων ἀνδρὶ χαριτωνύμῳ
Βατάτζῃ Δουκῶν ἐκ γένους κατηγμένῳ,
σχόντι Διδυμότειχον ἄστυ πατρίδα
αὐχοῦντι τιμὴν πρωτοβεστιαρίτου·
ᾧ πενθερὸς λέλοιπε θνήσκων τὸ κράτος·
ἐν δ' ὑακίνθου τῇ μονῇ τούτου νέκυν·
ἐγγὺς βιώσας πεντήκοντά που χρόνων,
ἐξ ὧν ἐβασίλευσεν ὀκτὼ πρὸς δέκα.

Palaeologorum surculo Andronico,
quem etiam despotae dignitate ornavit.
Quo tamen extincto, ut retro diximus,
eandem collocavit secundis nuptiis
Iohanni et re et nomine gratioso
Vatatzae de Ducarum stirpe genito,
et oriundo urbe Didymoticho,
protovestiarii dignitate ornato.
Atque huic socer moriens imperium tradidit:
ipse in Hyacinthi sepelitur coenobio,
aetatis anno ferme quinquagesimo,
duodeviginti dominatus annos.

ΙΩΑΝΝΗΣ Ο ΔΟΥΚΑΣ ΗΤΟΙ Ο ΒΑΤΑΤΖΗΣ

ΕΤ. ΛΓ.

Ἰωάννης οὕτω δὲ τυχὼν τοῦ κράτους,
εὐθὺς τεταινίωτο παρ' ἀρχιθύτου
τοῦ φιλοσόφου Μανουὴλ κεκλημένου,
ὅστις μετὰ Μάξιμον ἔσχε τὸν θρόνον·
καὶ λοιπὸν ἐδράξατο τῆς κραταρχίας
κοινῶν τε λοιπῶν ἀρρενωπῶς πραγμάτων·
ἦν γὰρ στρατηγὸς συνετὸς βουληφόρος
ψυχῆς παραστήματι σὺν εὐτολμίᾳ,
ῥώμῃ βραχιόνων τε σώματος σθένει,
κοσμούμενος μάλιστα συνέσει πλέον,
καὶ καρτερικὸς ἐν μάχαις ἀντιπάλων·
ἄναξ ἀγαθὸς καὶ μαχητὴς γεννάδας,
εὐεργετικὸς καὶ φιλοικτος εἰσάγαν,
ὑπηκόοις μὲν εὐμενὴς ἡδὺς μάλα,
ἐχθροῖς δὲ φρικτὸς καὶ δυσάντητος θέα,
προκινδυνεύων προφρόνως κληρουχίας,
ταμεῖον ὄντως τῶν ἀγαθοεργημάτων,
ὄντως χαριτώνυμος, ἔνθεος χάρις,
αὔξων πλατύνων τοὺς ὅρους ῥωμαΐδος,
ὅπλοις στρατηγίαις τε σὺν εὐβουλίαις,
συχνῶς στραταρχῶν καρτερῶν ἐν ταῖς μάχαις,
ἐπανασώζων τὰς πόλεις ῥωμαΐδι
γνώσει λόγῳ πράγματι καὶ πείρᾳ μάχης,
ἃς ὑφ' ἑαυτοὺς ὑπέταξαν λατῖνοι,
τῶν αὐτόνων τ' αὖ οὐ καλῶς ἀποστάται·
προσηνὲς εὐέντευκτον ἦθος δεικνύων,
μέτριος, εὐθὺς εὐπρόσιτος, χαρίεις,
τιμῶν μοναχοὺς καὶ θεοῦ θυηπόλους,
ἴσα προσεῖχε δ' ἀγγέλοις ἀρχιθύταις,
ἐκκλησίας ἔθιμα μὴ παρατρέπων,

IOHANNES DUCAS VATATZES

AN. XXXIII.

Sic adsecutus Iohannes imperium,
statim a patriarcha est coronatus
Emmanuele, cui cognomen philosopho,
post Maximum tenente sacrum thronum.
Ille deinceps ad imperii regimen
remque gerendam publicam gnave incubuit:
dux enim erat sapiens et consiliosus,
animo instructus alacri et audace
robusto brachio viribusque reliquis;
praecipue tamen praeditus prudentia,
et sustinendis proeliis invictissimus:
rex bonus pariter bellatorque strenuus:
beneficus, misericors apprime,
benivolus in subditos et benignissimus,
hostibus formidandus intolerabilis,
creditum sibi imperium prudenter tuens;
verus recte factorum fons et thesaurus,
et suo consentiens nomini, id est gratiosus;
augens dilatans ditionis fines
armis, peritia bellica, et consilio,
semper in aciem ducens, pugnisq. occurrens,
urbes romano vindicans imperio,
prudentia, voce, manu, et Martis opere,
quas vel Latini subditas sibi fecerant,
vel alii contra imperium rebelles perfidi:
mitem comemque indolem prae se ferens,
modestus, aditu facilis, liberalis,
monachorum reverens et sacerdotum,
episcopos angelorum instar habens,
nihil in ecclesiasticis immutans moribus,

apostolicorum dogmatum laudator
statutarumque a patribus regularum :
ingenti ad res praeclaras instructus animo,
cuius demonstrat liberalitatem
martyrum salutarium coenobium nobile,
quod mundi dicitur merito miraculum.
Sed enim brevis quaedam interdum nebula
virtutum eius solem infuscabat ;
amoris vincebatur quandoque illecebris.
Erat et ipsi splendida tori socia
Irene decus inclytum reginarum ,
pars optima coniugii , eximia indoles ,
ad res gerendas aemula auxiliatrix ,
virilis mulier animi , Dei reverens,
magnanima , pudica , novella Debora,
aeque cum viro publicam rem gubernans,
gravesque secum regni curas dividens :
femina pientissima, morata admodum ,
atque Amaltheae verum , ut aiunt , cornu.
Huius opus mirum et pulcherrimum
arte simul et marmorum varietate
prusaea in urbe Praecursoris templum ;
quod sanctuarium tradidit incolendum
a se fundatum monachis Deique famulis.
Ipsi placebant docti apprime homines,
monachi quoque et Dei sacerdotes,
et sublevabat opibus lante egenos.
At vero Caesar aegro ferebat animo
romanos brevi linea conclusos fines ,
atque universi vineam imperii
ab Italis vastatam tamquam suibus.
Quare confisus proeliorum arbitro
victorioso omnipotenti Domino,
pugnam cum Latinis commisit asperam
in Poemaneni oppidi territorio ,
ubi caelestium ordinum tribuno
templum consurgit Michaëli archangelo.
Romanum ergo ducebant exercitum
cum alii multi tum Caesar praecellens
fortibus cunctis , tamquam in heroicis
Achilles quondam splendidus ordinibus ,
victoriarum gloria clarissimus.
Latinum vero innumerum exercitum
ducebant , praeter alios , fratres duo
Lascareos Theodori regnantis nuper,

ἀποστολικῶν δογμάτων ἐπαινέτης,
ϗ τῶν πατρικῶν ϗ νόμων τῶν κειμένων,
γνώμην μεγαλόψυχον ἐν καλοῖς ἔχων,
δεῖγμά τι σαφὲς τῆς μεγαλοδωρίας,
μονὴ περιθρύλλητος ἡ τῶν σωσάνδρων,
ἢ μᾶλλον εἰπεῖν θαῦμα τῆς οἰκουμένης·
πλὴν εἶχε μικρὸν συσκιάζον βραχέως
τῶν ἀρετῶν ἥλιον αὐτοῦ τι νέφος,
ἥττητο βραχὺ τῆς ἐρωτοληψίας·
ὑπῆρχεν αὐτῷ καὶ σύζυγος ὀλβία
Εἰρήνη λαμπρὰ βασιλισσῶν τὸ κλέος
μερὶς ἀγαθὴ ϗ φύσις ἐξαισία,
βοηθὸς ἀνθάμιλλος εἰς τὰ πρακτέα,
ἀνδρεία γυνὴ ϗ θεὸν φοβουμένη,
σεμνή, μεγαλόψυχος, ἄλλη Δεββώρα,
οὐχ ἧττον ἀνδρὸς διέπουσα τὸ κράτος,
ϗ συνδιαφέρουσα τῷδε φροντίδας,
πανευλαβής τε κοσμία ξένη φύσις,
κέρας Ἀμαλθείας τι σαφῶς ὡς λόγος,
ἧς ἔργον ἀμήχανον εἰς κάλλους λόγον,
εὐτεχνίας τε μαρμάρων ποικιλίας,
ὁ προδρόμου κάλλιστος ἐν Προύσῃ δόμος,
ὃν εἰς σεμνεῖον καθίδρυσεν εὐθέως
μονοτρόπων τε ϗ λατρευτῶν κυρίου·
αὕτη λογίους ἔστεργε πατέρας μάλα
μονοτρόπους αὖ ϗ θεοῦ θυηπόλους,
ϗ τῶν πενήτων ἦν χορηγέτις ξένη.
τῷδ' οὐκ ἀνεκτὸν ἦν βλέπειν στεφηφόρῳ
τοὺς ῥωμαϊκοὺς εὐπεριγράπτους ὅρους
τὴν ἄμπελόν τε τῆς ὅλης κραταρχίας
συσὶ καθάπερ ἰταλοῖς λωβωμένην·
ὅθεν πεποιθὼς συντρίβοντι τὰς μάχας,
ϗ νικοποιῷ πανσθενουργῷ δεσπότῃ
μάχην συνάπτει λατίνοις φρικαλέαν
ἐν Ποιμανηνοῦ χωρίοις κεκλημένῳ·
οὗ ταγματάρχῃ τῶν ἄνω στρατευμάτων
ναὸς ἀνεῖται Μιχαὴλ πρωταγγέλῳ·
ἡγοῦντο τοίνυν στρατιᾶς μετὰ αὐσόνων
ἄλλοι τε πολλοὶ ϗ βασιλεὺς ἐμπρέπων
πᾶσιν ἀρίστοις ὡς ἐν ἡρώων ἴλαις
τὸ πρὶν Ἀχιλλεὺς ἀπολάμπων τοῖς ὅπλοις,
ϗ ταῖς κατ' ἐχθρῶν ἀνφδούμενος νίκαις·
τοῦ λατινικοῦ δ' ἀναριθμήτου στίφους
ἄλλοι τε πάλιν ϗ δυὰς ὁμαιμόνων
Θεοδώρου λάσκαρι τοῦ βασιλέως,

οἳ πρὶν ἀποδράσαντες ἐκ βασιλέως
τῷ τῶν ἰταλῶν ὑπεκλίνθησαν κράτει·
ϗ τηνικαῦτα κατὰ ῥωμαίων σφίσι
ϗ συμμαχοῦν ϗ συγκροτοῦν μάχην·
ϗ συρραγείσης ἐξ ἑκατέρου μάχης,
νίκην ἀπηνέγκατο ῥωμαίων ἄναξ,
κατὰ κράτος δ' ἥττηντο λατῖνοι πάλιν·
ἔνθα βασιλεὺς ὤπτο ῥηγνύων τρέπων
ἐναντίων φάλαγγας ἐνθέῳ σθένει,
πᾶσι κελεύων ἐμπιπλῶν προθυμίας,
ἔνοπλος ἱππότης δὲ λογχίτης ἅμα,
ἄνω κάτω θέων τε ϗ περιθέων,
ἔβαλλεν ἐχθροὺς τῷ δόρατι καιρίαν,
αὐτὸς δι' αὐτοῦ τὴν μάχην καταρτύων·
ϗ σὺν ὀλίγοις, ὡς Γεδεὼν τις νέος,
ἀλλοθρόων ἥττησε τὰς μυριάδας·
οὓς μὲν παρανάλωμα μαχαίρας δράσας,
οὓς δ' αἰχμαλώτους ἀπαγαγὼν δεσμίους·
ἑλὼν δὲ τυφλοῖ ϗ Λασκαρίους τότε·
τουτὶ τροπαιοῦχημα, λατίνων θράσος
ὀφρύν τε ϗ φύσημα συνέστειλέ πως,
ὕψωσε ῥωμαίων δὲ κραταρχίαν,
καὶ μέγ' ἀνήγαγε τῆς εὐτολμίας·
ἄλλη δὲ πάλιν λατινικὴ τις φάλαγξ
Σέρρας κατατρέχουσα τὴν πόλιν τότε
ὄλεθρον ἧτταν φυλετῶν γνοῦσα, τάχος
ἐκεῖθεν ἀπέδρασε σὺν ἀκοσμίᾳ,
καλῶς στρατιᾶς Ἀγγέλου Θεοδώρου,
ὃν φθάσας ἱστόρησε τε πρόσθεν λόγος,
ἐπέλθοιεν δείσασα προσδοκωμένην·
αὐτὸς γὰρ ὡς ἔφημεν ἄρξας ἀστέων
Ὀρεστιάδος, Σερρῶν, Θεσσαλονίκης
ἄλλων πολιχνίων τε ϗ χώρας ὅσης,
ϗ βασιλικοῖς ὡραϊσθεὶς συμβόλοις,
ἀντίμαχος κράτιστος ἦν τοῖς λατίνοις·
ἀντέθετο δὲ ϗ κραταρχοῦντ' αὐσόνων·
αὐτὸς μὲν αὐτὸν ἀξιῶν μάλ' ἐνδίκως
τῶν δευτερείων ἀπολαύειν τοῦ κράτους,
ϗ τῶν ὑφ' αὐτὸν κυριεύειν ἀστέων·
αὐτὸς δ' ἀπρὶξ ὢν τοῦ στέφους δεδραγμένος·
προὐβάλλετ' οὐκοῦν δεσπότας παραλόγως,
ϗ σεβαστοκράτορας ϗ δομεστίκους,
ὀφφικίων ἄλλα τε καθάπερ κράτωρ·
ὁ δ' αὐτοκράτωρ ἐκνικήσας ὡς ἔφην
τὴν τῶν ἰταλῶν στρατιὰν κατὰ κράτος,

qui a Caesare Iohanne deficientes
ad Italorum partes se contulerant;
nunc conspirantes cum hostili exercitu
adversus nos in aciem prodierant.
Ergo exercitibus utrimque concurrentibus,
Caesar romanus retulit victoriam,
et Latinorum sunt prostratae vires.
Tunc cernebatur Caesar perrumpens fugans
hostium phalanges robore divino,
cunctos imperio regens, audacia complens,
vectus equo cataphractus et hastam tenens,
sus deque currens, ordines perlustrans,
hostes letifera lancea percutiens,
ipsemet manu propria bellum gerens:
paucisque comitantibus, ceu novus Gedeo,
hostium magnas proterens catervas,
quos partim gladio messuit in acie,
partim constrictos vinculis abduxit.
Lascares quoque captos excaecavit.
Atque hoc trophaeum contudit audaciam
superbosque spiritus Latinorum;
nostratium autem extulit fortunam,
et confidentiam plurimam restituit.
Tunc alius quoque exercitus latinus,
qui Serras bello quatiebat urbem,
clade suorum cognita, celeriter
illinc tumultuaria recessit fuga:
nimirum metuens ne Theodori Angeli,
cuius iam nostra meminit historia,
in se ruentem cerneret exercitum.
Hic enim, ut iam diximus, urbium dominus
Serrarum, Orestiados, Thessalonicae,
oppidorumque aliorum cum agris suis,
et iam adsumptis regiis insignibus,
latina proelia egregie sustinebat.
Sed nostro quoque resistebat Caesari,
qui sane patiebatur aequo animo
secundum esse Angelum in imperio
suarumque urbium dominum se gerere;
sed hic coronam retinebat mordicus,
designabatque absurde sebastocratoras,
despotas, et domesticos, atque alia huiusmodi
nomina dignitatum tamquam Caesar.
At imperator post victoriam illam
quam de latino retulit exercitu,

compressa hostium tumida superbia,
urbes cum territoriis occopavit,
Lentiana statim atque Poemanenum,
Charioron deinde et Vervenicum.
Idem longarum navium classe instructa,
multam Latinis praebebat molestiam
ipsos adgrediens terra marique saepius,
praedas abducens, pro viribus atterens,
urbes illorum armis intercipiens,
quas inter Madytum et Calliupolin,
cum circumiectis pagis ac territoriis.
Atque in his bellis dum versatur Caesar,
ab Andronico patitur insidias
patruelis filio, Nestongo dicto,
qui coniuratos habuit viros nobiles
fratrem Isacium, atque Tarchaniotam
Synadenum, et Phlamulium, et Macrinum
hetaeriarcham magnum, aliosque plures.
Re cognita imperator, cremata classe,
celeri cursu se recepit Ochyras:
ubi quaestionem de negotio instituens,
praedictos culpae reperit affines.
Quare Nestongum primarii rei fratrem,
Macrinumque simul, multavit oculis:
alios inclusit; Andronicum pariter
vinclis Magnesiae custodiendum tradidit,
unde is elapsus abiit ad Turcas.
Ex illo autem tempore imperator
armatis se custodibus circumsepsit,
ob corporis tutelam atque vitae,
omissa iam priore facilitate
simplicis moris et procul suspicione.
Atque ad hoc etiam adiutricem habuit,
tori consortem et vitae subsidium,
virili praeditam spiritu reginam
atque regali ad res gerendas indole,
Irenem, parem nomini, auctorem pacis.
Iam cum Italici cernerent inutile
a se susceptum bellum contra Caesarem,
pacis cum ipso foedus pepigerunt:
et urbe quidem Pegis excesserunt
atque aliis oppidis territoriisque,
quotquot ad austrum nobis erant posita:

ϗ καθελὼν σφῶν τὸν μεγαλόψυχον τύφον,
ἥρει πόλεις χώρας τε ταῖς στρατηγίαις
Λεντιανά τε Ποιμανηνὸν αὐτίκα,
ϗ Βερβενίκον ϗ Χαρίορον πάλιν·
πηξάμενος δὲ ϗ νεῶν μακρῶν στόλον
παρεῖχε πολλὰ πράγματα τοῖς Λατίνοις,
ἐκ γῆς ἰὼν ϗ θαλάσσης πολλάκις,
ϗ σφᾶς σκυλεύων ϗ κακῶς δρῶν ὡς σθένος,
ϗ τὰς ὑπ' αὐτοὺς παραλαμβάνων πόλεις,
Μάδυτον εἷλε ϗ πόλιν τὴν Καλλίου,
σὺν τοῖς πέριξ ἅπασι χωρίοις τόποις·
ταύταις κρατοῦντος ἐμβραδύνοντος μάχαις,
κᾀττύεταί οἱ παρ' Ἀνδρονίκου λόχος
πρωτεξαδέλφου Νεστόγγου γε τοὐπίκλην,
συνίστορας ἔχοντος ἄνδρας ἐντίμους,
Ἰσάκιον σύναιμον Ταρχανειώτην (1)
ϗ Συναδηνὸν ϗ Φλαμούλιον μέγαν,
ἑταιρειάρχην Μακρηνὸν, ἄλλο στῖφος·
ὃ γνοὺς βασιλεὺς ϗ πυρὶ δοὺς τὸν στόλον
πρὸς τὰς Ὀχυρὰς (2) τὴν πόλιν ἀποτρέχει,
κἀκεῖ τὸ πρᾶγμα δοὺς ἐτασμῷ ϗ κρίσει
ὑπευθύνους εὕρηκε τοὺς εἰρημένους·
ϗ Νεστόγγον μὲν σύγγονον πρωτεργάτου
ϗ τὸν Μακρηνὸν, ἐστέρησεν ὀμμάτων·
καθεῖρξεν ἄλλους· τὸν δ' Ἀνδρόνικον πάλιν
εἱρκτῇ παραδίδωσιν ἐν Μαγνησίᾳ·
ἀφ' ἧς ἀποδρὰς ᾤχετ' εἰς τὴν Περσίδα·
ἐκ τοῦδ' ἑαυτῷ λοιπὸν ὁ στεφηφόρος
φρουροὺς περιέστησε ϗ ξιφηφόρους.
πρὸς φυλακὴν σώματος ἢ σωτηρίαν,
ἐλευθερίας τῆς πρὶν ἐκλελησμένος,
τῆς θ' ἁπλοϊκῆς βιοτῆς τῆς ἀτύφου·
ἔχων βοηθὸν ϗ συνεργὸν εἰς τόδε
κοινωνὸν εὐνῆς ϗ βοηθὸν τοῦ βίου
τὴν ἀρρενωπὸν λῆμα προσκεκτημένην
ἦθός τε βασίλειον ἐν τοῖς πρακτέοις
Εἰρήνην βασίλισσαν εἰρήνης δότιν.
ἀσύμφορον κρίναντες αὐτοῖς τυγχάνειν
ἱστᾶν Ἰταλοὶ πρὸς βασιλέα μάχας,
συνῆλθον αὐτῷ συμβάσεις δεδρακότες,
ϗ παραδόντες ἄστυ Πηγῶν εὐθέως·
ἐκεῖθ' ὑπεκστάντες δὲ χωρῶν ἀστέων
τῶν πρὸς νότον γε κειμένων κραταρχίᾳ·

(1) Acropolita tribuit hoc cognomen Synadeno; at Ephraemius videtur Isacio dare.

(2) Hoc nomen v. 7757. singulari numero scribitur.

τῆς δ᾽ αὖ πρὸς ἄρκτον πλησίον Βυζαντίδος,
ἔτι κρατοῦντες σὺν Βιθυνίας τόποις·
καὶ λοιπὸν ὑπῆν ἀνακωχὴ τῆς μάχης·
οὕτως ἐχόντων ὡς ἔφην τῶν πραγμάτων,
οἰκήτορες στέλλουσι πρὸς βασιλέα
Ὀρεστιάδος λιπαροῦντας ἱκέτας,
ὡς ἂν σταλείσης στρατιᾶς, τούτων πόλις
ἐλευθέρα γένοιτο χειρὸς λατίνων·
μετὰ στρατιᾶς τοιγαροῦν πέμπει τάχος
Ἰσῆν πρωτοστράτορα σὺν τῷ Καμμύτζῃ,
οἳ τὴν πόλιν φθάσαντες, ἔνδον τειχέων
εὖ προσδεχθέντες εἰσέδραμον ἀσμένως·
ἐπεὶ δὲ Θεόδωρος Ἀγγέλων γένους
σχεδὸν κατῆρχε Μακεδονίας ὅλης,
τῆς γείτονος Θρᾴκης τε σὺν τοῖς ἐν κύκλῳ,
ἄνευ Ῥοδόπης Ἀχριδοῦ Μελενίκου·
τούτων γὰρ ἦρχε Σθλάβος ὠνομασμένος,
οὗ τὰ κατ᾽ αὐτὸν ἐξερεῖ τάχα λόγος·
ἐπεὶ κατῆρχεν ἐκ Θεσσαλίας ὥρας,
τὴν Ἀδριανοῦ καταλαμβάνει πόλιν,
καὶ τῆσδ᾽ ὑπῆρξεν ἐγκρατὴς, συμφωνίᾳ·
ἐξηλάθη γοῦν στρατιὰ βασιλέως
κακῶν ἀπαθὴς, καὶ τρέχει πρὸς τὴν ἕω·
οὕτω κατασχὼν Θεόδωρος τὴν πόλιν,
ἀεὶ παρεῖχε πράγματα τοῖς λατίνοις,
τὰς σφῶν σκυλεύων καὶ κατατρέχων πόλεις.
ἐπῆλθε μὲν Βιζύῃ λατίνων πόλει,
πρὸς δ᾽ αὖ γε Βρύσει χωρίοις θ᾽ ὑπηκόοις,
καὶ πάντα πορθεῖ καὶ σκυλεύει τὰ πέριξ·
ἐπιστρατεύει καὶ μέχρι Βυζαντίδος,
καὶ τοῖς ἰταλοῖς ἐντίθησι δειλίαν·
οὗτος πρὸς Ἀσὰν τὸν κρατοῦντα Βουλγάρων
σπονδὰς ἔθηκε συμβάσεις τ᾽ ἐνωμότους·
Ἀσὰν δ᾽ ὑπῆρχεν οὗτος υἱὸς Ἀσάνη
τοῦ Βουλγάρων ἄρξαντος ἔμπροσθεν χρόνον·
ὅστις θανόντος τοῦδε τοῦ φυτοσπόρου,
καὶ τοῦ Βορίλα Βουλγάρων σχόντος κράτος,
καθάπερ ἱστόρησε φθάσας μοι λόγος,
φυγὰς ἀπέδρα πρὸς σκύθας παριστρίους·
εἶτα σκυθικὸν ῥωσικὸν λαβὼν στῖφος,
ἐπιστρατεύσας τῷ κρατοῦντι Βορίλᾳ
ἀνακαλεῖται τὴν πατρὸς κληρουχίαν,
καὶ κατὰ μάχην συμπλακεὶς, τοῦτον τρέπει,
ἑλών τε τυφλοῖ καὶ κρατεῖ Βουλγάρων·
πρὸς τόνδε τοίνυν Ἀσάνην Ἰωάννην

sed borealem Byzantii viciniam
retinuerunt, cum Bithyniae partibus.
Deinceps vero quies a bellis erat.
Hoc rerum statu, cives Orestiados
mittunt ad Caesarem legationem supplicem,
valde rogantes ut submisso exercitu
ipsorum urbem gravi Latinorum
ereptam iugo libertati redderet.
Is ergo cum exercitu statim misit
protostratorem Isem et Cammytzem,
qui progressi illuc, in urbem facile
pronis excepti votis penetrarunt.
At Theodorus ille stirpe Angelus,
cunctae erat prope Macedoniae dominus,
finitimaeque Thraciae cum viciniis,
Rhodope excepta Acbride Melenico:
(namque his terris imperabat Sthlabus)
Nunc age res gestas Theodori fabor.
Hic e Thessalia cum armis progrediens
ad Hadriani urbem semet contulit,
quam occupavit, incolis faventibus.
Quamobrem inde expulsae regiae copiae
in orientem rediere incolumes.
Sic Theodorus urbe hac potitus
numquam Latinis non erat molestus,
horum concursans urbes et depraedans.
Is Byziam quoque Latinorum urbem
insedit atque Brysin pagosque subditos,
cunctamque late diripuit viciniam.
Denique Byzantii moenia progressus usque
magnum Italicis intulit timorem.
Hic cum Asane Bulgarorum rege
iuratum foedus amicitiae pepigit.
Erat hic autem Asan Asanis filius
eius qui olim imperabat Bulgaris:
isque excedente vita parente suo,
bulgaricumque regnum rapiente Borila,
veluti nostra historia iam retro dixit,
fuga trans Istrum in Scythiam evaserat:
mox comitante scythico rossoque milite
dominatori Borilae bellum inferens,
recuperavit patrium imperium:
aemulum enim acie profligatum,
captum caecavit; ipse regnum tenuit.
Cum hoc, ut dixi, Asane Iohanne

caesareae dignitatis usurpator
foedus pacificum statuit Theodorus;
tum etiam adfinitatem, nam Mariam
istius notham filiam iustis nuptiis
germano fratri Manueli iunxit.
Sed enim paulo post contempto foedere,
contractoque plurimo copiarum numero,
bulgaro regnatori bellum intulit:
mox concurrentibus utrimque viribus
extremam eladem Theodorus pertulit,
eius dilapso turpiter exercitu.
Ipse indecore captus a Moesis barbaris
infelix ad Asanem vinctus ducitur
cum selectis nobilibus et praecipuis,
et cum ingenti vulgi multitudine.
Verum Asanes captum Theodorum
benignitate multa et honore habuit,
captivumque vulgus militum in patrias suas
libero pede solutumque metu
sivit reverti ob suum clementem animum;
quin et fortasse ob suam utilitatem.
Nam post emissos vinculis captivos,
statim cum proprio exercitu percurrit urbes,
easque obtinuit facile et sine proelio,
suaeque adiunxit ditionis oppidis.
Hadrianopolim occupavit urbem,
munitumque oppidum Didymotichum,
deinde Thraciam cunctamque Macedoniam.
Bolerum quoque coepit, Xanthiam, Serras,
Prilapum, latos Pelagoniae campos,
cum circumiectis omnibus castellis.
Cepit et Prespam, Deabolin, Achrin,
Albaniam cunctam, illyricam provinciam,
Valachiae quoque concursavit fines;
postremo in patriam reducem tulit pedem.
Oppida vero partim nobis cessit,
partim in sua retinuit potestate.
Ob has res gestas visus est Asanes
vir admirandus, cunctis laudabilis:
clemens reapse erat mitisque admodum,
nec subditorum caedibus indulgebat,
neque saevitia barbaris ingenita
stirpisque velut propria hic laborabat:
nec rursus nostro sanguine gaudebat,
velut priores impii reges bulgari;

ἄναξ ἐπακτὸς Θεόδωρος ὡς ἔφην,
εἰρηνικὰς θεὶς συμβάσεις μεθ᾽ ὁρκίων
καὶ κῆδος ἕδρα, τοῦδε παῖδα Μαρίαν
τὴν ἐκ νοθείας προσλαβὼν νύμφην φίλην
εἰς αὐτάδελφον τὸν Μανουὴλ ἐννόμως·
μετὰ δὲ μικρὸν συμβάσεις διαλύσας
καὶ συναλίσας στρατιᾶς πλεῖστον στῖφος
ἐπεστράτευσε βουλγάρων ἀρχηγέτῃ·
καὶ συρραγείσης ἐξ ἑκατέρων μάχης
ἧτταν ὑπέστη Θεόδωρος ἐσχάτην,
αὐτοῦ στρατιᾶς ἀκλεῶς λελυμένης·
καὶ συσχεθεὶς αἴσχιστα μυσοῖς βαρβάροις
πρὸς Ἀσὰν αἰχμάλωτος ἀπήχθη τάλας,
μετὰ λογάδων προσγενῶν ἐντίμων,
ὄχλου τε πολλοῦ μυριαρίθμου στίφους·
ἀλλ᾽ Ἀσάνης μὲν Θεόδωρον κατέχων
πολλῆς θεραπείας τε τιμῆς ἠξίου·
πλῆθος δ᾽ ἁλωτὸν ἐκλύει πρὸς πατρίδας
ποσὶν ἐλευθέροις τε καὶ δίχα φόβου
ἐπαναδραμεῖν ἐκ φιλανθρώπου τρόπου·
τάχα δ᾽ ἑαυτῷ καὶ τιθεὶς τὸ συμφέρον·
μετὰ γὰρ ἀπόλυσιν αὐτῶν εὐθέως
μετὰ στρατιᾶς ἐξιὼν πρὸς τὰς πόλεις
ᾕρει τε ταύτας εὐχερῶς ἄνευ μάχης,
καὶ τοῖς ὑπ᾽ αὐτὸν συνέταττε φρουρίοις·
τὴν Ἀδριανοῦ παραλαμβάνει πόλιν,
μεθ᾽ ἣν Διδυμότειχον ἀσφαλῆ πόλιν,
ἔπειτα Θρᾴκην Μακεδονίαν ὅλην,
Βολερὸν εἷλε καὶ Ξάνθειαν καὶ Σέρρας,
ἄστυ Πριλάπου, Πελαγονίας πλάτη,
σὺν τοῖς πέριξ ἅπασι χωρίοις τόποις·
αἱρεῖ τε Πρέσπαν, Δεάβολιν, Ἀχρίδα,
ἀλβανὸν ἅπαν, ἰλλυριῶν τὸ κλίμα,
καὶ τῆς Βλαχίας τοὺς ὅρους κατατρέχει·
ἔπειτ᾽ ἐπανέζευξε πρὸς τὴν πατρίδα·
καὶ φρουρίων μὲν τινὰ ῥωμαίοις νέμει,
ἄλλα δ᾽ ἀφῆκεν ὑφ᾽ ἑαυτὸν τυγχάνειν·
ἐντεῦθεν οὖν ἔδοξεν οὗτος Ἀσάνης,
θαυμαστὸς ἀνὴρ μακαριστὸς τοῖς ὅλοις·
ἦν γὰρ ἀληθῶς συμπαθὴς πρᾷος πάνυ·
οὐ γὰρ ἐχρῆτο καθ᾽ ὑπηκόων φόνοις,
οὐδ᾽ εἶχεν ὠμότητα τὴν ἐν βαρβάροις
σύμφυτον οἷον συμπεφυκυῖαν γένει,
ἢ ῥωμαϊκοῖς αἵμασιν ἐνετρύφα,
ὡς πρὶν κρατάρχαι βουλγάρων κακοτρόπως·

ἀλλ' ἦν ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος φύσει,
τῷ τοι ποθεινὸς αὔσσον ἦν βουλγάροις·
φρουρούμενος δὲ Θεόδωρος ὡς ἔφην
φιλοφροσύνης τ' ἀπολαύων ἐν χρόνῳ,
ἐπεὶ τυρεύειν μηχανὰς ἐφωράθη,
τοὺς ὀμμάτων ἔσβεστο λυχνοὺς ἐνδίκως·
αὐτοῦ δ' ἀδελφὸς Μανουὴλ ὁ δεσπότης
κατὰ μάχην ὢν καὶ φυγῇ κεχρημένος,
Θεσσαλονίκην καταλαμβάνει πόλιν,
καὶ τοῦ δ' ἐκυρίευσε πραγμάτων δίχα
σὺν τοῖς γε λοιποῖς ἀστέων καὶ χωρίων
τοῖς κατὰ δύσιν ἐγκαταλελειμμένοις·
οὗτος καλεῖσθαι δεσπότης ἠρμένος
ἐχρῆτο μᾶλλον βασιλικοῖς συμβόλοις
ἐν ὑπογραφαῖς διὰ κοκκίνου γράφων,
πρὸς ὃν τις ἀπέσκωψεν εὐστόχως μάλα,
ὡς σοὶ προσᾴδειν ἁρμόδιον τυγχάνει
σὲ τὸν βασιλέα τε δεσπότην ἅμα·
καὶ Σθλάβος ἀνὴρ, οὗπερ ἐμνήσθην ἄνω,
ἐκ βουλγάρων φὺς προσγενὴς ὢν Ἀσάνῃ,
λαβὼν κατεῖχε φρούριον Μελενίκου,
καὶ τοῦ Ῥοδόπης ἦρχε σὺν τοῖς φρουρίοις,
καὶ τοῖς ἐν αὐτῇ χωρίοις ἀραρότως,
καὶ δεσποτικῆς ἀξίας γε τυγχάνει
πρὸς τοῦ κρατοῦντος Ἐρρὴ τῆς Κωνσταντίνου,
οὗ καὶ συνήφθη τῇ θυγατρὶ τῇ νόθῳ·
ἐνίοτ' οὗτος συνεμάχει λατίνοις,
ἐνίοθ' αὖθις βουλγάροις τοῖς φυλέταις,
καὶ Θεοδώρῳ τῷ κομνηνῷ πολλάκις,
τινὶ δ' ἁπάντων οὐ συνήρχετ' εἰς λόγον,
ἀλλοπρόσαλλος εὐρίπιστος τυγχάνων·
τοῦ δὲ κρατοῦντος ἰταλῶν τοῦ Ῥομπέρτου
βίον καταστρέψαντος ἐν Βοιωτίᾳ,
σφῶν Ἰωάννης παραλαμβάνει κράτος,
ἔξωρος ἀνὴρ, τῆς Σιὼν ῥὴξ τυγχάνων,
ὃς καὶ μάχην ἔστησε πρὸς βασιλέα,
μετά γε νηῶν ἐκπεπλευκὼς εἰς ἕω,
καὶ τῆς Λαμψάκου κατάρας νεωρίῳ,
πλέον δὲ μηδὲν δεδρακὼς, ὑποστρέφει·
ὁ γὰρ βασιλεὺς αὐσόνων Ἰωάννης
γενναῖος ἀντίμαχος ἦν ἀντιστάτης·
εἰ καὶ καθυπέστρεψεν ἄρτι τῆς μάχης
τῆς πρὸς καίσαρα Γαβαλᾶν ἀποστάτην·
εἰ καὶ τριήρεις καὶ δυνάμεις αὖ πάλιν
παλαιολόγῳ παραδοὺς Ἀνδρονίκῳ,

sed bono erat clementique ingenio,
et nostris aeque ac Bulgaris gratissimus.
Captivus vero, ut dixi, Theodorus,
et iam expertus diu benivolentiam,
postea moliri fraudes deprehensus,
meritam poenam excaecatus pertulit.
Eius autem frater Manuel despota
praedicto e proelio fuga se subducens
Thessalonicam urbem cursu petiit,
eiusque nullo resistente dominum
se gessit, atque urbium ceterarum,
quae ad occidentem reliquae sibi fuerant.
Hic cum vocari despota voluisset
regias tamen usurpabat tesseras,
nempe rubrica utens in subscriptionibus:
in quem iocatus est acute admodum
nescio quis dicens: congruit vocari,
ut est in psalmo, te regem et despotam.
Ille etiam Sthlabus, cuius antea memini,
bulgarus gente Asanisque adfinis,
insederat praesidium Melenici,
et Rhodopem tenebat cum castellis
eiusque montis pagis dominio firmo:
despotae quoque acceperat dignitatem
a byzantino imperatore Henrico,
cuius et notham filiam habebat coniugem.
Hic nunc latinas sequebatur partes,
nunc Bulgaris favebat popularibus,
comneno quoque saepe Theodoro:
nemini vero firmam servabat fidem
homo desertor atque versipellis.
Iam quum Robertus italus imperator
vivendi finem in Boeotia fecisset,
Byzantii sceptrum Iohannes excepit,
decrepitus vir, qui Sionis rex erat.
Atque hic nostro Caesari bellum intulit
in orientem navibus directis,
atque occupato Lampsaci navali.
Verum nil ultra adgressus, retro cessit.
Iohannes enim imperator noster
validus erat obex et adversarius.
Qui quamquam bello vix perfunctus fuerat
adversus Gabalam caesarem rebellem;
et quamquam naves etiam cum militibus
Andronico traditas palaeologo

(qui magnus illi tunc erat domesticus)
rebellis causa Rhodum amandaverat;
attamen paucis stipatus militibus
armis latinas incursiones repulit.
Insuper pugnam adversus rebellem
prospero eventu gessit Palaeologus
et ex sententia caesaris Iohannis.
Imperatore Latinorum mortuo,
heres imperium Balduinus adiit,
vir mitis ac modestus et gratiosus.
At Caesar noster subditorum auctis
viribus, et securae pacis munere
per cuncta imperii oppida florente,
perterrefactis hostibus et repressis;
adfinitatem quoque, quaesitis nuptiis,
cum Bulgarorum rege Asane iunxit,
iuratamque fidem rursus obtulit
et firmas amicitiae conditiones:
nempe ut utilem operam conferret sibi
Bulgarus et bellorum socius fieret:
idem vicissim, si romano auxilio
forte indigeret, frustra non requireret.
His quemadmodum dixi constitutis,
profectus est Asanes Callioupolim
cum tori socia, filiaque Helena,
ad Caesarem reginamque praesentem ibi,
et liberorum celebrarunt nuptias;
Asanis nempe filia datur Helena
Lascari Theodoro in matrimonium:
benedixitque nuptiis patriarcha
rei gestae praesens Germanus venerabilis.
Tempore illo Ternobi archipraesul
metropolitae bulgaro antea subditus
patriarchalem titulum obtinuit
nescio quo sacrae synodi iudicio
decretoque simul nostri Caesaris
qui adfinitati tribuit hanc regiam gratiam.
Post celebratos nuptiarum ritus
regina Irene cum novitiis sponsis
in orientem redux domum petiit;
et bulgara regina in Moesiam rediit.
At reges ambo stipati exercitibus
Thraciam Macedoniamque percurrebant,

ὃν εἶχε δομέστικον μέγαν τοτότε,
πρὸς τὴν Ῥόδον πέπομφε κατ' ἀποστάτου·
ἀλλ' οὖν μετρίους παραλαβὼν ὁπλίτας,
ὅπλοις ἀπεῖργεν ἐκδρομὰς τοῖς λατίνοις·
καὶ τὰ κατὰ μάχην δὲ τὴν ἀποστάτου,
αἴσιον ἔσχε παλαιολόγῳ πέρας,
καὶ κατὰ νοῦν τείνοντα τῆς βασιλίδος.
τῆς λατινάρχου δ' ἐκλελοιπότος βίον,
κληροῦχος ἀρχῆς Βαλδουῖνος γίνεται,
ἤπιος ἀνὴρ, σωφρονικὸς, χαρίεις·
ἄναξ δὲ τεθεὶς τοῖς ὑπηκόοις σθένος,
καὶ τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἄστεσι καὶ χωρίοις
εἰρηνικὴν σύναρσιν εἴ τι καὶ πλάτος,
ἐναντίοις δὲ συστολὴν καὶ δειλίαν,
κῆδος τε κατήλλαξε μνηστείαν θ' ἅμα
πρὸς τὸν κρατοῦντα βουλγάρων τὸν Ἀσάνην,
καὶ πιστὰ συντέθεικεν ὅρκια πάλιν,
σπονδὰς ἐνωμότους καὶ συμφωνίας·
ὡς εἰ παρείκοι συγκροτοῖτο προσφόρως,
καὶ συμμαχοῖτο πρὸς μάχας ἐναντίων·
καὶ πάλιν εἰ δέοιτο χειρὸς αὐσόνων,
καταπολαύοι βουλγάρων ἀρχηγέτης·
τούτων πραχθέντων ὅνπερ εἰρήκειν τρόπον,
συνέρχεται δὲ πρὸς πόλιν τὴν Καλλίου
μετὰ συνεύνου καὶ θυγατρὸς Ἑλένης,
Ἀσὰν βασιλεῖ καὶ βασιλίδι τότε,
καὶ συντελοῦσι συνάφειαν υἱέων·
Θεοδώρου λάσκαρι συνεζευγμένης
Ἀσὰν θυγατρὶ κατὰ νόμους Ἑλένῃ·
ἐπευλόγει δὲ τοὺς γάμους ἀρχιθύτης
θεῖος Γερμανὸς συμπαρὼν τελουμένοις,
τῷ τηνικαῦτα ποιμενάρχῃς Τερνόβου
τῷ βουλγαρίας (1) ὑποκείμενος θρόνῳ,
οὐκ οἶδ' ὅπως κέκριτο συνόδου κρίσει
θεσπίσματι τὸ τῆς κρατοῦντος αὐσόνων,
τιμὴν πατριάρχου γε καὶ κλῆσιν ἔχειν,
κήδους τινόντων τῶν κρατούντων οἱ χάριν·
ἐπεὶ δ' ἐπεπλήρωτο τὰ κατὰ γάμους,
βασιλὶς Εἰρήνη μετὰ ἅμα νυμφίοις
οἴκαδ' ἀπῄει κατὰ τοὺς ἕω τόπους·
πρὸς Μυσίαν δ' αὖ ἡ βασιλὶς βουλγάρων·
δυὰς δ' ἀνάκτων σὺν δυνάμεσι πάλιν
Μακεδονίαν κατέδραμε καὶ Θράκην,

(1) Rectius Acropolita ait Κωνσταντινουπόλεως. Neque certe Iohannes graecus imperator decretum condidisset de episcoporum bulgarorum inter se praerogativis.

ϗ λατινικὰ χωρία τε ϗ πόλεις
αὐτοῖς ὅπλων ϗ κατέσχον ἀμάχως·
τὰ Μάδυτα (1) μὲν ϗ Χεῤῥονήσου πλάκα
πόλιν Καλλίου σὺν ὄρει τὸ τοῦ Γάνου
μάχῃ παρεστήσατο πρόσθεν ὁ κράτωρ,
οὗ ϗ πόλιν ἔκτισε πρὸς πόδας ὄρους·
ἀρχῆς δ' ὅρους ἔπηξεν ἄχρι Μαρίτζης·
τὰ δ' αὖ κατ' ἄρκτον προσνενευκότα μέρη
κληρουχίαν εἴληφε Βουλγάρων ἄναξ·
ϗ μέχρι δ' αὐτῶν τειχέων Βυζαντίδος
ἄνακτες ἄμφω προσπελάζουσιν ὅπλοις,
ϗ πτοίαν οἵαν ἐντιθοῦσι λατίνοις·
ἑκάτερος δ' ἔπειτα τῆς βασιλείου
χειμῶνος ὑπέστρεψεν εἰς κραταρχίαν.
ὁ μέν γε Θεόδωρος ἄνακτος γόνος
ἄνηβος ὤν τις ϗ νεώτατος φύσει
εἰ ϗ συνῄει μηδαμῶς γε τῇ κόρῃ,
πλὴν ἀλλ' ἀνῆπτο σὺν Ἑλένῃ σιζύγῳ
πρὸς βασιλίδος εὐμενῶς φιλοφρόνως·
μεταμεληθεὶς δ' ὡς ἐνῆν ἀπεικάσαι
ἐφ' οἷς Ἀσὰν δέδρακε πρὸς βασιλέα,
στείλας πρὸς αὐτὸν ἐκλιπαρεῖ σὺν δόλῳ
αὐτῷ σταλῆναι τὴν φίλην θυγατέρα
προσρήσεως τὸ ϗ φίλης θέας χάριν
ἐν Ἀδριανοῦ τῇ πόλει σκηνουμένῳ
μετὰ στρατιᾶς ϗ συνεύνου φιλτάτης,
μετὰ δ' ἐπανήκειν γε πρὸς τὸν γαμέτην·
σταλεῖσαν οὐκοῦν προσλαβὼν φυτοσπόρος
οὐκέτι μεθῆκε ϗ δακρύουσαν μάλα
ἐπαναδραμεῖν, ὡς ὑπόσχεσις, πάλιν·
ἀλλὰ σὺν αὐτῇ πρὸς μυσοὺς ἀποτρέχει,
μεθεὶς ὀπαδοὺς ἰέναι παλινδρόμους·
εἶτα σκυθικὸν μυριάριθμον στίφος
Ἴστρον περάσαν σὺν γυναιξὶ ϗ τέκνοις,
ἄκοντος Ἀσὰν, δι' Αἵμου ϗ Ῥοδόπης
χύδην ἐπῆλθε Μακεδονίας τόποις,
ϗ τήνδ' ἐληΐσαντο σὺν πάσῃ Θρᾴκῃ,
εἰς Αἶνον αὐτὴν πεφθακότες τὴν πόλιν·
ϗ τὰ πρὸς ἑσπέραν γε νεύοντα μέρη·
ὧν οἱ μὲν εἶχον τὰς νομὰς ἐλευθέρας,
ϗ ποταμὸν Εὗρον ὠνομασμένον,
ὃς ἐκβολὰς τίθησιν εἰς Ἀμφιτρίτην·
οἱ δ' αὖ ἐνηυλίζοντο τοῖσδε χωρίοις,
κἀν τοῖς πεδίοις ϗ τόποις παραλίοις,

et latina castella urbesque captas
absque labore bellico dividebant.
Madyta quidem et tractum Chersonesi,
Ganum etiam montem et Calliupolim
antea noster bello Caesar ceperat:
oppidum quoque ad montis pedem struxerat;
finesque imperii protulit Maritzam usque:
verum regiones reliquas ad boream sitas
rex Bulgarorum sibi vindicavit.
Quin adeo byzantina usque ad moenia
cum armis ambo reges adpropinquarunt,
incutientes mirum Latinis metum:
verum instante hieme rex uterque
in suum reversus est deinde imperium.
Iam Theodorus imperatoris filius
impubes adhuc teneraque aetate,
quamquam puellae nondum idoneus erat,
diversabatur tamen cum sponsa Helena
apud reginam matrem amantissimam.
Sed enim Asan, ut credere par erat,
gestae cum nostro Caesare rei paenitens,
misso legato, precibus fallacibus
ad se reduci petiit filiam suam,
ut eius alloquio et visu frueretur,
quoad versaretur in Hadriani urbe
coniuge cum dilecta et cum exercitu;
ad sponsum suum postea reversuram.
Igitur missam filiam parens perfidus
haud iam remisit, lacrimantem licet,
neque promissum reditum concessit:
verum eum ipsa abiit in Moesiam;
comites tantum retro iussit cedere.
Mox infinita Scytharum multitudo
Istro traiecto cum feminis ac liberis,
invito Asane, per Aemum atque Rhodopen
effusa est in agrum Macedoniae,
cum universa Thracia hunc depopulans:
Aenumque usque pervenerunt urbem
atque ad occiduas item partes Scythae;
quorum alii liberis vagabantur tribubus,
qua se flumen Hebrus in mare exonerat;
alii occupatis villulis utrimque
in huius ora stationem fixerant,
et per planitiem locaque maritima;

(1) Hoc nomen v. 7987. effertur singulari numero.

unde ruentes praedis indulgebant	ἐφ' ὧν ἀδήμως ἐσκύλευον τὰ πέριξ,
urbes capiendo, pagos exurendo,	αἱροῦντες ἄστη, πυρπολοῦντες χωρία,
scythica ubique facta solitudine,	καὶ πάντα δρῶντες σκυθικὴν ἐρημίαν·
Denique captivam turbam in graecis urbibus	τοὺς δ' αἰχμαλώτους εἰς πόλεις τὰς αὐσόνων
hastae suppositam pecunia commutabant.	πωλοῦντες ἦγον ἀργύρῳ καὶ χρυσίῳ·
Ast Italorum impudens gens foedifraga	τὸ δ' ἰταλῶν ἔκσπονδον ἀναιδὲς γένος
ingenti adversus nostros ira exaestuans	κατ' αὐσόνων μῆνιν τε καὶ χόλον τρέφον
ob inflictas a Caesare clades varias,	ἐφ' οἷς κακῶς πέπονθεν ἐκ βασιλέως,
cum Scythis et Asane foedus pepigit;	συνῆλθεν Ἀσὰν καὶ σκύθαις εἰς συμβάσεις·
et sic eum armis scythicis et bulgaricis	καὶ σὺν στρατιᾷ σκυθικῇ καὶ βουλγάρων
contra romanum Caesarem commovit bellum.	ἐπ' αὐτὸν ὁρμᾷ τὸν κρατάρχην αὐσόνων·
Ergo accesserunt ad Tzuruli arcem,	ὡς δ' ἧκον ἔνθ' ἔρυμα Τζουρούλου πέλει
atque hanc machinis undique cingentes	περιλαβόντες μηχαναῖς πάσαις τόδε,
summis oppugnabant connisi viribus,	μάχην ἐπ' αὐτὸ καρτερὰν συνεκρότουν,
iaculis ex adverso saxisque iactis,	τόξοις λίθοις βάλλοντες ἐξ ἐναντίας,
atque tormentis muros suffodientes	καὶ μηχαναῖς τύπτοντες αὐτοῦ τὰς βάρεις,
nihil excidio idoneum omittebant.	καὶ πάντα δρῶντες ὥστε πορθῆσαι τόδε·
Verum omnes machinae, arcus, tela	ἀλλ' ἦσαν αὐτοῖς μηχαναὶ τόξα βέλη
in irritum lusumque recidebant.	ἕωλα πάντα καὶ σαφὴς ληρῳδία·
Erat enim arcis praeses duxque belli	ὁ γὰρ ἔσω φρούραρχος ἡ στρατηγέτης
Nicephorus et nomine et factis victor	Νικηφόρος κλέει τε καὶ τρόποις πλέον
Tarchaniotarum genitus familia,	ταρχανειωτῶν ἐκ γένους κατηγμένος,
qui domestici magni gener erat	ὁ τοῦ μεγάλου δομεστίκου νυμφίος
Andronici gente palaeologi,	παλαιολόγων ἐκ φυλῆς Ἀνδρονίκου,
cuius seniorem filiam Mariam duxerat,	εἰς πρωτόπαιδα Μαρίαν θυγατέρα,
Idem et regiae mensae pincerna erat;	τῆς βασιλείου τραπέζης ὑπηρέτης,
mox et magnus domesticus fuit creatus:	μετὰ δὲ δομέστικος ὀφθείς τις μέγας,
vir sane fortis prudens et magnanimus,	ἀνδρεῖος ἀνὴρ συνετὸς καὶ γεννάδας,
admodum religiosus Dei famulus,	θεοῦ θεράπων νουνεχής θ' ὑπηρέτης,
fortuna et rebus bellicis praeclarus,	ταῖς εὐτυχίαις καὶ στρατηγίαις μέγας·
Hic ob relatas nobilis victorias.	ὃς ταῖς κατ' ἐχθρῶν ἀνᾳδούμενος νίκαις,
hostibus erat firmus adversarius,	στεῤῥός τις ἀντίμαχος ἦν ἀντιστάταις
quorum phalanges repellebat fortiter	ἀποτρέπων φάλαγγας αὐτῶν εὐψύχως,
divino auxilio fretus et arte bellica.	θεοῦ σθένει τε καὶ στρατηγίας τέχνῃ·
Ecce autem rebus ita se habentibus	οὕτως ἐχόντων ὡς ἔφην τῶν πραγμάτων,
Asani, ut dixi, ad bellum incumbenti	Ἀσὰν πολυπονοῦντι τὰ κατὰ μάχην,
nuncius venit plenus amaritie	ἀγγέλλεται μήνυμα μεστὸν πικρίας,
quod eius simul uxor ac filiolus,	ὡς σύζυγός τε καὶ σὺν αὐτῇ παιδίον,
atque archipraesul Ternobi, repente	καὶ Τρινόβου πρόεδρος αὐτίκα μάλα
vitam cum morte nuper commutaverant.	τεθνᾶσιν ἤδη τὸν βίον λελοιπότες·
Quibus ille auditis, omisso bello,	ὡς οὖν ταῦτ' ἠνώτιστο, λύσας τὴν μάχην,
statim in Moesiam maturavit reditum,	εὐθὺς ἐπανέζευξε πρὸς τὴν Μυσίαν,
igne consumptis bellicis tormentis.	πυρὶ παραδοὺς τειχέων καθαιρέσεις·
Tunc et Latina derelicta phalanx	μόνον δὲ φῦλον ἰταλῶν λελειμμένον,
Byzantium sibi redeundum censuit,	καὶ τοῦτ' ἐπανέζευξε πρὸς Βυζαντίδα,

ἄστυ λελοιπὸς ἀσινὲς βλάβης δίχα·
Ἀσὰν δὲ συνεὶς συμφορᾶς τὴν αἰτίαν
ὡς ἔκτισις πέφυκε τῆς ἐφορκίας,
πρεσβεύεται τάχιστα πρὸς βασιλέα,
ἀνανεῶν κῆδος τε καὶ συμβιβάσεις,
ἃ δέδρακε πρὶν ἠθέτησε δ' ὑστέρως·
ὁ δ' ἀσμένως ἤκουσε πρεσβείας λόγους,
καὶ σπένδεται δὴ συγγινώσκει τ' αὖ μάλα
μετανοοῦντι Βουλγάρων ἀρχηγέτῃ,
ἐφ' οἷς κακῶς ἔπραξεν ὅρκους συγχέας·
ὃς λοιπὸν ἐκπέπομφε καὶ θυγατέρα,
καὶ συμβιβάσεις ἐμπεδοῖ καὶ φιλίαν,
καὶ πάλιν αὐσόνων τε Βουλγάρων μέσον
ὑπῆρχεν εἰρήνης τε καὶ φιλίας κλέος.
ἐξαπορηθεὶς τοῖς ὅλοις Βαλδουῖνος
ὡς συνελαθεὶς εἰς πόλιν πανταχόθεν,
πρὸς τοῦ κρατοῦντος αὐσόνων Ἰωάννου
πρὸς ῥῆγα Φράγγων ἐν τριήρεσι πλέει,
καὶ συμμαχικὸν προσλαβὼν πλεῖστον μάλα,
καὶ διοδεύσας Γαλλίας Ἰταλίαν,
εἰς Παιόνων ἔφθασε λιπαρὰν χθόνα·
ἀφ' οὗ περάσας τὸν βαθυδίνην Ἴστρον,
προσέσχε μυσῶν τοῖς ἀποκρήμνοις τόποις,
οἳ καὶ παρέσχον δίοδον τοῖς λατίνοις,
τὰς πρὸς κρατοῦντα σπονδὰς ἠθετηκότες·
εἷλον δ' ἰταλοὶ καὶ Τζουρουλὸν τηνικαῦτα
σκύθας ἔχοντες συμμάχους παριστρίους
τοῦ Πετραλίφα πρὸς φυλακὴν φρουρίου,
ἐντεῦθεν ὄντος εὐγενοῦς στρατηγέτου·
ἄναξ δ' ἐπελθὼν Νικομηδείας τόποις
δι' ὑγροχέρσου στρατιᾶς ῥωμαλέας,
Δακιβύζης φρούριον εἷλε τῇ μάχῃ,
ἔρυμά τ' ἄλλ' ὃ κλῆσις Νικητιάτου,
καὶ λείαν ἀπήλασε πλῆθος λαφύρων·
πέπονθε δ' ἄλλως ἐν στόλῳ δυστυχίαν·
τοῦ γὰρ κοντοφρὲ Μανουὴλ κεκλημένου
ἀνδρὸς στρατηγοῦ, δεξιοῦ ναυαρχίαν,
ὄντος στολάρχου τοπρίν, εὐτύχει στόλος·
ὡς δ' Ἰαφρὲ ναύαρχος ἐκ βασιλέως
ἀντικαταστὰς ἰταλοῖς συνεπλάκη,
ἧτταν ὑπέσχε παρὰ τούτων ἐσχάτην,
τρισκαίδεκα ναῦς ἀποβαλὼν ἐν μάχῃ·
ταῦτα μὲν οὖν ἔσχηκε τόνδε τὸν τρόπον·
ὁ δ' Ἀσάνης ἔστεργε συμβάσεις τέως,
εἰ μὴ καθαρῶς ἀλλὰ τὸ πλέον μέρος·

et sic Tzurulus perstitit incolumis.
Tunc vero Asanes infortunium suum
iustam periurii poenam esse intelligens,
protinus misit ad Caesarem legatos
pacem instaurans et adfinitatem,
quam olim is compositam mox resciderat.
Caesar libenter legationem audiit,
foedusque renovavit, et veniam obtulit
resipiscenti Bulgarorum regi
de violato fidei iuratae iure;
qui mox et filiam remisit ad sponsum,
et confirmavit foedus amicitiae.
Atque ita rursus inter nos ac Bulgaros
benivolentiae ac pacis munus floruit.
At Balduinus rebus suis desperans,
propterea quod in urbe Constantinopoli
prorsus conclusus esset a nostro Caesare;
adnavigavit ad Francorum regem,
a quo permagnis instructus auxiliis
permeatisque Galliis atque Italia
ad Paeonum pervenit pingue solum;
ubi traiecto maximo Danubio
accessit ad montanas Moesorum sedes,
qui transitum Latinis concesserunt,
contra promissas Caesari conditiones.
Tunc Tzurulum quoque ceperunt Itali
auxiliantibus Scythis Istri accolis;
quamquam illius arcis custodia tradita
nobili duci Petraliphae fuerat.
Nicomediensem Caesar invadens agrum
forti ac potente stipatus exercitu
vi superavit Dacibyzae castellum,
aliamque arcem dictam Nicetiatae,
magnamque praedae copiam inde abegit.
Verum accepit mari detrimentum.
Quoad enim Manuel contophreus
dux sapiens et rei nauticae peritus
navarchus praefuit, classis bene habuit:
sed postquam id officium obtinuit Iaphreus
a Caesare, et cum Italis pugnam iniit,
summam ab his perpessus cladem est,
in proelio amissis tredecim navigiis.
Atque hic fuit praedictae eventus rei.
Asanes autem in foedere manebat,
etsi non prorsus, attamen ex parte.

Is defuncta sibi, ut supra diximus,
ungarica consorte, secundis nuptiis
duxit uxorem contra ius canonicum
Theodori filiam comnenangeli,
quem ipse olim oculis orbaverat,
nomine Irenem, aspectu formosissimam,
fratris adfinitatem haud reveritus.
Erant huic Theodoro quatuor liberi,
Iohannes, et Demetrius, atque Anna,
denique Irene uxor Asanis bulgari;
quae apud ipsum peperit tres liberos
Michaelem, Mariam, et Theodoram.
Carcere porro emissus ob istas nuptias
Theodorus ille, de quo saepe diximus,
Thessalonicam venit haud absque dolo:
nam cum galero pannosaque veste
clam intra moenia oppidi receptus,
coniuratorum conspiratis viribus
fratrem, ut dicam breviter, in vincla coniicit,
pristinum ipse dominatum recipit.
Mox unum e suis liberis Iohannem
insignibus ornari regiis voluit,
atque hunc regem appellari iussit;
ipse suscepit reipublicae curam.
Porro germanum exulem ad urbem Attali
expulit, eiusque coniugem remisit,
o fortunae inconstantiam! ad patrem Asanem.
Ceteroqui Manuel profectus Pergamo
ad caesarem Iohannem supplex venit,
eiusque nactus pium patrocinium,
atque ut par erat peramanter habitus,
pecunia instructus itemque sex triremibus,
quibus ad terram posset tuto exscendere,
ad Valachiae oras direxit cursum:
cumque appulisset naves Demetriadem,
contractis brevi copiis occupavit
Pharsala, Platamonem et Larissam.
Mox in colloquium venit cum duobus
fratribus, Theodoro caeco et Constantino:
quibus obtemperans, iusiurandum violat,
volens scilicet nolens, ut ait proverbium,
quod nuper nostro Caesari praestiterat;
et cum germanis societatem iniit.
Sed enim paulo post hic Manuel moriens

τούτῳ θανούσης ὡς ἔφην τῆς συζύγου
τῆς ἐξ Οὐγγρίας, πρὸς γάμους γε δευτέρους
ἠγάγετ' ἀθέσμως τι καὶ παρανόμως
τὴν Θεοδώρου παῖδα Κομνηναγγέλου
ὃν φωτὸς ἐστέρησε τοπρὶν ὀμμάτων,
κλῆσιν Εἰρήνην, ἀγαθὴν ὄψιν πάνυ,
μὴ κασιγνήτου κῆδος (1) ἐν νῷ λαμβάνων·
παίδων δ' ὑπῆρχε τετρακτὺς Θεοδώρῳ,
Ἰωάννης τε Δημήτριος σὺν Ἄννῃ,
Εἰρήνη τ' αὖ σύνευνος Ἀσὰν Βουλγάρου,
ἣ παῖδας οἱ τρεῖς ἀποτέξασα φθάνει
Μιχαὴλ, Μαρίαν τε καὶ Θεοδώραν·
εἱρκτῆς δὲ δεσμῶν ἐκλυθεὶς κήδους χάριν
ὁ μνημονευθεὶς Θεόδωρος πολλάκις,
Θεσσαλονίκην καταλαμβάνει πόλιν·
μετὰ φινάκης δ' εὐτελῶν τε ῥακίων
εἴσω παρελθὼν τῆσδε λαθὼν τειχέων
συνιστόρων σθένει τε καὶ συνεργίᾳ
δεσμοῖ τ' ἀδελφὸν, ἐν κεφαλαίῳ φάναι,
καὶ τὸ πρὶν ἀνείληφε τῆς χώρας κράτος·
εἶτ' Ἰωάννην υἱέων φίλων ἕνα
τοῖς βασιλειοῖς ὡραΐσας συμβόλοις,
πρὸς δ' αὖ καλεῖσθαι θεσπίσας βασιλέα,
αὐτὸς δ' εἶχε πραγμάτων τὰς φροντίδας·
τὸν σύγγονον δὲ πρὸς πόλιν τὴν Ἀττάλου
ἔπεμψεν ἐξόριστον, αὐτοῦ δ' εὐνέτιν
Ἀσὰν πατρὶ πέπομφεν, ἀστάτου τύχης·
ἀλλὰ Μανουὴλ ἀπάρας ἐξ Ἀττάλου
πρὸς τὸν χαριτώνυμον ἄνακτα τρέχει,
καὶ τοῦδε τυχὼν εὐμενοῦς γε προστάτου
φιλοφρονηθεὶς δ' ἱκανῶς ὥσπερ δέον,
χρήματα λαβὼν καὶ τριήρεις ἐξ πάλιν
δι' ὧν κατασχεῖν ἠδυνήθη τὸν τόπον,
πρὸς τὰ Βλαχίας ἐξαπεστάλη μέρη·
καὶ καταλαβὼν Δημητριάδος τόπον,
στράτευμ' ἱκανὸν ἐν βραχεῖ συναλίσας,
ἄρχει Φαρσάλων, Πλαταμῶνος, Λαρίσσης·
εἶτα συνῆλθε τοῖν δυοῖν ὁμαιμόνοιν
πηρῷ Θεοδώρῳ τε καὶ Κωνσταντίνῳ,
καὶ τοῖσδε πεισθεὶς ἀμελεῖ τῶν ὁρκίων
ἑκὼν ἄκων ὥς φασι καὶ συγκειμένων
τῶν πρὸς κρατάρχην αὐτόνων Ἰωάννην·
ἐσπείσατο σφίσι δὲ καὶ συνεκράθη·
μετ' οὐ πολὺ θνήσκων δὲ Μανουὴλ ὅδε

(1) Recole v. 8068.

ἐχρῆτο πολλῷ καὶ πικρῷ μεταμέλῳ
παραβασίας ὅρκιων φρικαλέων·
λείπει δὲ βίον καὶ βασιλὶς Εἰρήνη,
καὶ πρὸς μονὰς βέβηκε τὰς οὐρανίους,
γυνὴ φιλοικτος, ἀρχικὴ, σώφρων, ξένη,
χάρισι πολλῶν ἀγαθῶν κοσμουμένη·
μετὰ βραχὺ δὲ καὶ κρατάρχης Βουλγάρων
ἀνθρώπινον λέλοιπεν Ἀσάνης βίον,
ἤπιος ἀνὴρ καὶ φιλοικτίρμων φύσει,
ἄριστος ὀφθεὶς παρὰ μυσοῖς βαρβάροις,
εὐεργετικὸς αὐτοῖσι καὶ φυλέταις,
πᾶσιν ἐπαρκῶν τὰς σιτήσεις ἀφθόνως,
μερίδα καὶ μέλλοντι προσνέμων βίῳ·
τούτου τελευτήσαντος, ἀρχὴν Βουλγάρων
παῖς Καλλιμάνος παραλαβὼν κατέχει,
ὃν βασιλὶς ἔτικτεν αὐτῷ Μαρία
ἐκ παιόνων ἔχουσα σειρὰν τοῦ γένους·
ὑπῆρχεν αὐτῷ καὶ σύναιμος ἡ Θάμαρ,
ἐκ δ' ἀγγελώνης Εἰρήνης Ἀσὰν ἔφυ
Ἄννα, Μιχαὴλ, καὶ σὺν αὐτοῖς Μαρία·
Καλλιμάνος γοῦν κράτος ἀνεζωσμένος
τὰς πρὸς κρατάρχην ἐμπεδοῖ συμβιβάσεις,
καὶ πάλιν εἰρήνη τις ἦν ἐν τῷ μέσῳ·
πρὸς δὲ Θεόδωρος σὺν Ἰωάννῃ
Θεσσαλονίκης ἐκράτει καὶ τῶν πέριξ·
μεθ' οὓς ὑπῆρχε δεσπότης Κωνσταντῖνος
πηροῦ σύναιμος καὶ Μιχαὴλ ἔγγονος,
μυσῶν κρατάρχων Μανουὴλ τε τοῦ λάχους.
οὕτως ἐχόντων πραγμάτων, Ἰωάννης
στρατηγετῶν κράτιστος, ἀνάκτων κλέος,
βουλεύεται δὴ καθελεῖν Ἰωάννην
τῆς βασιλικῆς ἀξίας καὶ τοῦ θρόνου,
ὡς τόνδε κατέχοντα μάλ' ἀναξίως·
ὅθεν παρ' αὐτὸν εἰσκαλεῖται καθ' ἕω
τὸν Ἰωάννου Θεόδωρον πατέρα,
ἄναξ φρενήρης καὶ τιμᾷ φιλοφρόνως·
εἶτα δυνάμεις ῥωμαϊκὰς σκυθίδας
ἃς εἶχε κλῆρον ἰδιαίτατον δράσας
εὖ συναθροίσας, ἐκστρατεύει προφρόνως
κατ' Ἰωάννου διὰ Μακεδονίας·
Χριστοῦ πόλιν σὺν παραμείψας Στρυμμόνα,
προσέσχε φρουρίῳ γε τῷ τῆς Ῥεντίνης
πάμπαν ἐρήμῳ τῶν συνοικούντων ἔσω,
ἀποδρασάντων τῶν φυλάκων ἐκ φόβου·
ὃ καὶ λαβὼν, φύλακας ἔνδον εἰσάγει·

amaram prae se tulit paenitentiam
ob violatam fidei religionem.
Regina quoque Irene vita excessit
atque ad caelestes transiit stationes;
misericors, pudica, imperio digna,
mirabilis et affluens virtute mulier.
Paulo post etiam Bulgarorum dominus
deseruit mortalem Asanes vitam,
vir clemens et misericors natura,
optimus sine dubio inter Moesos barbaros,
beneficus in nostros et cives suos,
cunctis dilargiens vitae subsidia,
partem sibi reponens futuro saeculo.
Hoc vita functo, regnum Bulgarorum
ipsius filius excepit Callimanus,
quem ex regina susceperat Maria
genus de populo Paeonum trahente.
Erat huic etiam Thamar germana soror.
Irene vero peperit angelonyma
Asani Michaelem, Mariam, Annam.
Iamvero Callimanus imperio adito
cum nostro Caesare foedus renovavit;
eratque rursus pax ambobus populis.
Theodorus autem caecus cum Iohanne
Thessalonicam cum locis finitimis
regebat, et sub illis caeci frater
despota Constantinus, et demum Michael
Manuelis nepos partem Moesiae.
Hoc reipublicae statu, Caesar noster
optimus imperator et gloria regum
Iohannem illum thessalonicensem
imperatorio statuit detrahere gradu,
quem iste nullo possidebat iure.
Quare in orientem prudente consilio
Iohannis patrem Theodorum vocat,
atque benivolis excipit officiis.
Deinde copiis propriis atque scythicis,
quarum selectam manum sibi adsciverat,
egregie comparatis, in Macedoniam
contra Iohannem pergebat alacriter:
praetervectusque Strymmona et Christopolin
ad Rhentinae castellum castra transtulit,
quod sane offendit incolis desertum,
eius dilapsis prae metu custodibus;
ipse occupatum muniit praesidio.

Illinc deinde cum potente exercitu	ἔπειτ' ἐκεῖθεν σὺν στρατῷ ϗ δυνάμει
Thessalonicam propere contendit,	ἐφίσταται τάχιστα Θεσσαλονίκῃ·
et prope moenia fixit tabernacula	ὃς τειχέων ἄγχιστα πηγνύει φέρων
Caesar cum omni bellico apparatu:	σκηνὰς βασιλείους τε ϗ παντευχίας·
cuius dispersi copiarum manipuli	παρὰ δ' ἑαυτῷ τῶν στρατευμάτων στῖφος
omne vastabant late territorium	ἃ πάντ' ἰδεῖν ἐκδρομαῖς κεχρημένα,
praedam agentes proximis e villis:	ληϊλατοῦντα τὰ πρόσοικα χωρία·
praecipue vero Scythae molesti erant,	σκύθαι δὲ μᾶλλον ἠφάνιζον πλειόνως
dum perpetuis per agrum incursionibus	συχνῶς ἐπιόντες γε πάντα τὰ πέριξ·
scythicam facerent ubique solitudinem.	ϗ ταῦτα δρῶντες σκυθικὴν ἐρημίαν·
Interim classis litora infestabat	ὁ δ' αὖ στόλος πάραλα κατεπυρπόλει
cuius navarchus fortis Contophreus erat.	οὗ περ στολάρχης Κοντοφρέ τις γεννάδας·
Caesaris castra sequebantur duces	εἵποντο τῷδε βασιλεῖ στρατηγέται
viri praecipui strenui mavortii,	ἄνδρες λογάδες ἀρεϊκοὶ γεννάδαι,
Andronicus inclytus palaeologus	ἄριστος Ἀνδρόνικος ἐν στρατηγίαις
expertus dux et magnus domesticus:	Παλαιολόγος ἐν δομεστίκοις μέγας,
Raulus item protovestiarius,	πρωτοβεστιάριος Ῥαοὺλ τοὐπίκλην,
egregiusque Tornices Demetrius:	Τορνίκης Δημήτριος ἀγαθὸς φύσιν,
et qui consilium publicum regebat	πράγματα κοινὰ φροντίδας τ' αὖ ἀνέχων
Tarchaniotarum de gente Nicephorus:	Ταρχανειωτῶν ἐκ γένους Νικηφόρος,
protosebastus item Contostephanus,	πρωτοσεβαστὸς Κοντοστέφανος πάλιν,
et Petraliphas magnus chartularius,	ϗ Πετραλίφας χαρτουλλάριος μέγας
cum aliis multis claris senatoribus.	μετά γε πολλῶν εὐκλεῶν βουληφόρων·
Dum ibi incumbit ad bellum exercitus,	ἀμφιπονουμένων δὲ τῶνδε ταγμάτων,
ecce defertur nuncius ad Caesarem	ἀφῖκτό τι μήνυμα πρὸς βασιλέα,
quod Tachariorum gens commisso proelio	ὡς Ταχαρίων ἔθνος ὠνομασμένον
vires Turcarum penitus fregisset.	Τούρκοις συνελθὸν, ἐνίκησε σφᾶς ἐν μάχῃ·
Morari Caesar nequiens, omissa	ταῦτ' ἐμβραδύνειν μὴ δυνάμενος κράτωρ,
obsidione conditiones obtulit,	ἀφεὶς τὸ πορθεῖν, ἀφορμᾷ πρὸς συμβάσεις,
et mediatorem rei legatum misit	πρέσβυν μεσιτεύοντα ταύταις λαμβάνων
ipsum Iohannis patrem Theodorum.	τὸν Ἰωάννη Θεόδωρον πατέρα·
Mandabat autem Caesar ut Iohannes	τὰ δ' ὁρκίων ἦν ὡς ἅπαντ' Ἰωάννην
imperii cuncta deponeret insignia	τὰ σύμβολα ῥίψαντα τῆς κρατραρχίας,
calceos rubros, pyramidis lapillum;	πέδιλ' ἐρυθρὰ ϗ πυραμίδος λίθον,
nomenque et dignitatem haberet despotae,	κλῆσιν κεκτῆσθαι ϗ τιμὴν τὴν δεσπότου,
benivolumque animum servaret Caesari.	ϗ φίλον εὔνουν βασιλεῖ καθιστάναι·
His actis, imperator inde abscessit	οὕτω δεδρακὼς βασιλεὺς ὑποστρέφει,
post confirmatum sacramento foedus,	κατεμπεδώσας ὁρκίοις τὰς συμβάσεις·
Theodorumque Angelum filio tradidit.	Θεόδωρον δ' ἄγγελον λιπὼν φιλτάτῳ·
Reverso autem Caesari in orientem	ὡς οὖν ἐπανέζευξε πρὸς τὰ τῆς ἕω,
Iathatines sultanus Iconii	Ἰαθατίνης σουλτὰν ἰκονίων
misit legatos atque enixis precibus	ἔπεμψε πρέσβεις λιπαρῶν βασιλέα
ab eo suppetias petiit et societatem,	τυχεῖν βοηθείας τε ϗ συμμαχίας
male mulcatus scilicet a Tachariis	κακῶς πεπονθὼς, ὡς ἔφην, Ταχαρίοις,
deque rerum summa iam periclitans.	ϗ κινδυνεύων ἀπολέσθαι παντάπαν·

συνεὶς βασιλεὺς ὡς ἑαυτῷ συμφέρει
εἰ δυστυχοῦντι συμμαχήσει σουλτάνῳ,
πρεσβείαν εἰσδέδεκτο ϗ μάλ' ἀσμένως·
ἔθεν κρατάρχης ϗ σουλτὰν συνηλθέτην
ἐν τῇ Τριπόλει τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ πόλει·
σπεισάμενοι δὲ ϗ δράσαντες συμβάσεις
ὡς ἂν συνασπίζοιεν ἀλλήλοις μάχῃ
πρὸς πατρίδας ἔρχοντο ϗ κραταρχίας·
μετὰ δὲ μικρὸν ἀπολείπει τὸν βίον
ἐν Θεσσαλίᾳ δεσπότης Ἰωάννης,
ἀνὴρ ἀγαθὸς εὐλαβὴς νόμων φύλαξ,
σώφρων ἱλαρὸς εὐμενὴς ὑπηκόοις,
ἀεὶ σχολάζων ἱεραῖς ὑμνῳδίαις,
ϗ ναζιραίων προκρίτοις ἐντυγχάνων·
τούτου θανόντος, λαμβάνει κληρουχίαν
ϗ δεσποτικὴν ἐξ ἄνακτος ἀξίαν
Δημήτριος σύναιμος, οὐ καλὸς τρόπους,
ἔρωτος ἥττων, δοῦλος ἀφροδισίων,
τὰ πολλὰ συνὼν ἀνδράσιν ἀβελτέροις,
ϗ μειρακίοις συνομιλῶν δυστρόποις·
ἄγων δὲ μάχης ἀνακωχὴν ὁ κράτωρ,
περάσας Ἑλλήσποντον ἅμα βραχέσιν
ἐπιστρατεύει τοῖς κατὰ δύσιν τόποις·
Κισσὸν παραμείψας δὲ φρούριον Θρᾴκης
Εὖρόν τε τὸν ῥοῦν ἐκπεράσας ἱππότης,
εὐθὺ Ζιχνῶν ἤλαυνε τοῦ πολιχνίου·
μήνυμα δ' ἦκεν ὡς ὁ Βουλγάρων ἄναξ
Καλλιμάνος λέλοιπεν ἡλίου φάος·
βαίνων δ' ὅμως πέφθακε Σέῤῥας τὴν πόλιν
ἣν ϗ παρεστήσατο ταῖς εὐβουλίαις·
μυσοῦ Δραγωτᾶ παραδόντος τὴν πόλιν
τοῦ τῆσδε φρουράρχου τε ϗ πρωτοστάτου·
φιλοφρονηθεὶς δ' ἐκ βασιλέως ὅδε,
πρὸς Μελενίκου τὴν πόλιν ἀποστέλλει·
εἶτα, τί πολλὰ μηκύνοντα δεῖ γράφειν,
σὺν Νικολάῳ μαγκλαβίτῃ τοὐπίκλην
ἀνδρὶ φρονίμῳ ϗ πάνυ δραστηρίῳ
παραδιδοῦσι τῷ κρατάρχῃ τὴν πόλιν,
τοπρὶν προβάντων χρυσοσημάντων λόγων
ἐρυθρογράφων ἐξ ἄνακτος ὡς ἔθος,
πόλει τυπούντων δωρεὰς χορηγίας·
τούτων τελεσθέντων δὲ τόνδε τὸν τρόπον,
οἱ κρείττονές τε ϗ περίβλεπτοι γένει
οἰκητόρων ἥκουσι πρὸς βασιλέα
ϗ μᾶλλον οἷς Ἄρης τε ϗ μάχη φίλα,

Utile sibi Caesar esse intelligens
si laboranti sultano subveniret,
libente animo excepit legationem,
et cum sultano venit in colloquium
tripolitana in urbe ad Maeandrum,
ubi conscriptis firmiter conditionibus
de sufficiendis invicem auxiliis
in suum quisque rediit imperium.
Brevi post illud tempus in Thessalia
excessit vita despota Iohannes,
vir bonus, pius, legum servantissimus,
modestus, comis, clemens erga subditos,
et semper sacrae deditus hymnodiae,
cumque potioribus monachis conversans.
Huius defuncti stationem excipit
despotaeque a Caesare dignitatem
frater Demetrius moribus incomptis,
amori obnoxius, Veneris mancipium,
viris plerumque pessimis se socians,
et corruptorum iuvenum familiaris.
Tunc otiosus a bellis imperator
paucis stipatus Hellespontum traiicit,
occiduasque terras armis adpetit.
Cissum castellum Thraciae praeteriit,
Hebrumque flumen vectus equo tranans
Zichnorum ilico adfuit urbeculae.
Ibi intellexit, Bulgarorum regem
Callimanum vitali privatum luce.
Attamen pergens Serras usque venit,
quam et sagace obtinuit consilio,
moeso Dragota oppidum tradente,
cuius praesidio et curae mandatum fuerat.
Hic delinitus a Caesare officiis,
legatus est ad urbem Melenicum:
is autem (ne rem longo sermone differam)
cum Nicolao conspirans manclavita
sagacis mentis viro et efficaci
imperatori nostro urbem tradidit:
praemisso tamen aureo libello,
quem Caesar rite minio subscripserat,
urbi spondente largitiones plurimas.
Rebus hoc modo denique compositis,
ecce optimates et genere conspicui
incolae urbis ad Caesarem venerunt,
praecipueque viri sueti bellis,

adseclae Martis, strenui, pugnaces,
quorum quingenti aut ferme paulo plures
debitum obtulerunt obsequium Caesari.
Ipse deinde sine proelio obtinuit
urbeculas Stenimachum et Tzepaenam,
terrasque cunctas ad Rhodopen positas,
Belesbum, Dium, cum omni territorio.
Belessum insuper occupavit cum Scopiis,
Prilapum quoque cum locis finitimis,
et Pelagoniae fines cum sua planitie,
Prosacum castrum cum oppido Eutza.
Haec, inquam, omnia subdidit imperio
absque cruore Iohannes imperator.
Bulgaris autem promisit postulantibus,
his se contentum terminis futurum.
Thessalonicam postea perrexit,
atque hac favente potitus est Numine,
cuius rei ordinem breviter expediam.
Urbem tenente, ut dixi, Demetrio
scelesto iuvene et pessime moratu
perpetuae dedito crapulae et lasciviae
et negligente publicae rei curam,
fit contra ipsum conspirata factio
civium in patria minime obscurorum
Iatropuli, Sparteni, Cunsulati,
cum quibus erat Campanus, alter Sisyphus;
nobiles autem duo, Lascaris et Tziritho.
Hi fraudulenter miserunt ad Caesarem
tunc Melenici in agro demorantem,
Campanum illum, ut dixi, coniuratum;
praetextu quidem publici negotii,
revera ut bullam auream impetraret
minio subscriptam ad salutem patriae.
Annuit cunctis libenter imperator;
illi dedendae urbi navarunt operam.
Namque Campanus in urbem profectus
rem omnem gestam sociis patefecit.
Mox imperator significat Demetrio,
ut ad se veniat obsequium praebiturus,
quod se facturum sacramento obstrinxerat,
cum dignitatem despotae impetraverat.
Morem iubenti iuvenis non gessit.
Thessalonicam igitur accedens Caesar,
idem mandatum Demetrio significat,
qui id rursus surdis praeteriit auribus.

ἄνδρες σθεναροὶ γεννάδαι ῥωμαλέοι,
πλεῖς ἀριθμῷ πεντακοσίων τάχα,
ϗ βασιλεῖ τίνουσι πρόσφορον σέβας·
εἶτα κατῆρξεν ἀμαχεὶ στεφηφόρος
Στενομάχου τε Τζεπαίνης πολιχνίων,
χώρας τε πάσης πρὸς Ῥοδόπῃ κειμένης,
ϗ Βελέσβου Δίου γε σύμπαντος τόπου,
ϗ Βελεσσὸν εἷλε δὲ σὺν τοῖς Σκοπίοις·
κατέσχε ϗ Πρίλαπον ἅμα τοῖς πέριξ,
Πελαγονίας τοὺς ὅρους ϗ τὰ πλάτη,
ϗ φρούριον Πρόσακον ἅμ' Εὔτζᾳ πόλει·
ταῦτα καθυπέταξε τῇ κραταρχίᾳ
ἄναξ χαριτώνυμος ἄνευθεν μάχης·
ἐφ' οἷς παρέσχεν αἰτήσασι Βουλγάροις
ἐχέγγυον μόνοις γε τούτοις ἐμμένειν·
ἔπειτ' ἐπῆλθε Θεσσαλονίκης ὅροις,
ϗ τῆσδε κρατεῖ τῇ θεοῦ συμμαχίᾳ·
ὅπως δ' ἑάλω, συνελὼν δή που φράσω·
ταύτης κρατοῦντος, ὡς ἔφην, Δημητρίου
ἀτασθάλου τε δυσαναγώγου νέου,
ϗ παιδιαῖς χαίροντος αἰεὶ ϗ μέθαις,
καταμελοῦντος ἀστικῶν δὲ πραγμάτων,
καττύεταί οἱ σκέμμα ϗ σκευωρία
παρὰ πολιτῶν γνωρίμων τῇ πατρίδι,
Ἰατροπούλου, Σπαρτηνοῦ, Κουσουλάτου,
σὺν οἷς Καμπανὸς, Σίσυφος ἄλλος τρόποις·
ἐκ δ' εὐγενῶν Λάσκαρις καί τις Τζιρίθων·
οἳ ϗ δόλῳ πέμψαντες ὡς βασιλέα
σκηνούμενόν που καθ' ὅρους Μελενίκου
τοῦτον Καμπανὸν τῶν συνιστόρων ἕνα,
τῇ μὲν προφάσει πραγματείας χάριν,
τῷ δ' ὄντι λαβεῖν χρυσοσημάντου λόγου
ἐρυθρογράφου ἀσφάλειαν πατρίδι
ἅπαντα κρατῶν ἐκπεραίνει προφρόνως,
ἁλώσεως ἤνυσαν ἅπαντα λόχον·
ἐπαναδραμὼν Καμπανὸς γοῦν εἰς πόλιν,
ἕκαστα σαφεῖ λάθρα τοῖς συνωμόταις·
εἶτα βασιλεὺς μηνύει Δημητρίῳ,
ὡς αὐτὸν ἐλθεῖν προσκύνησιν ἐκτίσων,
καθάπερ ἐστοίχησε τοπρὶν ὅρκοις,
τὴν δεσποτικῆς ἀξίας δεδεγμένος·
ὁ δ' ἀπειθὴς ἦν, μηδαμῶς ἐπαΐων·
τοίνυν ἐπιστὰς Θεσσαλονίκῃ κράτωρ
πάλιν ἐδήλου ταῦτα τῷ Δημητρίῳ·
ἀλλ' ἦν ἀπειθὴς ἀμελῶν συμβουλίας·

τῶν πραγμάτων οὖν τῇδε διακειμένων
βοή τις ἔνδον ἀθρόως ἐξεῤῥάγη
ὡς πυλὶς ἀνέῳκτο τισὶν ἀνδράσιν
ἡ καθ᾽ ἅλα νεύουσα, καὶ συνεῤῥύη
ὁπλιτική τις ἔνδον τειχέων φάλαγξ·
ἐν τῷ δέ τις θροῦς παμμιγὴς ἤρθη μέγας,
καὶ τῶν πυλῶν ἔντοσθεν ἀνεῳγμένων,
στρατιὰ συνήλασεν ἔνδον καὶ κράτωρ·
φεύγει δὲ Δημήτριος εἰς ἄκραν πόλιν·
ἐχέγγυον δὲ προσλαβὼν σωτηρίας
αὐτόν τε φρουρὰν τῷ κρατάρχῃ προσνέμει·
οὕτως ἑάλω Θεσσαλονίκη πόλις·
οὗ διαγαγὼν βασιλεὺς βραχὺν χρόνον,
καὶ διαθεὶς ἅπαντα καθάπερ δέον,
χαίρων ἐπανέζευξεν εἰς ἕω τόπους,
ὑμνούμενος ξύμπασιν ὡς νικηφόρος·
ἀφεὶς στρατηγὸν τῶν δυτικῶν ταγμάτων
πάντων ἐπιστάτην τε χωρῶν ἀστίων
Παλαιολόγον ἐν δομεστίκοις μέγαν,
ἄνδρα στρατηγίας τε καὶ μάχης ἴδριν,
καὶ παντοδαπαῖς καλλοναῖς ἐνθισμένον·
τὸν δ᾽ αὖ κομνηνὸν Μιχαὴλ τούτου γόνον,
τὸν ὑστέροις ἄρξαντα ῥωμαίων χρόνοις,
ἐπιστατεῖν Σεῤῥῶν τε καὶ Μελενίκου,
καὶ τῶν μεταξὺ καὶ πέριξ τούτων τόπων·
καὶ πάλιν ἄλλους ἀλλαχοῦ γῆς καὶ τόπου
ἄρχειν ἔφηνε καὶ διευθύνειν πόλεις·
Δημήτριον δὲ Λεντιανῶν ἐν πόλει
ἔμφρουρον εἶχεν ἐν μακρῷ καθειργμένον·
τοῦ δ᾽ ἀρχιθύτου Γερμανοῦ Βυζαντίδος
βίον λιπόντος καὶ σὺν αὐτῷ τὸν θρόνον,
ἀναδραμόντος δ᾽ εἰς μονὰς αἰωνίους,
Μεθόδιός τις ἐκ μονῆς ὑακίνθου
ἐπὶ βράχιστον παραλαμβάνει θρόνον·
τούτου θανόντος, εἰς μακρὸν χρόνου θρόνος
ἔρημος ἦν ποιμένος καὶ προστάτου·
μετὰ δὲ μικρὸν καὶ δομέστικος μέγας
Παλαιολόγος ἐξαμείβει τὸν βίον,
τὰ τῶν μοναχῶν ἐνδυθεὶς πρὶν ὡς θέμις·
καὶ φιλῆς Θεόδωρος ἐξαπεστάλη
ἄρχειν στρατηγῶν ἀντ᾽ ἐκείνου ταγμάτων·
Θεσσαλονίκη καὶ Βέῤῥοια μὲν πόλεις
τὸν αὐσονάρχην δεσπότην εἶχον τότε·
πηρὸς δὲ Θεόδωρος ἐκφὺς Ἀγγέλων
κατῆρχεν αὖθις Βοδινῶν, Σταριδόλων,

Quae cum ita se haberent, en repente
fama clamorque diditur per urbem
portam a viris patefactam aliquot
mare spectantem, et moenibus receptam
phalangem armatorum iam irrumpere.
Ibi tumultus maximus est ortus,
et reseratis foribus introrsus,
ingreditur exercitus Caesarque simul:
Demetrius autem fugit in aeropolin;
qui mox salutis fide sibi data,
semet cum arce imperatori tradidit.
Sic urbs Thessalonica capta fuit:
ubi imperator substitit parumper,
ordinatisque rebus ex sententia,
laetus ad eoas provincias rediit
a cunctis celebratus ceu triumphator.
Reliquit autem exercitus occidui
generalemque urbium rectorem
magnum domesticum Palaeologum
ducendi pugnandique scientissimum,
atque ornamentis abundantem omnibus.
Huius vero filium Michaëlem comnenum,
qui dein romanum tenuit imperium,
Serris praefecit atque Melenico,
et circumiectis omnibus regionibus.
Alios praeterea statuit praefectos
regendis variis urbibus ac provinciis.
Demetrium autem in urbe Lentianis
diu retinuit custoditum carcere.
Iam patriarcha Byzantii Germano
vitam sedemque simul relinquente,
ut in aeternas stationes pergeret;
Methodius quidam de Hyacinthi coenobio
insedit solium tempore brevissimo:
quo moriente, sedes byzantina
perdiu caruit praeside pastore.
Paulo post etiam magnus domesticus
mortali excessit vita Palaeologus
monachi in speciem rite convestitus:
missus est autem Theodorus philes
qui copiarum regimen exciperet.
Tunc urbs Thessalonica et Berrhoea
imperatorem ipsum habebant dominum.
Theodorus autem caecus angelonymus
Bodenis imperabat et Staridolis,

cum Ostrobi provincia et confinibus.
A Platamone autem atque inferius
in partibus ad hesperum conversis,
nec non Blachiam, Achaiam et viciniam,
antiquamque Epirum cum Aetolia,
Illyriumque et oppidum Dyrrachium,
Prilapum etiam, Pelagoniam cunctam,
nobilem Achrin, splendidamque Prespam,
cum dignitate despotae regebat Michaël,
quem clandestinis nuptiis genuerat Michaël
Theodori frater comnenangelus,
cuius iam nostra meminit historia.
Hic erat rerum in occidente status.
Caesar relicta regia Nymphaei,
vere adpetente, Hellespontum transiit,
valloque statim circumclusit arcem
Tzuruli, et mox adhibito Martis opere,
admotis machinis obsidionalibus,
facile arcem sibi vindicavit:
ubi sororem reginae uxoris suae
Eudociam deprehensam, quae nupserat
Aseldecao italo dynastae,
celeri equo impositam Byzantium misit,
erepto omni ornatu et supellectile
ipsi, comitibusque et satellitibus.
Nam sponsus eius fuga se subduxerat
percitus metu, consternatus animo
priusquam arcem Caesar obsideret.
Neque diu post cepit quoque Byziam
missis infestis copiis imperator.
Per idem tempus astu fuit capta
ab italis Ianuensibus Rhodus insula.
Nam cum abesset exteris in terris
Rhodi praefectus Gabalas Iohannes
(Caesaris frater qui Rhodi princeps fuerat)
imperatoris domini castra sequens,
hostes praedicti clam ceperunt insulam.
Rem ubi in Thracia novit imperator,
cantacuzenum cum copiis Iohannem
ad Rhodiensium oppidum direxit.
Ille quum classem Rhodum appulisset,
oppidum cepit proelio Philеremum;
ex quo progressus fortiter in hostes
ipsorum facile contudit audaciam:
iamque capturus erat et metropolin,

σὺν Ὀστροβοῦ κλίματι ϗ τῷ ἐν κύκλῳ·
τῶν ἐκ Πλαταμῶνος δὲ ϗ κατωτέρω
μερῶν κλινόντων ὡς πρὸς ἑσπέραν τόπους,
σὺν Ἀχαΐᾳ Βλαχίας ϗ τῶν πέριξ
παλαιᾶς Ἠπείρου τε σὺν Αἰτωλίᾳ,
ἅμ' Ἰλλυρικῷ ϗ Δυῤῥαχίῳ πόλει,
ἔτι Πριλάπου Πελαγονίας ὅλης,
κλεινῆς Ἀχρίδος, σελασφόρου ϗ Πρέσπης,
ὁ Μιχαὴλ ἦν δεσπότης ὁ δεσπότης
ὃς ἐκ νοθείας Μιχαὴλ πρὶν ἐξέφυ
κομνηναγγέλου συγγόνου Θεοδώρου,
ὡς ἀνόπιν εἴρηκε φθάσας μοι λόγος·
οὕτω μὲν εἶχε τὰ πρὸς ἑσπέραν μέρη·
ἄναξ δὲ λιπὼν βασίλειαν Νυμφαίου
ἦρος φανέντος Ἑλλήσποντον διέβη,
ϗ βάλλεται χάρακα κατ' ἄστυ φθάσας
τὸ τῆς Τζουρουλοῦ, ϗ νόμῳ τῷ τῆς μάχης
καθαιρετικῶν μηχανημάτων τέχνῃ
ῥᾷστα παρεστήσατο φρούριον τόδε·
οὗ κασιγνήτην Εἰρήνης βασιλίδος
Εὐδοκίαν ἔντοσθεν εὑρὼν εὐνέτιν
παρ' ἰταλοῖς ἄρχοντος Ἀσελδεκάει
κέλλητι παρέπεμψεν εἰς Βυζαντίδα,
πάντων γυμνώσας τῶν ἐνόντων πραγμάτων
αὐτήν τε προσπόλους τε ϗ δορυφόρους·
ἐκεῖσε δ' ὢν σύνευνος αὐτῆς ἀπέδρα
πρὶν ἢ κρατάρχην προσβαλεῖν τῷ φρουρίῳ,
τρόμῳ τε ληφθεὶς ϗ ψυχῆς ἀγωνίᾳ·
ἤδη παρεστήσατο ϗ τὴν Βιζύην
πέμψας κατ' αὐτῆς στρατιὰν αὐτοκράτωρ.
τούτοις ἑάλω τοῖς χρόνοις νῆσος Ῥόδος
τοῖς Γενουΐταις ἰταλοῖς μετὰ δόλου·
ἐπεὶ γὰρ ἀπόδημος ἦν ἐπιστάτης
Ῥόδου Γαβαλᾶς Ἰωάννης τηνικαῦτα
ὅμαιμος ὢν καίσαρος ἄρξαντος Ῥόδου
συνεκστρατεύων αὐσονάρχῃ δεσπότῃ,
νῆσον κατέσχον οἱ λελεγμένοι λάθρα·
ὁ γνοὺς βασιλεὺς ἐν Θρᾴκῃ διατρίβων,
Καντακουζηνῶν ἐκ γένους Ἰωάννην
σὺν στρατιᾷ πέπομφε Ῥοδίων πόλει·
ὃς ἐκπεπλευκὼς ϗ κατάρας ἐν Ῥόδῳ,
κατέσχε Φιλέρημον ἄστυ τῇ μάχῃ·
ἀφ' οὗπερ ἐχθροῖς ἀντεπιὼν εὐψύχως
ῥᾷστα κατέσπα τὴν ὀφρὺν σφῶν ϗ θράσος·
ϗ τάχ' ἂν εἷλε ϗ πόλιν κατὰ κράτος,

εἰ μὴ πρίγκιψ ὑπῆρχε τῆς Ἀχαΐας
ὁπλίτας αὐτοῖς συμμάχους δοὺς ἱππότας·
ὡς οὖν ἐπανέζευξεν ἐκ μάχης ἄναξ,
ναῦς ἱππαγωγοὺς εὐτρεπίσας ϗ στόλον,
ἵππους ἐν αἷς ἔβαλε τριακοσίους,
εἶτ' ἀποτάξας ϗ στολάρχην τοῦ στόλου
τινὰ Κοντοστέφανον ἄνδρα γεννάδαν
πρωτοσεβαστοῦ τὴν τιμὴν εἰληχότα,
εἰς νῆσον ἀπέστειλε τὴν τῶν ῥοδίων·
ϗ κατὰ μάχην συμπλακεὶς Γενουΐταις,
κατὰ κράτος σφᾶς ἐνικᾷ ϗ συντρίβει,
ϗ νῆσον ἀνέσωσεν αὔτοσι πάλιν·
ὁ δ' αὐτοκράτωρ πρὸς Μιχαὴλ δεσπότην
κῆδος τε ποιεῖ συμβάσεις τ' ὁμομότους·
παῖς δεσπότου γὰρ Μιχαὴλ Νικηφόρος
εἰς γαμετὴν εἴληφε τὴν Θεοδώρου
ἄνακτος υἱοῦ Μαρίαν θυγατέρα·
τῆς τοῦ Μιχαὴλ συζύγου Θεοδώρας
δι' Ἑλλησπόντου φθασάσης χώρας ἕω,
μετά γε παιδὸς φιλτάτου Νικηφόρου
ϗ τὴν ἐπ' αὐτῷ συγγένειαν δρασάσης,
εἶτα σὺν αὐτῷ πρὸς δύσιν χωρησάσης·
ἀλλὰ Μιχαὴλ αἰθίοψ ὢν καρκίνος
οὐκ εὖ βαδίζειν οὐδὲ ῥύπτεσθαι ἔθελε·
συμφωνίας γὰρ ἀθετικῶς συμβάσεις,
ἀναπέφανται δυσμενὴς ἀποστάτης
σύμβουλον εὑρὼν πατράδελφον εἰς τόδε
Θεόδωρον Ἄγγελον εὐρίπου τρόπους·
ὡς οὖν τάδ' ἠνώτιστο τῷ στεφηφόρῳ,
τὰς ῥωμαΐκὰς δυνάμεις συναλίσας
ϗ τοὺς ὑπ' αὐτὸν εὐσθενεῖς στρατηγέτας,
Ταρχανειωτῶν ἐκ γένους Νικηφόρον
κλῆσιν ἀληθεύουσαν εὖ κεκτημένον,
τὴν ἀξίαν τε τὴν ἐπὶ τῆς τραπέζης,
πληροῦντα δ' ἔργα μεγάλου δομεστίκου·
στρατηγόπουλον Ἀλέξιον γεννάδαν,
ϗ φίλον υἱὸν μεγάλου δομεστίκου
παλαιολόγον Μιχαὴλ κλέος νέων,
ϗ τὸν Μακρηνὸν ϗ Τύρανον βωδιλόν·
παραλαβὼν τούτους τε ϗ τὰς δυνάμεις,
Θεσσαλονίκην καταλαμβάνει πόλιν
κἀκεῖθεν ἄρας ἐν Βοδηνῶν φρουρίῳ
ἀνακτορικὰς σκηνὰς ἐγκαθιδρύει,
ϗ τοῦτο πορθεῖ μηχαναῖς ϗ σὺν χρόνῳ·
ἔφθη δ' ἀποδρὰς Θεόδωρος φρουρίου,

nisi obstitisset ipsi Achaiae princeps,
qui armatos equites hostibus concessit.
Sed suo bello redux imperator
equestribus navigiis cum classe instructis
ibi trecentos equos imposuit.
Tum et navarchum classi praepositum
Contostephanum quemdam virum strenuum
protosebasti dignitate praeditum,
in rhodiensem ire iussit insulam:
qui Ianuenses in proelium vocatos
piscopis, quidnam eis in tanta iniuriarum nequitia contemptuque canonum agendum suaderet; respondit urans simul atque adhortans, communicarent cum adversariis suis, ne schismatis rei fierent. Reatum porro, haud in eos contulit qui se inique et praeter canones condemnaverant, verum his veluti adscripsit, qui sibi favebant sanctis episcopis, nisi cum ceteris communicarent concordiamque servarent. Videlicet, quia adversarii pariter orthodoxiam retinebant. Idem sanctae quoque Olympiadi in adlocutione, quam templo egressurus atque in exilium profecturus habuit, haec ait: *fieri non potest, ut ecclesia Dei sic viduata permaneat. Siquis ergo ordinatus fuerit, ei tamquam patri subeste, neque secus ac mihi caput docile inclinate*. Haec legentibus Chrysostomi vitam explorata sunt. Sed de re hactenus.

6. Imperator Anastasius, prout in Sabae magni vita descriptum est, Euthymin sede deiecto, qui Acephalorum haeresim cuius ipse studiosus erat, non recipiebat, Macedonium huic substituit, quem consectaneum suum iudicabat. Sed quia orthodoxus vir apparuit, ipse quidem confestim sede atque urbe pellitur; ordinatur autem Timotheus; qui pariter brevi expellitur ab impio Caesare, quia orthodoxus deprehensus est. Atque hi fortunam eiusmodi experti sunt. Interim vero sanctae urbis patriarcha sanctus Helias, his auditis, angebatur quidem animo propter iniustam praedictorum patriarcharum depositionem; nihilo tamen minus communicabat cum nuper electo post praecessoris expulsionem, quoniam uterque orthodoxus erat. Quin adeo ab huiusce haereseos viribus divus quoque hic Helias propria sede detractus in vincula coniectus est: ipsi autem substitutus Iohannes qui haeresi consentiebat, et ab imperatoris sententia non discedebat. Verumta-

men hic Iohannes divi Sabae familiaris amicusque erat; cuius obtemperans admonitionibus ab haeretica sententia sectaque statim recessit, fidemque Heliae sanctorumque patrum Sabae ac Theodosii toto animo amplexus est.

7. Etenim quum aliquando imperiali mandato cunctus de more populus, monachorumque innumera multitudo in sancti protomartyris templo coiisset; tamquam si patriarcha Iohannes anathema iis dicturus esset qui synodum quartam admitterent, Severum acephalum repudiarent; id enim se facturum promiserat ministris regiis Iohannes; ambonem patriarcha conscendit, cum eoque Sabas ac Theodosius monachorum summates fideique orthodoxae propugnatores, qui ex utroque latere patriarchae adstiterunt. Aderat in templo nepos quoque imperatoris Hypatius captivitate nuper redux. Tam vero fefellit prorsus Iohannes promissam Anastasio fidem, consiliis Theodosii obtemperans atque Sabae. Etenim sublata voce anathema egregie dixit iis qui oecumenicam quartam synodum cum prioribus tribus non reciperent; Severum, Acephalosque, atque omnes omnino haereticos exsecratus est. Tum enimvero pudore suffusi sunt quotquot regiarum partium studiosi in templo aderant; orthodoxi autem fiduciam receperunt, et patriarchae omnes adhaeserunt, insuper habentes quod praeter canones sacros ordinatus fuisset. Ex eo igitur tempore beatus Sabas ac Theodosius honorem venerationemque patriarchae Iohanni exhibebant sedem occupanti, quia iam orthodoxus erat: simulque Heliae qui rectae fidei gratia carcere tenebatur. Qua in re ipsum prorsus sanctum Heliam imitabantur: sic enim et ipse superiore tempore cum constantinopolitanis Euthymio Macedonioque se gesserat; postea vero cum Timotheo, scholastico olim antiocheno et apocrisiario, aeque communicaverat.

οὗτος Ἠλίας τοῦ οἰκείου καταβιβασθεὶς θρόνου, εἰς φυλακὴν κατεκλείσθη· ἀντ' αὐτοῦ δὲ προεβλήθη Ἰωάννης συνθέμενος τῇ αἱρέσει, καὶ σύμφρων γενόμενος τῷ βασιλεῖ· οὗτος ὁ Ἰωάννης συνήθης ὢν καὶ φίλος Σάβα τοῦ θείου· οὗ καὶ τὰς ὑποθήκας δεξάμενος, τοῦ αἱρετικοῦ μὲν φρονήματος καὶ σεβάσματος ἑαυτὸν συντόμως ἀπέστησε· τῇ Ἠλίου δὲ πίστει καὶ τῶν θείων πατέρων Σάβα καὶ Θεοδοσίου ὅλον ἑαυτὸν ὅλῃ ψυχῇ ἐδεδώκει.

ζ. Καὶ δὴ ἐν μιᾷ προσταγῇ βασιλικῇ συνήθως πᾶς ὁ λαὸς καὶ τῶν μοναχῶν πλήθη ἄπειρα ἐν τῷ τοῦ ἁγίου Στεφάνου τοῦ πρώτου ἐν μάρτυσιν ἱερῷ σηκῷ ἤθροιστο, ὡς μέλλοντος δῆθεν ἀναθεματίσαι τοῦ πατριάρχου Ἰωάννου τοὺς τὴν τετάρτην σύνοδον δεχομένους, Σευῆρον δὲ τὸν ἀκέφαλον μὴ παραδεχομένους· τοῦτο γὰρ ἦν ἤδη ποιῆσαι τοῖς τοῦ βασιλέως ὁ Ἰωάννης ὑποσχεθείς· ἀνήχθη οὖν ὁ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος· σὺν αὐτῷ δὲ καὶ Σάβας καὶ Θεοδόσιος οἱ τῶν μοναχῶν ἔξαρχοι, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως πρόμαχοι· ἱστάσθην οὖν ἄμφω τοῦ πατριάρχου παρ' ἑκάτερα· παρῆν δὲ τῷ ναῷ καὶ τοῦ βασιλέως ἀνεψιὸς Ὑπάτιος τῆς αἰχμαλωσίας τότ' ἐπανασωθείς· ἐψεύσατο τὰς ὑποσχέσεις ὁ Ἰωάννης ἃς πρὸς Ἀναστάσιον ἐποιήσατο ταῖς ὑποθημοσύναις Θεοδοσίου καὶ Σάβα· ἐξεφώνησε καλῶς ποιῶν, τὸ ἀνάθεμα κατὰ τῶν μὴ δεχομένων τὴν τετάρτην οἰκουμενικὴν σύνοδον, μετὰ τῶν πρὸ αὐτῆς τριῶν· ἀπεβάλετο Σευῆρον, ἀπεβάλετο ἀκεφάλους, καὶ πάντας ἁπλῶς τοὺς τὰ τῶν αἱρετικῶν φρονοῦντας· ᾐσχύνθησαν οἱ τὰ τοῦ βασιλέως φρονοῦντες καὶ τῷ θείῳ παρόντες ναῷ· ἠνδρίσθησαν οἱ ὀρθόδοξοι, καὶ τῷ πατριάρχῃ αὐτίκα πανδημεὶ προσετέθησαν· τὸ μὲν κατὰ τοὺς ἱεροὺς κανόνας χειροτονίας αὐτοῦ μὴ φροντίσαντες· ἦν οὖν φασὶν ἐκ τότε Σάβας ὁ μακαρίτης καὶ Θεοδόσιος τὸ σέβας ἀπονέμοντες καὶ τὴν τιμὴν τῷ πατριάρχῃ Ἰωάννῃ μὲν ἐν τῷ θρόνῳ καθεζομένῳ ὡς ὀρθοδόξῳ γεγονότι· Ἠλίᾳ δὲ πάλιν ὡσαύτως κατακλείστῳ ὄντι ἐν φυλακῇ τῆς ὀρθῆς ἕνεκα πίστεως· τὸν ἱερὸν πάντως Ἠλίαν ἐκμιμησάμενοι· οὕτω γὰρ αὐτὸς πρότερον πρὸς Κωνσταντινουπόλεως Εὐθύμιόν (1) τε καὶ Μακεδόνιον, καὶ τὸν ἀπὸ σχολαστικῶν Ἀντιοχείας ὄντα ἀποκρισιάριον καὶ πρὸς τούτοις διετέθη Τιμόθεον (2).

(1) Nempe *Euphemium*, ut iam dixi.

(2) Hic tamen Timotheus creditur fuisse haereticus.

η'. Ἀλλὰ καὶ Ἰουστινιανὸς ὁ βασιλεὺς τὸν ἅγιον Εὐτύχιον τοῦ θρόνου καταγαγὼν, ἐξόριστον ἐποιήσατο ἐν τῇ εἰς τὴν Ἀμάσειαν αὐτοῦ μονῇ· καὶ εἰς τὸν αὐτοῦ δὲ θρόνον ἀνήγαγεν Ἰωάννην· ὃς καὶ αὐτὸς δεκτὸς τῇ ἐκκλησίᾳ ἐστὶν, ὀρθόδοξος ὤν· ἀλλὰ καὶ Ἀνθίμου τοῦ ἐκ Τραπεζοῦντος μετατεθέντος εἰς τὸν τῆς βασιλίδος θρόνον παρὰ τοῦ βασιλέως, εἶτα καθαιρεθέντος πρὸς τοῦ πάππα Ἀγαπητοῦ διὰ τὸ μὴ θέλειν αὐτὸν μεταβαλεῖν τὴν αἵρεσιν, Μηνᾶς ὁ θεῖος ἀντιχειροτονεῖται· οἱ δὲ παρ' αὐτοῦ χειροτονηθέντες, ἐδέχθησαν, τὴν αἵρεσιν ἀποθέμενοι· τὰ Σευήρου γὰρ ἦν φρονῶν ὁ Ἄνθιμος. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ τῶν μονοθελητῶν κακίστη αἵρεσις ἐπεκράτησε, τίς μετὰ ταῦτα τῶν ἐξ αὐτῶν χειροτονίαν δεξαμένων, οὐκ ἐδέχθη ἐν τῇ ἕκτῃ συνόδῳ, ἧς ἡγοῦντο Ἀγάθων πάππας Ῥώμης, Γεώργιος Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Θεοφάνης Ἀντιοχείας, μόνον εἰ τὴν αἵρεσιν ἀνεθεμάτισε, καὶ τῇ ὀρθοδόξῳ προσετέθη πίστει; ἀλλὰ καὶ Ἰουστινιανὸς ὁ ῥινότμητος Κάλλιστον (1) μὲν τὸν ἁγιώτατον Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἀδίκως καθεῖλε τοῦ θρόνου, καὶ τῆς πόλεως ἐξόριστον εἰς τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην πρότερον ἀποτυφλώσας τέθεικε· τὸν δὲ ἔγκλειστον Κῦρον ἐκ τῆς πόλεως Ἀμάστριδος ἐνεγκὼν, εἰς τὸν ἐκείνου θρόνον ἀνῆξεν, ἐπειδὴ προεῖπεν αὐτῷ τὴν εἰς τὴν πόλιν πάλιν ἐπάνοδον, καὶ τὴν τῆς βασιλείας αὖθις ἀνάληψιν. Φιλιππικὸς δὲ ὁ καὶ Βαρδάνης τῆς βασιλείας τετυχηκὼς, καὶ τὴν ἕκτην οἰκουμενικὴν σύνοδον ἀκυρώσας, ὡς ἔδοξε, σύνοδον ἀθροίσας ὁ μάταιος κατ' αὐτῆς· τοῦτο γὰρ ἦν ὑποσχεθεὶς τῷ ἐν τῇ τοῦ Καλλιστράτου μονῇ ὄντι ἐγκλείστῳ, ὅτι αὐτῷ τὴν βασιλείαν ἐχρησμοδότησε, τὸν μὲν πατριάρχην ἐξώθησεν, Ἰωάννην δὲ ὁμόδοξον αὐτῷ προεβάλετο, διάπυρον ὄντα τῆς τῶν μονοθελητῶν δυσνοῦς αἱρέσεως ἐραστήν. Ἀρτέμιος δὲ ὁ καὶ Ἀναστάσιος λεγόμενος, τῶν σκήπτρων τῆς βασιλείας ἐραστὴς γενόμενος, ἀπὸ Κυζίκου πρὸς τὸν τῆς βασιλευ-

8. Iustinianus quoque imperator sanctum Eutychium sede deiectum ad Amaseae monasterium relegavit, eique Iohannem subrogavit; quem item ecclesia, quia orthodoxus erat, admisit; praetereaque Anthimum e Trapezuntis ecclesia ad regiae urbis infulas translatum ab eodem imperatore. Et quamquam deinde Anthimus ab Agapeto papa depositus fuit, propterea quod haeresim retineret; divusque Mennas subrogatus; ordinati tamen ab Anthimo sacri viri, ad communionem admissi sunt quotquot haeretico errori valedixerunt. Severi enim haeresim fovebat Anthimus. Postquam vero Monothelitarum pessima haeresis exorta est, quemnam ab his ordinatum sexta synodus non admisit, (cui ceteroqui praeerant Agatho romanus papa, Georgius constantinopolitanus, ac Theophanes antiochenus) si modo haeresim eiuravit, orthodoxamque fidem professus est? Item rhinotmetus Iustinianus Callistum sanctissimum Constantinopoleos episcopum, iniuste depulit sede, regiaque urbe fugatum et excaecatum ad veterem Romam ablegavit: Cyrum autem monachum inclusum, ex Amastride urbe accitum, in praedicti statione collocavit, quia praedixerat ipsi reditum in regiam urbem, atque imperii recuperationem. Philippicus vero Bardanes imperium adeptus, et sextam synodum antiquavit, ut ipse putabat, celebrato stulte adversus eam concilio; (id enim se facturum promiserat callistratici coenobii monacho qui ei imperium ominatus fuerat); et patriarcha exauctorato, Iohannem consectaneum suum elegit, qui fervidus nefariae Monothelitarum haereseos amator erat. Artemius autem, qui et Anastasius dicebatur, quum regium sceptrum adfectavisset, Cyzico transtulit ad regiae urbis sedem sanctum Germanum, Iohanne eiecto, qui adversus sacram sextam synodum, ut dixi, furebat.

(1) Immo hic dicitur *Callinicus* ab Ephraemio, Anonymo barocciano, aliisque.

9. Ex quo autem arcanis Dei iudiciis Leo isauricus imperii habenas corripuit, postque nonum regni sui annum iconomachiam commovit, is sanctum quidem Germanum, obiurgationum eius impatiens, extorrem fecit, sedemque metropoleos Anastasio concessit. Iam quinquaginta et septem annorum intervallo, quo iconomachia debacchata est, complurium, ut necesse erat, huius metropoleos patriarcharum successio fuit: donec aetate patriarchae Tarasii, regnantibus Irene magna cum filio Constantino, septima synodus coaluit; cuius tamen iussu nemo depositus est, qui ab iconomachis ordinationem accepisset, si modo sectam eiuravit; exceptis haereseos auctoribus et antesignanis, vel siquis ad finem usque pertinacian retinuit. Sed ecce, post religiosissimum Curopalatam imperatorem, Leo armenius occupata tyrannide, consopitam iconomachiam suscitavit, sanctumque Nicephorum erepto pedo in exilium pepulit. Leoni successit Michael balbus, huic filius Theophilus. Cunctis autem sex et viginti annis, quibus hi haeretici tyrannidem exercuerunt, nemo fere orthodoxus extitit patriarcha. Verumtamen post Theophili obitum magna Theodura patriarcham fecit Methodium sanctissimum; qui quidem suffragatore inter ceteros consiliique auctore magno ascetico Iohannicio, ut in huius vita legere est, cunctos ab haeresi resipiscentes, in communionem recepit.

10. Nunc animum adtende ad ea quoque scandala, quae ecclesiae propter improbissimum contumacemque Iosephum, ipsius ecclesiae oeconomum, acciderunt, Tarasii et Nicephori patriarcharum sanctissimorum, nec non Theodori studitae, temporibus. Hic enim Iosephus, quum Constantinus magnae Irenes filius repudiata uxore adulterinam aliam per nefas toru reciperet, Iosephus, inquam, nuptiis benedixit contra sancti Tarasii vetitum:

οὔσης θρόνον τὸν ἅγιον Γερμανὸν μετέθηκε, κατασπάσας τὸν Ἰωάννην, τὸν μετὰ τῆς ἱερᾶς ἕκτης συνόδου ὡς εἴρηται λυττήσαντα.

θ. Ἐπεὶ δὲ κρίμασιν οἷς οἶδε Θεὸς, Λέων ὁ ἴσαυρος τῆς βασιλείας ἐγκατέστη κύριος, καὶ μετὰ χρόνον ἔννατον τῆς βασιλείας τὴν εἰκονομαχίαν ἐκίνησε, τὸν μὲν ἅγιον Γερμανὸν ἐξόριστον ἐποιήσατο, μὴ φέρων τοὺς παρ' αὐτοῦ ἐλέγχους, Ἀναστασίῳ δὲ τὸν τῆς πόλεως ἐνεχείρισε θρόνον· καὶ τῆς εἰκονομαχίας ταύτης πεντήκοντα καὶ ἑπτὰ διαμεινάσης ἐνιαυτοὺς, πλεῖστοι ὡς εἰκὸς κατὰ διαδοχὴν ἐγένοντο πατριάρχαι τῆς πόλεως ταύτης· ὕστερον δὲ ἐπὶ ἡμερῶν μὲν Ταρασίου πατριάρχου, βασιλέων δὲ Εἰρήνης τῆς μεγάλης καὶ Κωνσταντίνου τοῦ ταύτης υἱοῦ, ἡ ἑβδόμη συνεκροτήθη σύνοδος· καὶ οὐδεὶς ἀπόβλητος γέγονεν ὡς παρὰ τῶν εἰκονομάχων τὴν χειροτονίαν δεξάμενος, μόνον εἰ τὴν αἵρεσιν ταύτην ἀπεβάλετο· πλὴν τῶν πρωταιτίων καὶ ἀρχηγῶν τῆς αἱρέσεως, καὶ εἴ τις που διέμεινεν εἰς τέλος ἀνένδοτος. πάλιν δὲ ὕστερον μετὰ τὸν Κουροπαλάτην εὐσεβέστατον βασιλέα, Λέων ὁ ἀρμένιος τὴν βασιλείαν τυραννικῶς δεξάμενος τὴν εἰκονομαχίαν παυθεῖσαν ἤδη ἀνήγειρε· καὶ τὸν ἅγιον Νικηφόρον τοῦ θρόνου καταγαγὼν, ἐξώρισε. τοῦτον διεδέξατο Μιχαὴλ ὁ τραυλὸς, καὶ ὁ τούτου υἱὸς Θεόφιλος· ἐν ὅλοις δὲ εἴκοσι καὶ ἓξ ἔτεσιν, οἷς οἱ ῥηθέντες ἤδη αἱρετικοὶ τυραννήσαντες ἀναγράφονται, οὐδεὶς σχεδὸν διαμεμένηκεν ἀρχιερεὺς ὀρθόδοξος· μετὰ δὲ τὸν θάνατον Θεοφίλου, τὸν ἁγιώτατον Μεθόδιον πατριάρχην ἡ μεγάλη Θεοδώρα ἀποκατέστησεν (1)· ὃς πάντας ἐδέξατο συναινέσει καὶ συμβουλῇ καὶ τοῦ μεγάλου ἐν ἀσκηταῖς Ἰωαννικίου, ὡς ἴσμεν ἐκ τῶν ἐν τῷ βίῳ αὐτοῦ περὶ τούτων φερομένων, ὅσοι δηλαδὴ αἵρεσιν ἐξωμόσαντο.

ι. Ζήτησον καὶ τὰ περὶ τὸν παρανομώτατον καὶ ἀφηνιαστὴν Ἰωσὴφ, τὸν τῆς ἐκκλησίας τότε οἰκονόμον, γεγενημένα σκάνδαλα ἐν τῇ ἐφημερίᾳ Ταρασίου καὶ Νικηφόρου τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, καὶ Θεοδώρου τοῦ στουδίτου καὶ ὁμολογητοῦ· ἐπειδὴ ἐκεῖνος τὸν τῆς μεγάλης Εἰρήνης υἱὸν Κωνσταντῖνον ἐκβαλόντα τὴν οἰκείαν γαμετὴν, καὶ ἄλλην μοιχικῶς ἐπεισαγαγόντα τῇ σφετέρᾳ κοίτῃ πα-

(1) Hunc locum de Michaele, Theophilo et Theodora, citat ex Methodio ms. Allatius contra Creygh. p. 544.

φανόμενος εὐλόγησιν, ἀπεισπεμένου τούτου Ταρασίου τοῦ ἱεροῦ· ὃς ϗ καθαιρέσει τὸν ἄθεσμον ὑποβαλὼν Ἰωσὴφ, οὐ μόνον εἰς τέλος οὐκ ἴσχυσεν, ἀλλὰ ϗ εἰς κοινωνίαν αὖθις τοιοῦτον ἐδέξατο· ἄκων μὲν πάντως ϗ μὴ βουλόμενος· πλὴν ἐδέξατο βιασθεὶς πρὸς τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου, ἀνεγεῖραι ἀπειλουμένου κακῶς τὴν ἤδη καλῶς παυθεῖσαν δυσσεβῆ εἰκονομαχίαν· εἰ οἷς τέλος ἀδεκτος μείνῃ τῷ πατριάρχῃ ὁ εὐλογήσας αὐτὸν ὡς εἴρηται Ἰωσήφ· τοῦτον ὕστερον ϗ Νικηφόρος ὁ πατριάρχης ϗ ὁμολογητὴς κατεδέξατο, καταναγκασθεὶς παρὰ Νικηφόρου τοῦ ἀπὸ Γενικῶν ἁρπάσαντος τὴν βασιλείαν βιαίως, ϗ τὴν μακαρίαν Εἰρήνην ἐξώσαντος· ἐπεὶ δὲ εἰς τὸν κατὰ τῶν Βουλγάρων πέπτωκε πόλεμον αἰσχρῶς ὁ Νικηφόρος, ϗ ἡ βασιλεία εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Σταυράκιον μεταβέβηκε, θανόντος ϗ τούτου μετὰ δύο μόνους τῆς ἀρχῆς μῆνας, ὁ Κουροπαλάτης Μιχαὴλ τῶν σκήπτρων ἐγκρατὴς γίνεται· ϗ Ἰωσὴφ ὑπεραξίως, ὡς ἄν τις ἐκ περιχαρείας εἴποι, καθαιρεῖται παρὰ τοῦ ἱεροῦ Νικηφόρου τοῦ πατριάρχου.

ια. Οὗ γεγονότος, εἰς κοινωνίαν ὁ θεῖος συνῆλθε τῇ ἐκκλησίᾳ Θεόδωρος· ϗ τῷ πατριάρχῃ ἀξίως τῇ ἑαυτοῦ ϗ γνώσει ϗ ἀρετῇ ποιῶν ἥνωτο, ὡς ἐν τῷ βίῳ αὐτοῦ ἀναγέγραπται, ϗ ἔν τινι τῶν αὐτοῦ ἐπιστολῶν φέρεται· φησὶ γὰρ ὁ τὸν βίον αὐτοῦ συγγραψάμενος οὕτως· μετὰ τὸ ἐπανελθεῖν τὸν θεῖον Θεόδωρον ϗ τὸν πατριάρχην Νικηφόρον ἐκ τῆς ἐξορίας, τὸν φίλεριν ϗ φιλόνεικον τρόπον ἀποῤῥιψάμενος ὁ Θεόδωρος, ὅλως μετὰ τοῦ πατριάρχου ἦν ὁμότροπος, ὁμόστεγος, ὁμοδίαιτος, ϗ πολλαῖς αὐτὸν ταῖς εὐφημίαις ἔστεφε· τοῖς εἰρημένοις συνᾴδει ϗ τὰ τοῦ μεγάλου ἐν ὁμολογηταῖς πατριάρχου Μεθοδίου· φησὶ γὰρ οὕτως ἐν μιᾷ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ πρὸς τοὺς σακκουδιανοὺς ϗ βοσκητιανοὺς ὅτι μὴ συνερχομένους τῇ ἐκκλησίᾳ ἀλλ' ἀποσχιζομένους αὐτῆς· ὁ γὰρ μακάριος πατὴρ ὑμῶν Θεόδωρος, εἰ μὴ πρότερον ἀπεβάλετο ἃ εἶπε πάντα ϗ ἔγραψε κατὰ τῶν ἁγίων πατριαρχῶν Ταρασίου ϗ Νικηφόρου, οὐκ ἂν εἰς κοινωνίαν τοῦτον ἐδεχόμεθα· ταύτην δὲ τὴν ἐπιστολὴν ὁ βουλόμενος ἰδεῖν, ζητησάτω ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ ἁγίου πα-

a quo Iosephus improbus excommunicatus est, non tamen in perpetuum; etenim invitus licet planeque nolens Tarasius coactus est illum rursus in communionem recipere a Constantino imperatore; qui impiam iconomachiam feliciter compressam, suscitaturum se sceleste minabatur, nisi qui benedixerat nuptiis suis Iosephum patriarcha reciperet: quem ipsum postea Nicephorus quoque patriarcha et confessor admisit; coactus videlicet a Nicephoro Generali qui explosa beata Irene imperium vi usurpavit. Postquam autem in proelio adversus Bulgaros Nicephorus foede cecidit, regnumque ad eius filium Stauracium devenit, qui mensibus haud plus duobus dominatus obiit; Michaël Curopalates sceptro potitur; mox que Iosephus dignissime, ut laetanter dicere licet, a divo Nicephoro patriarcha excommunicatus est.

11. Post id factum ad ecclesiae communionem rediit divus Theodorus, qui etiam patriarchae pro sua sapientia ac virtute reconciliatus est, prout in ipsius vita narratur, nec non in quadam epistula eiusdem scribitur. Ait vero vitae auctor. *Postquam divus Theodorus ac Nicephorus patriarcha ab exilio in patriam redierunt, omni acerbitate inimicitiaque abiecta Theodorus, totum se in patriarchae familiaritatem tradidit, sententia, tecto, mensa communi utens, multisque eum laudibus ornans.* Praedictis consonat magnus quoque confessor patriarcha Methodius. Ait enim in quadam ad Saccudianos Boscetianosque scripta epistula, qui nondum ecclesiae reconciliati erant, sed in schismate permanebant: *nisi enim vester beatus pater Theodorus cuncta improbasset, quae in sanctos patriarchas dicto scriptove iecerat Tarasium atque Nicephorum, numquam eum ad communionem recepissemus.* Iam hanc epistulam siquis avet inspicere, in sancti nostri patris Niconis libro quaerat.

Porro magnus Methodius quatuor in pontificatu exactis annis, pie sancteque vitam clausit.

12. Mox sancto ad patriarchatum evecto Ignatio, Bardas Michaëlis imperatoris avunculus atque caesar, nurum suam flagitiose deperiens, uxori propriae misso repudio, quum incestum amorem illum a sancto Ignatio omittere iuberetur, ob vitandas obiurgationes atque ex his consequentem infamiam (nam etiam ecclesia secluserat eum patriarcha) sede Ignatium deturbavit, abutens scilicet Michaëlis levitate, ad explendam suam cupiditatem. Quo expulso, studio quidem consilioque Bardae, Michaëlis autem auctoritate, collocatur in sede Photius. Verumtamen macedo Basilius Michaële interempto ad regnum connisus, Photium exauctoravit, Ignatiumque restituit. Causa vero rei fuisse traditur, quod Photius, misso nuncio, sacrae mensae communione Basilio interdixerat, manum adhuc cruentam gerenti

πρὸς ἡμῶν Νικήτας (1)· ὁ μέντοι μέγας Μεθόδιος τέσσαρας ἐπιζήσας τῷ θρόνῳ χρόνους, ὁσίως καὶ εὐσεβῶς ἀπαίρει τῶν τῇδε.

ιβ. Καὶ τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου πατριάρχου ἀναδειχθέντος, Βάρδας ὁ τοῦ βασιλέως Μιχαὴλ θεῖος καῖσαρ ὤν, καὶ τῇ σφετέρᾳ παρανόμως συμφθειρόμενος νύμφῃ, τὴν ἰδίαν ἀναιτίως ἀποπεμψάμενος γαμετήν, ἐπὶ ἀποστῆσαι ἑαυτὸν τῆς μυσαρᾶς ταυτησὶ μίξεως πρὸς τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου κατηναγκάζετο, θέλων ἐκφυγεῖν τοὺς ἐλέγχους καὶ τὴν ἐντεῦθεν ἐπιτριβομένην αὐτῷ αἰσχύνην ἀποβαλέσθαι· ἀπεῖρξε γὰρ αὐτὸν καὶ τῆς ἐκκλησίας ὁ πατριάρχης· τοῦ θρόνου κατάγει αὐτόν, καὶ τῇ ἐξορίᾳ δίδωσι, τῇ τοῦ Μιχαὴλ κουφότητι χρησάμενος εἰς τὴν τοῦ ἰδίου θελήματος ἀποπλήρωσιν· τούτου δὲ ἐκβληθέντος, σπουδῇ μὲν καὶ συναινέσει τοῦ Βάρδα, προβλήσει δὲ τοῦ Μιχαὴλ, εἰς τὸν θρόνον ἀνάγεται Φώτιος· ἐπεὶ δὲ Βασίλειος ὁ μακεδὼν τὸν Μιχαὴλ ἀποκτείνας, κατέσχε τὴν βασιλείαν, τὸν Φώτιον μὲν τοῦ θρόνου κατάγει, τὸν δὲ ἅγιον Ἰγνάτιον αὖθις ἀνάγει· ἡ δὲ αἰτία φασὶν ὅτι πέμψας αὐτὸν Φώτιος, τῆς ζωοποιοῦ κοινωνίας

(1) Epistulam hanc in Niconis inedito opere alii quaerant. Ego quidem eam lego in perdocto quodam prolixoque graeci auctoris tractatu nondum typis impresso, sed, ut reor in hac mea collectione postea vulgando; in quo rursus luculenter demonstratur ex ecclesiastica historia, scriptis patrum, synodorumque decretis, quantopere a schismate cavendum sit. En autem Methodii patriarchae epistulam, sive potius duarum epistularum excerptum.

Ἀναγνωσθήτω ἐνταῦθα καὶ ὅσα ὁ μέγας ἐν ὁμολογηταῖς καὶ πατριάρχαις Μεθόδιος πρὸς τοὺς στουδίτας μοναχοὺς εἶπεν, ἀποσχιζομένους τῆς ἐκκλησίας διὰ τὰ συγγεγραμμένα τῷ πατρὶ αὐτῶν τῷ ἁγίῳ Θεοδώρῳ τῷ στουδίτῃ κατὰ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν Ταρασίου καὶ Νικηφόρου ἃ δὲ εἶπεν εἰσὶ ταῦτα.

„ Εἰ μὴ ἀναθεματίσοιτε τὰ γεγραμμένα κατὰ Νικηφόρου τοῦ πανοσίου καὶ Ταρασίου τοῦ τρισολβίου βιβλία, ἢ σήμερον ἔμπροσθεν τῶν ἀδελφῶν καὶ συλλειτουργῶν, ἢ εἰς ὡρισμένην ἡμέραν ἐλθόντων αὐτῶν πρὸς τῇ ὑμετέρᾳ μονῇ καὶ ἀκροωμένων καὶ θέντες τὸν ἐν αὐτοῖς ὅρον καίειν τε καὶ ἀναθεματίζειν αὐτὰ καθὼς ἀπολογούμενοι ἐν ταῖς περὶ τῆς ἐκκλησίας διοικήσεως γεγραφήκαμεν, γνῶτε ἀδελφοὶ ὅτι ὑμᾶς τε αὐτοὺς τοὺς περιεχομένους αὐτῶν, οὐχ ἁπλῶς ἀναθεματίσομεν, ἀλλὰ αἰσχροτέρως καὶ καθαιρετέρως ἀναθεματίσομεν· ὁ γὰρ μακάριος ἡγούμενος ὑμῶν καὶ διδάσκαλος τὸ πέρας τῆς αὐτοῦ βιοτῆς αἴτιον καὶ σὺν ἡμῖν ὑπάρχων λειτουργήσας, ἔργῳ τοὺς ἰδίους λόγους ἠθέτησεν· ἐπεὶ οὐκ ἄν ποτ' ἐγένετο μεθ' ἡμῶν, εἰ τὰ γραφέντα αὐτῷ καθ' ἡμῶν ἔφερεν ἐν τῇ διανοίᾳ ἑαυτοῦ. „

Ἀναγνωσθήτωσαν καὶ ταῦτα ὅσα ὁ αὐτὸς μέγας ἐν πατριάρχαις Μεθόδιος ἐν ἐπιστολαῖς κατὰ τῶν αὐτῶν στουδιωτῶν δικαιότατον ἀπεφήνατο, ἵνα γράψῃ κ. τ. λ.

„ Πρὸς οὖν τοὺς στουδιώτας τούτους ῥητέον ταῦτα καὶ πᾶν μὴ παρῇσαν, ἀκουσάτωσαν ὅτι εἰ μὴ ἀναθεματίσωσιν τὰ κατὰ Νικηφόρου καὶ Ταρασίου τῶν παναγιωτάτων πατριαρχῶν συγγεγραμμένα τῷ πατρὶ αὐτῶν, οὐ κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον μὴ γένοιτο. Particulam quandam huius epistulae recitavit iam Allatius in dissert. de Methodiis p. 57.

In codicis autem margine de rei historia scribitur. Χρὴ εἰδέναι ὅτι οἱ μαθηταὶ τοῦ Στουδίτου μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου ἐκείνου κοίμησιν μὴ θέλοντες ὑποτάσσεσθαι τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ τῷ οἰκείῳ θελήματι περιάγεσθαι, τὰς πρώτας ἐκείνας κατηγορίας λαβόντες εἰς ἀφορμήν, διέρρηξαν πάλιν καὶ ἀπέσχισαν ἑαυτοὺς ἀπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας· καθ' ὧν καὶ ὁ ἅγιος Μεθόδιος κινηθεὶς, συνοδικῶς τὸ ἀνάθεμα ἐξεφώνησεν.

οὐ μετεδίδου αὐτῷ, ἐμαγμένην ἔτι ἔχοντι τὴν χεῖρα τῷ τοῦ Μιχαὴλ φόνῳ· ἀλλὰ τοῦ Ἰγνατίου τὸν βίον ἀπολιπόντος, αὖθις εἰς τὸν θρόνον ἀνήχθη Φώτιος παρὰ τοῦ αὐτοῦ βασιλέως· οὗ ὁ υἱὸς Λέων, ὁ πολὺς τὴν φιλοσοφίαν, τὸν Φώτιον αὖθις τοῦ θρόνου παρακινήσας (δείσας ὥς φασι μὴ οὐκ ἐάσῃ ἀμύνασθαι Σανταβαρηνὸν τῆς εἰς τὸν πατέρα καὶ βασιλέα διαβολῆς κατ' αὐτοῦ ἕνεκα· τοῦτο γὰρ ὁ Λέων αὐτάρχης ἤδη ἀναδειχθεὶς κατὰ νοῦν ἔστρεφε) Στέφανον τὸν ἴδιον ἀδελφὸν καθιστᾷ πατριάρχην, ἐξουσιαστικῶς· καὶ τούτων πάντων οὐδεὶς ἀπόβλητος γέγονεν, ἀλλ' ὅλοι δεκτοὶ καὶ σεβάσμιοι τῇ τῶν πιστῶν ἐκκλησίᾳ καὶ εἰσὶ καὶ γνωρίζονται· καὶ τοῦτο δῆλον ἐκ τοῦ συνοδικοῦ (1)· γέγραπται γὰρ ἐν αὐτῷ οὕτω ταῦτα· Ἰγνατίου, Φωτίου, Στεφάνου, καὶ Ἀντωνίου τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, αἰωνία ἡ μνήμη· καὶ πάλιν· τὰ λαληθέντα καὶ γραφέντα κατὰ Ἰγνατίου καὶ Φωτίου τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, ἀνάθεμα.

ιγ. Ἐγὼ δὲ τοῦ συνοδικοῦ ἀρτίως ἐπιμνησθεὶς, καὶ ὧν ἤδη ἐπιλέλησμαι ὑπομνήσω· φέρεται γὰρ ἐν αὐτῷ τάδε. Ταρασίου καὶ Νικηφόρου τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, αἰωνία ἡ μνήμη· καὶ αὖθις· τὰ λαληθέντα καὶ γραφέντα κατὰ τῶν ἀοιδίμων πατριαρχῶν Ταρασίου καὶ Νικηφόρου, ἀνάθεμα· ὁρᾶτε τὴν ὀρθὴν καὶ τῷ θεῷ εὐαπόδεκτον κρίσιν τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἱεροκηρύκων ἁγίων ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν οἱ νῦν ἀντιλέγοντες τῷ κοινῷ τῶν ὀρθοδόξων πληρώματι· φρίξατε, παρακαλῶ, ἐννοήσαντες ᾗ κακοῦ φέρεσθε καὶ πρὸς διόρθωσιν ἑαυτῶν ἐπάχθητε· οἱ γὰρ εἰρημένοι μικρὸν ἀνωτέρω πάντες ἅγιοι, οὗτοι πάντες ἄνθρωποι ὄντες ἔπαθόν τι ἀνθρώπινον· καὶ οἴδατε πάντες ὅσα καὶ εἶπον καὶ ἔγραψαν ἄλλοι κατ' ἄλλων· ἐπειδὴ εὐλόγοις δῆθεν ἐνέπεσον ἀφορμαῖς, καὶ τῆς ἀκριβείας ἀντιποιεῖσθαι ἐδόκουν· ὅπερ καί τινες ἐξ ὑμῶν κατὰ τοὺς ἄρτι χρόνους παθεῖν ἔδοξαν· τὰ γὰρ τῶν πολλῶν ἃ καὶ πράττουσι καὶ διδάσκουσι οἱ τὴν ὑμετέραν δῆθεν ὑπὲρ τῆς ἀκριβείας εὐλάβειαν ὑποκρινό-

(1) De synodico legi solito quotannis Constantinopoli et in cuncta Graecia loquitur Allatius contra Creyghtonum p. 533.

Michaëlis caede. Sed enim Ignatio mortuo, rursus ad Photium dignitas ab eodem imperatore defertur; cuius filius Leo philosophi nomine clarus, Photium denuo sede removit; timens, ut aiunt, ne Santabarenum defenderet in causa calumniae, quam ille olim contra se apud patrem imperatorem struxerat. Hoc enim obvertebatur Leonis menti nuper regnum adepti. Ergo Stephanum fratrem suum vi regia patriarcham creavit. Atqui nemo ex his patriarchis repudiatus fuit; sed admissi omnes atque in honore habiti apud fidelium ecclesiam fuerunt et adhuc sunt atque existimantur. Idque fit palam ex libro synodico, ubi haec habentur: *Ignatii, Photii, Stephani, atque Antonii sanctissimorum patriarcharum aeterna memoria sit.* Et rursus. *Anathema iis, quae dicta scriptave fuerunt adversus sanctissimos patriarchas Ignatium atque Photium.*

13. Ego vero cum synodici mentionem fecerim, addam et alia verba, quorum paene oblitus eram. Sic enim ibidem praeterea legitur: *Tarasii et Nicephori sanctissimorum patrum aeterna memoria sit.* Rursusque, *iis quae dicta scriptave fuerunt adversus laudabiles patriarchas Tarasium atque Nicephorum, anathema.* Videte rectum Deoque gratum sanctae et catholicae ecclesiae iudicium, sanctorum evangelii praeconum apostolorum, sanctorumque patrum nostrorum; vos, inquam, qui generali orthodoxorum coetui resistitis. Exhorrescite, oro, in quantum malorum barathrum per discordiam vestram ruatis, emendationique curam impendite. Nam praedicti omnes, quibus sacer honor habetur, quoniam homines erant, humani aliquid passi sunt: nostis enim quibus invicem verbis atque scriptis adversati sint: quia videlicet probabiles in speciem causas controversiarum nacti erant, et suum quis-

que persequi ius credebant: quod ipsum vestri quoque nonnulli homines nuperis temporibus egisse videntur. Etenim quae multi faciunt, ex iis qui vestrum summae rectitudinis studium simulant, silentio magis commendare oportet quam scriptis. Nam quae in occultu, inquit divus apostolus, a nonnullis fiunt, ea dictu quoque turpia sunt. Sed enim haec vestrarum partium homines maxime norunt; qui deinde a vestro errore resipiscentes, nobis patefecerunt, non sine multo dolore ac lacrimis rem confitentes. Age vero, quod iam dixi, venerabiles illi viri lingua et scriptis intemperanter sane usi sunt: divinum autem ecclesiae iudicium, quidquid inimicitiarum tempore et aestu dictum scriptumve fuit, anathemate synodali perculit: verborum vero scriptorumque auctores peramanter omnes recepit; aeternaeque memoriae honorem cunctis aeque per sacrum ritum acclamat.

14. Quid autem hinc docemur? nempe rectius fieri si consensio et pax inter orthodoxos christianos firmiter concorditerque cum Dei timore et charitate servetur, quam si, dum ius summum videmur persequi, formosum ecclesiae christianae corpus discerpamus. *In hoc enim*, inquit Dominus, *cognoscet mundus quod discipuli mei estis*; (non si summo iuri mordicus adhaeseritis, verum) *si invicem dilexeritis*. Qui igitur ob alicuius tutelam canonis turbas ciet seditionesque commovet, atque ecclesiae corpus discindit, (si modo ea fidei puritatem retineat) hic, inquam, quantumvis se religione permotum autumet, nescit tamen (fremat quisque licet, dicam quod sentio) nescit inquam, ac lupum esse ovis pelle contectum, rapinaque et dolo concretum. Neque vero mihi quisquam succenseat; non enim meus hic sermo est, sed duorum qui terram universam verbo ac moribus illustravere virorum, Ignatii inquam theophori et Io-

μενοι, σιωπῇ μᾶλλον προσήκει δοῦναι ἢ γραφῇ· τὰ γὰρ κρυφῇ, φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, γινόμενα ὑπό τινων, αἰσχρόν ἐστι ϗ λέγειν· ἀλλὰ τὰ τῶν τοιούτων, οἱ ϗ ἡμῖν ὑποστρέψαντες ἀπὸ τῆς καθ' ὑμᾶς πλάνης ἐκδιηγοῦνται κατανύξει πολλῇ ϗ δάκρυσι ποιούμενοι τὴν ἐξομολόγησιν· ἐγὼ δὲ ὅπερ ἔλεγον, ἀνθρώπινόν τι παθόντες οἱ εἰρημένοι ἅγιοι, εἶπον ϗ ἔγραψαν ἃ ἔγραψαν· ἡ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἔνθεος κρίσις τὰ μὲν εἰρημένα ϗ γεγραμμένα ἐν τῷ τῆς φιλονεικίας καιρῷ ϗ πάθει, τῷ ἀναθέματι συνοδικῶς καθυπέβαλε· τοὺς δ' εἰπόντας ϗ γράψαντας πάντας ἀσπασίως ἐδέξατο· ϗ τὸ, αἰωνία ἡ μνήμη, περὶ πάντων ἐπίσης ἀναφωνεῖ.

ιδ. Τί ἐντεῦθεν ἡμᾶς ἐκπαιδεύουσα; ὅτι τοι κρεῖσσόν ἐστιν ἡ ὁμόνοια ϗ εἰρήνη τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν, ἀστασιάστως ϗ ὁμονοητικῶς τηρουμένη μετὰ φόβου Θεοῦ ϗ ἀγάπης, ἢ τὸ τὴν ἀκρίβειαν δοκεῖν διώκειν, ϗ τὸ καλὸν σχίζειν σῶμα τῆς ἐκκλησίας Χριστοῦ· ἐν τούτῳ γάρ, φησι ϗ ὁ κύριος, γνώσονται, ὅτι μαθηταί μου ἐστέ, οὐχὶ τὰ τῆς ἀκριβείας δοκεῖν ἐξέχοντες, ἀλλ' ἐὰν ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· ὁ γοῦν δι' ἀκρίβειαν δῆθεν κανόνος τινος ταραχὰς ποιῶν, στάσεις κινῶν, ϗ τὸ σῶμα σχίζων τῆς ἐκκλησίας, ὀρθοδοξίᾳ τῆς εὐσεβείας συντηρουμένης, ὁ τοιοῦτος εἰ ϗ ἀπὸ εὐλαβείας κινεῖσθαι οἴεται, λέληθεν ἑαυτόν· εἰρήσεται γάρ, εἰ ϗ ἐπαχθὲς, λύκος ὢν ἔξωθεν μὲν ἐν δορᾷ προβάτων ἐρχόμενος, ἔσωθεν δὲ γέμων δόλου ϗ ἁρπαγῆς· καὶ μὴ καθ' ἡμῶν ἀγανακτήσῃς ἀκούων· οὐδὲ γὰρ ἡμέτερος οὗτος ὁ λόγος, ἀλλὰ τῆς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην αὐγαζούσης καὶ λόγῳ καὶ βίῳ συνωρίδος, Ἰγνατίου τοῦ θεοφόρου φημὶ ϗ Ἰωάννου τοῦ χρυσορρήμονος· ὁ μὲν γάρ, ὁ τοιοῦτος, φησί, λύκος σοι ἅρπαξ ἔστω, προβάτου φθορὰν ἐν προβάτου δορᾷ κατεργαζόμενος· ὃν μὴ δὲ μαρτυρίου αἷμα πλῦναι ἰσχύσει τρανῶς ἀποφαίνεται· ὁ δὲ τὴν γλῶτταν χρυσοῦς ϗ τῶν αἱρετικὰ φρονούντων δόγματα, χείρονα τὸν τὴν ἐκκλησίαν σχίζοντα εἶναι διαμαρτύρεται· ϗ οὐχ ἁπλῶς χείρονα, ἀλλὰ ϗ μετὰ πλείστης ἴσης τῆς

ὑποστάσεως πολλῷ μᾶλλον χεῖρόν φησιν(1)· ἄλλος δέ τις τῶν ἁγίων· ὁ σχίζων τὴν ἐκκλησίαν φησί, δηλονότι ὀρθοδοξίας οὔσης, ταυτὸν ποιεῖ τοῖς λόγχῃ διατρήσασιν ἐν τῷ πάθει τὸ τοῦ κυρίου σῶμα· ὁπηνίκα δέ τις ἐπικρατεῖ αἵρεσις, τηνικαῦτα ὁ ἀντιλέγων, οὐ σχίσμα παρεισάγει τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀλλ' ἀπὸ σχισμάτων αὐτὴν λυτροῦται· ὡς που τοῖς ἱεροῖς καὶ θείοις κανόσιν εὐστόχως εἴρηται. ἀλλ' ἐπανιτέον ὅθεν ἐξέβημεν, καὶ τὰ ὅμοια τοῖς ἤδη ῥηθεῖσι προσθετέον τῷ λόγῳ.

ιε. Λέων ὁ σοφὸς οὗ καὶ πρότερον ἐμνήσθην, Νικόλαον τὸν μυστικὸν τοῦ θρόνου ἀδίκως ἐξώσας ὅτι μὴ παραχωρῶν ἦν αὐτῷ τὴν τετραγαμίαν, Εὐθύμιον τὸν σύγκελλον πατριάρχην ἀνέδειξεν· ἀλλ' ὅτε μὲν ὁ Λέων αὐτὸς ἀπεβίω, Ἀλέξανδρος δὲ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν βασίλειον ἀρχὴν ᾠκειώσατο ἑαυτῷ, τὸν μὲν Εὐθύμιον τοῦ θρόνου καθεῖλε, Νικόλαον δὲ αὖθις τῷ οἰκείῳ θρόνῳ ἀποκατέστησεν· οὗτοι δὲ καὶ ἀμφότεροι, δεκτοὶ πάντως τῇ ἐκκλησίᾳ εἰσίν, ὡς ὀρθόδοξοι ὄντες, καὶ ὑπὲρ τῶν θείων νόμων ἠγωνισμένοι· καὶ γὰρ καὶ τὸν Εὐθύμιον πολλά φασιν ἀγωνίσασθαι κωλῦσαι τὸν βασιλέα Λέοντα μὴ νόμον τὴν τετραγαμίαν γράψαι καὶ καταλεῖψαι· καὶ δὴ καὶ ἐκώλυσεν. ἔλθωμεν δὲ ἐπὶ τῶν νεωτέρων· ὁ ἐκ Κομνηνῶν βασιλεὺς Μανουὴλ τὸν ἅγιον ἐν πατριάρχαις Κοσμᾶν τὸν Ἀττικὸν ἀδίκως τοῦ θρόνου καταγαγών, ἕτερον ἀνῆξεν· ὅπερ τοῖς κανόσι τοῖς ἱεροῖς οὐ δοκεῖ· ἀλλ' ὅμως ἐκκλησία καὶ τοῦτον ἐδέξατο· καὶ τοὺς δι' αὐτοῦ χειροτονηθέντας οὐκ ἀπεβάλετο· ὅτι δὲ πολλὴν τὴν παῤῥησίαν τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἐπλούτει ὁ εἰρημένος Κοσμᾶς ὁ πατριάρχης, ἐντεῦθεν δῆλον· φασὶ γάρ· ὅτι ὑπεραλγήσας τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς κατ' αὐτῆς δυναστείας τῶν οὐκ εὐαγῶς τῇ βασιλείᾳ χρωμένων, μέλλων ἤδη ἐξέρχεσθαι, τὴν αὐγοῦσταν κατὰ γαστρὸς σφραγίσας, ἐπετίμησε μηκέτι τεκεῖν παῖδα ἄῤῥενα· ὁ δὲ Κοντοστέφανος τῷ καιρῷ χαριζόμενος, ἐπὶ

(1) Utrumque dictum tam Ignatii quam Chrysostomi extat in huius postremi homilia XI. in epist. ad Ephes. Porro Ignatii dictum citat etiam Iohannes antiochaaus apud Cotelerium monum. eccl. gr. T. I p. 176., ut iam observavit Grabius.

hannis Chrysostomi. Ait enim disertis verbis Ignatius: *hic tibi lupi instar rapacis sit, quia gregi exitium sub ovis pelle molitur. Hunc ne martyrii quidem sanguis mundabit.* Chrysostomus autem hominem qui schisma in ecclesia facit, peiorem haeretico esse testatur; neque tantummodo peiorem dicit, verum cum summa emphasi multo peiorem esse pronunciat. Alius vero sanctus vir quidam; *qui ecclesiam*, inquit *(dummodo sit orthodoxa) scindit, eodem se obstringit scelere, atque illi olim qui dominicum corpus lancea transfoderunt.* Verumtamen siqua haeresis forte inciderit, tunc demum is qui adversatur, haud schisma in ecclesiam invehit, sed hanc a schismate prohibet; veluti in sacris divinisque canonibus sapienter animadversum est. Sed illuc, unde discessimus, redeundam est, et susceptae materiae tenor continuandus.

15. Leo sapiens, quem iam antea commemoravi, Nicolao mystico per vim iniustam depulso, quia nuptias ei quartas non annuebat, Euthymium syncellum patriarcham fecit. Sed enim mortuo Leone, Alexander frater eius imperio ad se translato, Euthymium deposuit, propriaeque sedi restituit Nicolaum. Iam hos ambos ecclesia recepit, quia scilicet orthodoxi erant, et quia sacras leges protegebant: nam et Euthymius plurimum laborasse dicitur ne quartas nuptias Leo imperator lata lege sanciret: quod reapse impetravit. Sed ad recentiores iam accedamus. Manuel imperator comnenus sanctum patriarcham Cosmam cognomento atticum iniuste sede detraxit, alio substituto; quam rem sacri canones vetant. Sed tamen ecclesia hunc quoque recepit, neque ordinatos ab eo repudiavit. Quod vero praedictus Cosmas patriarcha multa erga Deum fiducia polleret, hinc innotuit: maerens enim ecclesiae malis, quam regnantium tyrannide oppressam videbat, iam sede

decessurus, Augustae uterum imprecatione conclusit, ne masculam prolem umquam pareret. Tum Contostephanus tempori velificans, cum dominae adstaret, manum intendit ut patriarcham alapa percuteret: prohibitus tamen a praesentibus est. Tum patriarcha conversus, sinite hunc inquit; paulo post enim Petream suam excipiet; id quod reapse accidit. Brevi enim elapso tempore bello corcyraeo Contostephanus periit, lapide ictus a nescio quo de superiore orbis muro; quo ictu vitam foede misereque amisit, prout patriarcha praedixerat. Augustae quoque uterus masculo fructu expers fuit, post patriarchae quam diximus imprecationem. Etsi enim natus est Manueli filius Alexius, haud ex illa tamen, sed ex Maria latina susceptus fuit.

16. Quid vero Isaacius Angelus? nonne praeter omnem iustam causam titulumve canonicum, Camatero deposito, Nicetam sacellarium obtrusit? Nonne hunc, ut imbecillum, anno uno exacto, removens, Leontium patriarcham fecit, quem etiam marianum vocitavit; testans, hunc sibi a Deipara ostensum, cum mandato, ut deiecto Niceta Leontium in sede poneret? Nonne postea Leontium exauctoravit, adfirmans pariter, id sibi a Deipara imperatum; et Dositheum hierosolymitanum Constantinopolim transtulit patriarcham? Obloquente autem magnopere ob hanc rem populo, nonne etiam Dositheus sede excidit, alio substituto? Quinque igitur patriarchas byzantios in urbe intra novennium constituit Isaacius, quanto scilicet tempore ipse regnavit; rationem quidem vel canonicas causas nullas secutus, sed propria tantum voluntate et arbitrio illum eiiciens, hunc aggerens. Et tamen horum neminem, vel eos qui ab his sunt ordinati, ecclesia exclusit: quodque festivius fuit, vel potius turpius, omnes hi regnante Isaacio vivebant, prop-

παρεστὼς ἦν τῇ δεσποίνῃ, ἐξέτεινε τὴν χεῖρα ῥαπίσαι τὸν πατριάρχην· ἀλλ' ἐκωλύθη πρὸς τῶν συμπαρεστώτων· ὁ γοῦν πατριάρχης ἐπεστραφεὶς, ἄφετε αὐτὸν ἔφη· μετ' οὐ πολὺ τὴν οἰκείαν πετρέαν ληψόμενον· ὃ καὶ γέγονεν (1)· ὀλίγου γὰρ διελθόντος καιροῦ, πίπτει ὁ Κοντοστέφανος εἰς τὸν κατὰ Κέρκυραν πόλεμον, λίθῳ βληθεὶς πρός τινος τῶν τοῦ ἄστεος ἄνωθεν· ὑφ' οὗ λίθου καὶ τὴν ψυχὴν αἰσχρῶς ἀπέβαλε καὶ ἐλεεινῶς κατὰ τὴν τοῦ πατριάρχου πρόῤῥησιν· ἀλλὰ καὶ ἡ τῆς αὐγούστης γαστὴρ ἄκαρπος ἐξ ἀῤῥενικῆς γονῆς ἔμεινε, τὴν παρ' αὐτοῦ ἐπιτίμησιν ὡς εἴρηται δεξαμένη· εἰ γὰρ καὶ γέγονε τῷ Μανουὴλ υἱὸς Ἀλέξιος, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς εἰρημένης αὐτὸν ἐγείνατο, ἀλλ' ἀπὸ Μαρίας τῆς ἐκ λατίνων.

ιϛ. Τί δὲ καὶ Ἰσαάκιος ὁ Ἄγγελος (2); οὐ χωρὶς πάσης αἰτίας εὐλόγου καὶ κανονικῆς αἰτίας τὸν Καματηρὸν τοῦ θρόνου παρακινήσας, Νικήταν τὸν σακελλάριον ἔθετο; οὐχὶ τοῦτον αὖθις ὡς ἀφιλῆ μετ' ἐνιαυτὸν ἕνα καταγαγὼν, τὸν Θεοτοκίτην Λεόντιον πατριάρχην πεποίηκεν; ὃν καὶ Θεοτοκίτην ἐκάλεσε, διαβεβαιούμενος τὴν Θεοτόκον ἐμφανισθῆναι οἱ, καὶ προστάξαι Νικήταν μὲν καθελεῖν, Λεόντιον δὲ ἀντ' αὐτοῦ τῷ θρόνῳ ἐγκαταστῆσαι; οὐχὶ αὖθις τὸν μὲν Λεόντιον τοῦ θρόνου ἐξέωσε, τῆς Θεοτόκου αὐτῷ καὶ πάλιν τοῦτο ποιῆσαι διαταξαμένης ἰσχυριζόμενος, τὸν Ἱεροσολύμων δὲ Δοσίθεον τῆς Κωνσταντίνου ἱεράρχην ἀπέδειξεν; ἐπεὶ δὲ ὁ γογγυσμὸς πολὺς περὶ τούτου γεγένηται, οὐχὶ καὶ Δοσίθεος τούτου ἕνεκα τοῦ θρόνου ἀποπεσὼν, ἕτερος προεβλήθη; πέντε γοῦν οὕτω πατριάρχας τῆς Κωνσταντίνου ὁ Ἰσαάκιος κατέστησεν ἐν χρόνοις ἐννέα, οὓς καὶ ἦν βασιλεύσας αὐτὸς· λόγῳ μὲν καὶ κανονικοῖς ἐγκλήμασιν οὐδαμῶς, ἁπλῶς δὲ οἰκείῳ θελήματι καὶ

(1) Haec erant apud Ephraemium v. 10165. sqq. absque notitia tamen quod Contostephanus perierit bello corcyraeo.

(2) Hunc locum de Isaacii Angeli promotionibus seu potius perturbationibus ecclesiasticis profert ex Methodio nostro Allatius contra Creygh. exerc. XVII. p. 330. Rem narrat etiam Ephraemius v. 6010. sqq.

ὀρέξει, τὸν μὲν κατάγων, τὸν δ' ἀνάγων· καὶ ὅμως οὐδεὶς τούτων, ὧν τῶν δι' αὐτῶν χειροτονηθέντων ἀδεκτος τῇ ἐκκλησίᾳ γεγένηται τὸ δὲ δὴ ἀστειότερον, μᾶλλον δὲ ἀτιμότερον, ὅτι πάντες ἔζων ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰοβιανοῦ, διὰ τὸ ὀλιγοχρόνιον τάχα ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτὸν γεγενῆσθαι· καὶ περὶ μὲν τούτων ἐπὶ τοσοῦτον. ὧδε δὲ καὶ ταῦτα προστίθημι.

ιζ. Μάξιμος ὁ τῶν Ἱεροσολύμων ἱερὸς πρόεδρος καὶ ὁμολογητὴς ἐπειδὴ σύνοδον συνήθροισε τοπικὴν, καὶ τὸν μέγαν Ἀθανάσιον εἰς κοινωνίαν ἐδέξατο ἐξ Ἀντιοχείας ἐρχόμενον, καὶ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν καταλαβεῖν σπεύδοντα, δεξάμενον ἤδη ἐν Ἀντιοχείᾳ πρὸς τοῦ βασιλέως Κωνσταντίου τὴν τοῦ οἰκείου θρόνου ἐγχώρησιν, διαβολαῖς τοῦ Καισαρείας Παλαιστίνης Εὐσεβίου (1), τοῦ οἰκείου θρόνου ἀποπεπτωκὼς, ἀνάγεται εἰς αὐτὸν σπουδῇ τοῦ αὐτοῦ Καισαρείας, Κύριλλος ὁ θαυμάσιος, ὃς καὶ τῆς Ἀρείου αἱρέσεως τὸ πρότερον διάπυρος ἐραστὴς ἦν· καὶ τοῦτο δῆλον καὶ ἐξ ἄλλων μὲν πολλῶν, οὐχ ἧττον δὲ καὶ τὸν Μάξιμον μὲν τὸ ὁμοούσιον πρεσβεύοντα τοῦ θρόνου ἐκπεσεῖν, Κύριλλον δὲ πρὸς ἀρειανῶν ἀντὶ Μαξίμου καταστῆναι πρόεδρον τῆς ἁγίας Σιών· λέγει δὲ ὁ Νύσσης θεῖος Γρηγόριος ἐν τῷ εἰς τὴν ἀνακομιδὴν Στεφάνου τοῦ πρωτομάρτυρος λόγῳ (2) οὕτως· ἦν δὲ ὁ Κύριλλος ἐκ μεταμελείας τῷ ὁμοουσίῳ προσθέμενος· οὗτος καὶ ἐν τῇ δευτέρᾳ συνόδῳ παρὼν ὑπὲρ τοῦ ὀρθοῦ ἀγωνιζόμενος δόγματος, καὶ συγγράμματα δὲ πλεῖστα καὶ πάσης ὠφελείας γέμοντα τῇ τῶν ὀρθοδόξων καταλέλοιπεν ἐκκλησίᾳ· οὗτος οὐ μόνον οὐκ ἀπόβλητος γέγονε τῷ ἐπιβῆναι τοῦ θρόνου, ἔτι ζῶντος τοῦ ἱεροῦ Μαξίμου καὶ ἐν ἐξορίᾳ ὑπὲρ τοῦ ὀρθοῦ διάγοντος λόγου, ἀλλὰ καὶ ἐπαινετὸς πάνυ καὶ ἀποδεκτός· ἕνα γὰρ τῶν ἁγίων ἡ ἐκκλησία καὶ τοῦτον [illegible] σεμνύνεται.

(1) Immo *Acacii*. Anonymus vero baroccianus episcopi caesariensis nomen reticet.

(2) In sanctum Stephanum duae extant laudationes Nysseni. una in priscis editionibus, altera ex codice vaticano a cl. Zacagnio edito. Neutra tamen loquitur de translatione reliquiarum eius: quare nec verba a Methodio citata in iis leguntur. Superest ergo ut tertia Nysseni oratio de s. Stephano detegatur.

ter brevem imperii eius periodum. Sed de his hactenus. Nunc alia subtexere placet.

17. Hierosolymorum patriarcha et confessor Maximus, postquam, congregata palaestina synodo, magnum Athanasium Antiochia profectum atque ad suam urbem accedentem in communionem accepit, qui iam decretum Constantii imperatoris nactus erat Antiochiae, quo sede sua depellebatur; propter Eusebii caesariensis in Palaestina episcopi calumnias, ipse quoque Maximus sede sua detrahitur; habetque successorem, adnitente eodem Caesariensi, Cyrillum illum mirificum, qui antea fervidus Arii adsecla fuerat: quae res eum aliunde constat, tum inde etiam, quod Maximus homousianus honore excidit, Cyrillus autem ab Arianis ad sanctae urbis pontificatum promotus est pro Maximo. Porro divus Gregorius nyssenus in oratione de reliquiarum Stephani protomartyris translatione sic ait: *Cyrillus post resipiscentiam, vocabulum* HOMOUSION *admittebat*. Hic secundae etiam praesens synodo pro recto dogmate depugnavit; et plurima atque utilissima scripta orthodoxae ecclesiae reliquit. Iam vero hic Cyrillus non solum ecclesia eiectus non est, propterea quod sedem occupavisset, vivente adhuc Maximo et recti dogmatis causa exulante, verum etiam laudatissimus fuit atque pergratus: namque et hunc in sanctorum numero ecclesia recensere gloriatur.

18. Quid porro magnus inter confessores Meletius? Nonne Sebastiae, et mox Berrhoeae syrae, postremo Antiochiae magnae sacras infulas ab Arianis accepit? nonne bis ipse favebat navabatque operam? nonne horum placita firmare satagebat, quorum favore pontificatus apicem adeptus erat? Verumtamen quidam vestrae sectae homines mecum colloquentes summa cum stultitia adfirmabant, se

quidem Meletium Antiochiae episcopum, Germanum confessorem, Proclum Cyzico translatum Constantinopolim, simulque Gregorium theologum, exceptione quadam et quasi gratiose, episcopos agnoscere, non tamen ut genuinos praesules. Ita ne vos cuncti reapse iudicatis? an potius eos qui sic irreligiose loquuntur, vos quoque quotquot pii estis, pari nobiscum contemptu aversamini? sanctos autem hos homines veneratione prosequimini, non exceptione quadam et quasi gratiose, sed ut veros reapse veritatis patronos, legitimosque ecclesiae ministros? Verumtamen quid hac in re agere velitis, ipsi demum constituite. Dei quidem ecclesia praedictos viros ceu genuinos antistites, rectae nostrae fidei magistros ac defensores ubique praedicat, eisque gloriatur. Atque ita vincit omnem haeresim; et horum freta magisterio atque exemplis malitiam illorum aversatur ac procul abiicit, qui sub religionis obtentu fidelium corpus nituntur discindere.

19. Divus certe Chrysostomus de Meletii antiocheni episcopi sacris manibus primo quidem regenerationis sacrum lavacrum, postea diaconatus quoque accepit ordinem: quamquam probe sciebat, magnum Eustathium in exilio inter plurimas miserias versari, rectae fidei causa. Is etiam utrumque laudationibus exornavit, Meletium inquam atque Eustathium; rixarum indecentium stultarumque contentionum amatores praeclare contemnens; nec non excogitatas ad hominibus appellationes contra decorum atque officium. Quippe illi Meletianos appellabant adversarios suos; hi rursus Eustathianos illos vocitabant. Quae flagitia doctissimus quoque sacrae rei Basilius iampridem detestans, flagitiosos miserabatur. Quare et ad magnum Athanasium sic scribebat. *Antiochiae morbus magno medico indiget: eius enim ecclesiae etsi vitalia sana sunt,*

ιη΄. Τί δὲ καὶ Μελέτιος ὁ μέγας ἐν ὁμολογηταῖς, ὁ Σεβαστείας καὶ Βεῤῥοίας τῆς κατὰ Συρίαν, καὶ τελευταῖον Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης τὸν θρόνον πιστεύεται πρὸς ἀρειανῶν; οὐ συμπαράπτωρ αὐτοῖς καὶ συναγωνιστὴς ἦν, καὶ τὰ δοκοῦντα αὐτοῖς κρατύνειν ἐσπείγετο; οἷς καὶ τὸν ὑψηλὸν τοῦτον θρόνον δίκαιος ἐκρίθη λαβεῖν; καὶ γάρ τινες τῶν ὑμετέρου φρονήματος ποτὲ εἰς λόγους ἐλθόντες ἐμοὶ, διαβεβαιούμενοι ἔφασκον μεθ' ὅσης ἄν τις εἴποι τῆς ἀπονοίας, ὅτι Μελέτιον τὸν Ἀντιοχείας, Γερμανὸν τὸν ὁμολογητὴν, καὶ Πρόκλον τὸν ἐκ Κυζίκου μετατεθέντα εἰς πόλιν τὴν βασιλεύουσαν, καὶ σὺν τούτοις Γρηγόριον τὸν θεολόγον φωνὴν, μετὰ διακρίσεως καὶ χάριν δεχόμεθα, ἀλλ' οὐχ ὡς γνησίους ἀρχιερατεύσαντας· ἆρ' οὖν τοῦτο δοκεῖ καὶ πᾶσιν ὑμῖν; ἢ τοὺς εἰπόντας δυσσεβῶς ταῦτα, καὶ ὑμῶν ὁπόσοι τὰ θεῖα ἐστὲ εὐλαβέστεροι, καταπτύετε ὡς ἡμεῖς, τὸ σέβας τοῖς ἁγίοις προνέμοντες, οὐ κατ' οἰκείαν χάριν οὐδὲ διάκρισιν, ἀλλ' ὡς γνησίοις τῆς ἀληθείας προστάταις, καὶ νομίμως τὴν ἐκκλησίαν ἱερατεύσασιν· ἀλλ' ὅπερ μὲν πρὸς τοῦθ' ὑμεῖς ἔχειν βούλεσθε, αὐτοὶ ἂν εἰδεῖτε· ἡ γὰρ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία (1) Γνησίους προστάτας καὶ διδασκάλους καὶ προμάχους τοῦ ὀρθοῦ τῆς καθ' ἡμᾶς πίστεως λόγου, πανταχοῦ τούτους προβαλλομένη σεμνύνεται, καὶ νικᾷ πᾶσαν αἵρεσιν καὶ πᾶσαν κακόνοιαν τῶν ἐν προσχήματι εὐλαβείας κατατέμνειν τὸ τῶν πιστῶν σῶμα σπουδὴν τιθεμένων, ταῖς τούτων διδαχαῖς τε καὶ πράξεσιν ἀποτρεπομένη καὶ πόῤῥω βάλλουσα.

ιθ΄. Ὁ μέν τοι γε θεῖος Χρυσόστομος ταῖς Μελετίου τοῦ Ἀντιοχείας χερσὶν ἱεραῖς, πρότερον μὲν τὸ τῆς παλιγγενεσίας θεῖον λουτρὸν, ὕστερον δὲ τὴν τῆς διακονίας χειροτονίαν, ἱερῶς δέχεται· καὶ ταῦτα εἰδὼς τὸν μέγαν Εὐστάθιον ἐν ἐξορίᾳ πλείσταις ὅτι κακώσεσι προσπαλαίοντα, τῆς ὀρθῆς ἕνεκα πίστεως, ὃς καὶ ἀμφοτέρους ἐγκωμίοις ἐτίμησε, Μελέτιον δηλαδὴ καὶ Εὐστάθιον, τοὺς ἐρισχελίαις ἀσέμνους καὶ ματαίαις ἐνστάσεσι χαίρειν ἐθέλοντας, θεοφρόνως ἀποῤῥιψάμενος, σὺν ταῖς ἐξ ἀνθρώπων

(1) Deest ἐκκλησία in codice.

ἐπωνυμίας, ἃς σφίσιν ἔθεντο ὡς μὴ ὤφελον· οἱ μὲν γὰρ μελετιανοὺς τοὺς ἀντιδιατιθεμένους ὠνόμαζον· τούτους δ᾽ αὖθις ἐκεῖνοι εὐσταθιανοὺς ἐκάλουν· ταῦτα δὲ καὶ ὁ πολὺς τὰ θεῖα Βασίλειος πρότερον μυσαττόμενος, τοὺς πάσχοντας κατελέει· διὸ καὶ πρὸς τὸν μέγαν ἔγραψεν Ἀθανάσιον οὕτως· τὰ γὰρ τῆς Ἀντιοχείας ἀῤῥωστήματα, μεγάλου τινὸς ἰατροῦ δέονται· ἥτις περὶ τὰ καίρια ὑγιαίνουσα, περὶ τὰ πρόσωπα σχίζεται· ὁ αὐτὸς καὶ ἐν ἄλλῃ φησὶ τῶν ἐπιστολῶν· ἐγὼ δὲ Μελέτιον οὐκ ἀγνοῶ, ἀλλ᾽ ἔσχεν αὐτὸν ἡ ἐμὴ ἐκκλησία, καὶ ἔχει κοινωνικόν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ ἑξῆς ἕξει, χάριτι τοῦ κυρίου· καὶ ἐν ἄλλῃ· εἰ τὸ φιλόνεικον ἀφέμενοι πάντες, προστιθεῖεν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ θεοῦ Μελετίῳ· καὶ ἐν ἄλλῃ· μέρος ἐκκλησίας ἐκεῖνο κρίνομεν, τὸ προσκείμενον τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ θεοῦ Μελετίῳ· ἐγκαλούμενος δὲ πρός τινος, ἀπολογεῖται καὶ φησίν· οὐκ οἶδα ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας ἕτερον εἰ μὴ Μελέτιον(1)· καὶ πάντως οὐκ ἀποβαλλόμενος τὸν Εὐστάθιον τοῦτο εἴρηκεν, ἀλλὰ προτρεπόμενος καὶ ἐντρέπων τοὺς μὴ παραδεχομένους Μελέτιον· ἅμα δὲ καὶ ὡς τούτου τὴν ἐκκλησίαν τέως κατέχοντος καὶ ἰθύνοντος, Εὐσταθίου ἀργοῦντος ἐν ἐξορίᾳ· ἔτι δὲ ἄγχων τοὺς ἐξ Ἀρείου τῷ ῥήματι.

κ. Ὃ δὴ καὶ εἰ μή τι ἄλλο, ἀλλὰ κἂν τοῦτο ἔδει σκοπεῖν καὶ ὑμᾶς· καὶ μὴ ἀποπέμπειν οὕτως ἀκρίτως τὸν τῆς ἡμετέρας καλῶς προϊστάμενον εὐσεβείας, ἁγιώτατον Ἰωσήφ, τὸν ἱερὸν ἡμῶν πατριάρχην· καὶ ἄλλῳ δέ τινι παραινῶν δι᾽ ἐπιστολῆς ὁ μέγας Βασίλειος, ἀφέμενον τὴν τῶν σχισμάτων ἔριν προστεθῆναι Μελετίῳ παρακελεύεται· καὶ τί δεῖ πλειόνων ἡμῖν; οὐχὶ αὐτὸς οὗτος ὁ μέγας Βασίλειος παρὰ τοῦ Μελετίου τὴν τῶν πρεσβυτέρων (2) χειροτονίαν ἐδέξατο; ἀνάγνωτε τὴν τοῦ Σωκράτους ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν, καὶ Ἀμφιλοχίου τοῦ Ἰκονίου εἰς τὸν βίον τοῦ μεγάλου Βασιλείου καὶ γνῶτε· γράφει καὶ εἰς τὸν βίον τοῦ ἁγίου Ἀντωνίου· τῇ πίστει δὲ θαυμαστὸς ἦν ὁ Ἀντώνιος καὶ

vultus tamen laceratur. Idem in alia epistula ait: *ego Meletium non ignoro: usa est enim communione eius ecclesia mea, et adhuc utitur, et cum Domini gratia deinceps utetur.* Et in alia: *si omnes, omissis contentionibus, homini Dei Meletio adhaererent.* Adhuc in alia: *illa ecclesiae membra esse iudicamus, quae cum homine Dei Meletio cohaerent.* Et rursus: *oportet omnes ad hominem Dei Meletium se adiungere.* Reprehensus autem a nescio quo, ita se defendit: *ego Antiochiae episcopum novi neminem nisi Meletium.* Neque omnino sic dixit, quod Eustathium reiiceret, sed ut eos refelleret confunderetque qui Meletium non recipiebant: simul etiam, quia is interim ecclesiam tenebat regebatque, dum Eustathius in exilio otiari cogebatur. Fortasse etiam his verbis dolorem Arianis inurere voluit.

20. Hoc, inquam, saltem exemplum spectare vos oporteret; neque tanta inconsiderantia repudiare sanctissimum Iosephum, praeclarum religionis nostrae ducem, sacrumque nostrum patriarcham. Et alium quemdam per epistulam admonens magnus Basilius, hortatur ut, omissa schismatum discordia, Meletium sequatur. Sed cur plura dicam? Nonne hic magnus Basilius presbyteratus ordinem a Meletio suscepit? Legite Socratis ecclesiasticam historiam, itemque magni Basilii vitam ab Amphilochio iconiensi scriptam, ut rem cognoscatis. In vita quoque sancti Antonii scribitur: *fide autem admirabilis erat Antonius et prorsus orthodoxus: nam neque cum meletianis schismaticis communicavit umquam, quorum noverat improbitatem et apostasiam, neque cum Manichaeis,*

(1) Aliter mox divus Antonius, cui Hieronymus noster consonat in epistula ad Damasum *non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum.* Consule catalogum episcoporum antiochenorum in collect. vat. T. I. part. II. p. 15. Haec est nimirum episcopalium schismatum natura ut veritas rectumque ius aegre dignoscatur, nec nisi fere tempore inclarescat, quod idcirco Pindarus ait *omnium rerum sapientissimum.*

(2) Immo diaconum factum a Meletio Basilium dicit Socrates lib. IV. 26, ut certe in editionibus legitur.

neque cum aliis quibusvis haereticis partium amore versabatur, nisi forte aliquando commonendi causa. Et paulo infra ait biographus. *Cum suprema monita discipulis daret, mandabat ipsis ne cum Meletianis schismaticis versarentur; nostis enim, inquit, illorum improbitatem profanamque haeresim: item ne cum Arianis communicarent.* Rursumque paulo post. *Mementote, inquit, quas audistis a me, admonitionum: nullaque vobis cum Meletianis schismaticis communio sit, neque omnino cum Arianis haereticis; scitis enim quomodo et ego eiusmodi consortia vitaverim.* A sancto ergo Antonio cognoscite, extra ecclesiam vos esse, o schismatici; neque vos oportere a nobis recipi, nisi sincera paenitentia tangamini, fiatisque ecclesiae filii per conversionem, velut sacri quoque decernunt canones. Illud etiam animadvertite, quod nempe Meletianos Antonius haereticos appellavit dicens, *nostis enim illorum improbam profanamque haeresim.* Sic etiam apostolus haereseos nomine schismata indigitat in epistula ad Corinthios etc.

εὐσεβῶς· οὔτε γὰρ τοῖς μελετιανοῖς τοῖς σχισματικοῖς ποτὲ ἐκοινώνησεν εἰδὼς αὐτῶν τὴν πονηρίαν καὶ τὴν ἀποστασίαν, οὔτε μανιχαίοις, ἢ ἄλλοις τισὶν αἱρετικοῖς ὡμίλει φιλονίκως, ἢ μόνον ἄχρι νουθεσίας· καὶ μετά τινα νουθετῶν τοῖς μαθηταῖς τὰ τελευταῖα ἤδη, ἐνετέλλετο αὐτοῖς μὴ ἐγγίζειν μελετιανοῖς σχισματικοῖς· οἴδατε γάρ φησιν αὐτῶν τὴν πονηρίαν καὶ βέβηλον αἵρεσιν· μήτε κοινωνίαν ἔχειν πρὸς τοὺς ἀρειανούς· καὶ μετά τινα· μνημονεύετέ φησιν ὧν ἠκούσατε παρ' ἐμοῦ παραινέσεων καὶ μηδεμία κοινωνία ἔστω ὑμῖν πρὸς τοὺς σχισματικοὺς μελετιανούς, μήθ' ὅλως πρὸς τοὺς αἱρετικοὺς ἀρειανούς (1)· οἴδατε γάρ φησι πῶς κἀγὼ τούτους ἐξετρεπόμην· διδάχθητε καὶ παρὰ τοῦ ἁγίου Ἀντωνίου, ὅτι ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἐστὲ ὑμεῖς οἱ σχισματικοί· καὶ οὐκ ἔστι δίκαιον δέχεσθαι παρ' ἡμῶν εἰς κοινωνίαν ὑμᾶς, ἂν μὴ γνησίως μετανοήσητε, καὶ τέκνα τῆς ἐκκλησίας γένησθε διὰ μετανοίας· καθὼς καὶ τοῖς ἱεροῖς κανόσι δοκεῖ· ἅμα δὲ σημειώσασθε, καὶ ὅτι τοὺς μελετιανοὺς σχισματικοὺς ὄντας, αἱρετικοὺς ἐκάλεσεν· οἴδατε γάρ φησιν αὐτῶν τὴν πονηρὰν καὶ βέβηλον αἵρεσιν· οὕτω καὶ ὁ ἀπόστολος αἱρέσεις τὰ σχίσματα, ἐν τῇ πρὸς κορινθίους καλεῖ. κ. τ. λ. (2).

(1) Idcirco cum Arianis Meletiani coniunguntur quia Meletius ab Arianis promotus fuerat, ut ait, praeter Methodium etiam Hieronymus in chronico. Ceteroquin si magnus Athanasius (praeter Basilium) cum Meletio communicare optabat, ut ex Basilii epistulis noscimus, id prorsus Meletium ab arianismo liberare videtur. Et quidem delusos fuisse Arianos, qui Meletium consentire secum putabant, ait auctor catalogi episcoporum retro citatus.

(2) Hactenus Methodius visus mihi est utilis propter ea quae ex ecclesiastica sedium orientalium historia delibavit. Reliqua erant in codice usque ad opusculi finem perpauca.

VICTORINI PHILOSOPHI

IN EPISTULAM PAULI AD GALATAS

LIBER PRIMUS INCIPIT.

Epistula ad Galatas missa dicitur ab apostolo ab Epheso civitate: et idcirco quidam illam praemittunt epistulam, hanc ordinant consequentem. Summa autem huius epistulae haec est: errare Galatas quod ad evangelium fidei, quod est in Christo, adiungant iudaismum, corporali intellectu observantes sabbatum, et circumcisionem, item cetera opera quae ex lege perceperant. His rebus motus Paulus scribit hanc epistulam, eos volens corrigere et a iudaismo revocare, ut fidem tantum in Christum servent, et a Christo spem habeant salutis et promissionum eius: scilicet quod ex operibus legis nemo salvetur. Ut refutet ergo ista quae adiungunt, confirmare vult evangelium suum. Ut autem det auctoritatem evangelio suo, adhibet principia dicens, se esse apostolum non ab hominibus neque per hominem. His divisionibus, quod evangelium revelatione susceperit iudaeus, et acriter iudaeus; quod post triennium Hierosolymam ad Petrum venerit; quod quindecim diebus cum eo fuerit; quod Hierosolymam post quatuordecim annos redierit: quibus omnibus hoc ostendit, nihil se ab his didicisse vel propter exiguam praesentiam, vel propter longam absentiam. Confirmata igitur auctoritate quod a Deo susceperit evangelium (a) domino nostro Iesu Christo, subiungit ipsa praecepta, id est non esse iungendum corporalem intellectum iudaismi: et id se dicit olim ostendisse et egisse, cum ageret etiam contra Petrum. Deinde exsequitur hoc ipsum, asserens unum esse evangelium quod ipse docuit, et longe errare eos qui iudaismi praecepta iungunt et observationem. Haec igitur quemadmodum tractet, suo loco dividemus: interim ad principium epistulae revertamur.

" Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum CAP. I.
,, Christum et Deum patrem, qui suscitavit illum a mortuis, et qui mecum V. 1.
,, sunt omnes fratres ecclesiae Galatiae ,,. Ordo in principio sententiae hic est, Paulus apostolus, et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiae Galatiae. Et hic se laudat apostolus, non ab hominibus missum neque per hominem, sed per dominum Christum et Deum Patrem qui suscitavit illum a mortuis; ostendens quis, cum quibus, et quibus scribat: et cum soleat de se tantum profiteri Paulus apostolus Romanis, Corinthiis; ut oneraret Galatas, et in errore gravi notaret, coniunxit secum etiam omnes fratres qui cum eo erant, quod et ipsi illis

(a) Ita codices sine copula *et*; quamquam Paulus in textu dicit *per Iesum Christum et Deum patrem*.

scribant, faciens eis pudorem quod contra omnes sentiunt."Non ab hominibus neque per hominem „ quo maiorem vim faciat praeceptorum suorum et evangelii quod adnunciat. Quippe correcturus Galatas dicit se non apostolum esse aut ab hominibus aut per hominem, sed esse per Iesum Christum et Deum patrem. Ergo credendum mihi, et habenda fides: et verum evangelium est quod profero; quippe per Iesum Christum et Deum patrem. Apostolus ergo inquit non ab hominibus neque per homines; quoniam non per apostolos, de quibus dicit quia et paucos dies cum ipsis fuit, et quia dexteras sibi dederunt: nihil ergo ab ipsis didicit. Neque per hominem vel per prophetam aliquem, ut ambigue (a); neque per Christum hominem, sed per Christum qui in homine: Christus enim et Deus et homo. " Non ab hominibus neque per hominem „ Cum dicit ab hominibus, significare videtur Matthiam, qui ab hominibus didicit: hic enim suppositus est in locum proditoris; ergo ab hominibus didicit. Quod autem dixit neque per hominem, intelligit quod non missus aut doctus est ab homine, sed per Iesum Christum, scilicet Deum. Ergo in eo quod dixit non ab hominibus, apostolos innuit; quoniam apostolus Paulus, sicuti probavit, a nullo apostolo, qui cum Christo fuit, aliquid didicit. Item ne, cum per Christum didicerit, negare videatur, ut quidam haereticus blasphemus, quod fuerit homo Christus; adiiciens non per hominem, quid illud sit subiungit, dicendo sed per Iesum Christum et Deum patrem. Cum negavit utique per hominem, et subiunxit per Christum, intelligi licet per Deum Christum. Sed quoniam subiunxit per Deum patrem, idcirco quidam vix a Paulo nominatum Deum dicunt Christum. Verum in multis locis probavimus Deum dictum etiam a Paulo. Etiam hic quoque intelligi licet: etenim si dictum est non per hominem, et subiunctum sed per Christum, intelligendum est quod et Christus Deus est. Quoniam tamen Deus quae facit, per Christum facit, sicuti multis ostendimus, idcirco dictum per Christum, et Deum patrem qui excitavit illum a mortuis. Utique ne diceretur, quo modo per Christum didicisti qui Christum non sequutus es, et Christus mortuus est? addidit, quod resuscitaverit Deus Christum a mortuis. Ergo Christus me docuit, qui resuscitatus est a mortuis; resuscitatus autem Dei patris virtute. Quod sit hoc mysterium resuscitati filii a mortuis saepe exposuimus; saepe, cum occasio erit, dicemus. Et qui mecum sunt omnes fratres. Ordinem iam supra huius sensus ostendit Paulus apostolus " et qui mecum sunt omnes fratres „ Quid subiungitur? ecclesiae Galatiae.

v. 3. Servata consuetudine qua addimus aut salutem aut aliquid tale " gra„ tia vobis et pax a Deo patre, et domino nostro Iesu Christo, qui se „ dedit pro peccatis nostris ut liberaret nos de praesenti saeculo malo se„ cundum voluntatem Dei et patris nostri, cui est gloria in saecula saeculo-

(a) Ita ee habent codices.

„ rum „. Memores simus quid in epistula agat hac apostolus; quoniam Galatas reprehendit, et corrigere cupit, ut in Christum fidem habeant, et ab ipso solo spem salutis, spem aeternitatis expectent, remissionem peccatorum; et omnino ne sibi credant prodesse vel opera legis vel sabbata vel circumcisionem. Ergo in principio pacem illis precatur et gratiam a Deo: et deinde adiunxit a Christo, quia in Christo sunt omnia nostra bona: et probat in Christo esse omnia, et per Christum omnia, cum dicit " qui se dedit pro pecca- v. 4.
„ tis nostris, ut liberaret nos de praesenti saeculo malo „. Ergo ipsius beneficio, ipsius gratia, a Deo quidem patre, sed passione eius, nos de praesenti saeculo maligno liberamur; et liberamur per Christum, sed virtute Dei, Dei scilicet cui est gloria per omnem aeternitatem. Si igitur Deus aeternus, et gloria eius in aeternum. Et ex Dei voluntate Christus mysterio functus, pro peccatis nostris se dedit, ut nos liberaret omnes, liberatio ex Dei voluntate per Christum est. Quod si per Christum est, ultra nihil quaerendum, et vana sunt illa, quae Galatae adiungunt, idest iudaismus, opera legis, et sabbati observatio, et circumcisio.

" Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gra- v. 6.
„ tiam in aliud evangelium „. Cum evangelium certum sit quod adnunciat apostolus Paulus, id est Christum Dei filium virtutem Dei in salutem (a) omnibus credentibus sive graecis sive iudaeis; nihilque praeterea, sed omnem spem salutis, et gratiae Dei circa nos in fide esse circa Christum, ut eum credamus Dei filium esse, pro nobis passum esse, resurrexisse, exinde nos quoque resurgere, cum remissione peccatorum; quod est verum evangelium, quod adnunciat Paulus; siquis aliud adiungit, idest iudaismum et circumcisionem et sabbati observationem et cetera, peccat huiusmodi, atque alienus a veritate est. Cum igitur Galatae adiungendum putaverint iudaismum ad evangelium apostoli; ideo, ait, " miror quod sic tam cito transferimini „. Primum enim peccatum est cito transferri: non enim habet rationem cum cito aliquid transfertur: et deinde quod transfertur, quoniam ab aliquo transfertur. Videamus ergo a quo " ab eo, inquit, qui vos vocavit in gratiam „. Etenim Christus qui pro nobis omnibus passus est, in gratiam nos vocavit, si in ipsum credamus; non enim magnum est gratiam eius consequi, si modo eum sequamur credentes mysterio suo ista praestitisse; et id gratis, et sine labore, et sine magnis operibus. Hoc cum sit nobis ab eo praestitum, cito ab eo transferri, magnum est mirandi argumentum, ut transferri maluerint in aliud evangelium, sociantes iudaismi disciplinam. Unum autem est evangelium, solumque unum, Christum credere Dei filium esse, Christum cum passione sua et adventu in carne et resurrectione ac passione solvisse omnia peccata, vicisse mortem, corruptionem omnem exterminasse: hoc est solum evangelium. Ideo adiungit

(a) Ita codd. sine verbo.

" quod non est aliud ,,: solum enim illud est , quod supra diximus : aliud enim
non est , neque ex operibus mereri salutem , neque ex sabbati observatione ,
neque ex circumcisione evangelium est , id est salus nostra.
v. 7. " Nisi si aliqui sunt qui vos conturbant , et volunt convertere evange-
lium Christi ,,. Dicit ergo quorumdam opera fieri non ex veritate , ut eum vo-
lunt vos conturbare , et quasi minus docti sitis , vos docere. Convertunt
evangelium Christi , cum evangelium non sit nisi Christi. Illud vero quod ex
operibus est aut ex circumcisione , Christi non est : etenim ista carnaliter
intellecta Christi non sunt ; si autem spiritaliter intellegantur (a) ut circumcisio
sit cordis , et omnia quae in carne sunt , spiritaliter intellegantur , haec in-
quam Christi evangelium sunt. Porro autem qui ad opera , et ad ea quae
sunt carnalia descendunt , Christi evangelium non habent. Ergo qui vos ob-
servare vel sabbatum vel neomenias vel circumcisionem vel cetera quae o-
peribus fiunt , volunt et iubent , isti Christi evangelium non habent : unde vo-
lunt vos convertere a Christi evangelio. Porro autem cum in Christum credi-
deritis , et in Christo omnia speranda , volunt vos conturbare dum aliud sua-
v. 8. dent. " Sed et si nos vel angelus de caelo vobis evangelizaverit praeter quam
quod evangelizavimus vobis , anathema sit ,,. Acrius ac vehementius coactum
sensum coniunxit , errare omnes , si praeter evangelium Christi quid adnuntia-
verint ; siquid nos ipsi , quibus iam credidistis , vel amplius angelus , licet
angelus de caelo , aliter evangelizaverit vobis , aliter scilicet , praeter evan-
gelium Christi , quod quidem nos evangelizavimus , anathema sit ; hoc enim
dixit praeter quam quod evangelizavimus vobis. Et mihi ergo , si aliter evan-
gelizavero , et angelo qui de caelo sit , si inquit aliter enunciaverit quam
nos semel enunciavimus vobis , sit anathema ; idest , quod supra exposuimus ,
repudietur : et sit ille sine praemio , immo magis cum poena malefacti sui.

" Sicuti praediximus ,,. Potest videri quia et in superioribus tale aliquid
praedixerit , ut anathema sit illis qui aliter praedicant evangelium : sed ideo
dixit , sicuti praediximus ut adiiceret " et nunc iterum dico ,, ut de hoc ipso
quod nuper dixit intellegatur sicuti praediximus , et nunc iterum admoneo.
Quid ? illud , quod supra dictum est , si quis vobis evangelizaverit , praeter
quam quod accepistis , anathema sit : idest sive ego aliter praedixero et e-
nunciavero evangelium , sive angelus , sive quilibet alius , anathema sit. Ad-
icit autem fortiorem rationem quia non hoc quod agit , ideo agit , ut homini-
bus suadeat , sed ut mysterium compleat , quod ei mandatum est. Sic enim
v. 10. adiungit : " modo enim hominibus suadeo an Deo ,, ? non enim inquit hoc quod
ago , ago propterea ut hominibus suadeam , sed suadeo ante dominum Deum ,
cui velim placere , ut id quod mandatum est exsequar. Graecus aliter ha-
bet , modo enim ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν θεόν (1)? Hoc est non evangelizo ho-

(a) Ita antiquior codex non per i sed per e , quae reapse est genuina palaeographia.

(1) Graecum textum (ut certe est in codice) a latino differre mihi non persuadet Victorinus.

mines, neque quae hominum sunt, sed Deum. Persuadere enim non homines volo, sed Deum Christum. Ergo et sic habeo necessitatem et metum vera dicendi, et non alia et alia dicendi. " Aut quaero hominibus placere? „ Non enim ea ago quae pro hominum commoditate sint, ut hominibus placeam, sed ut placeam Deo in eo quod obsequium praesto, et mandata compleo. Fortius autem adiungit illud quod dicit " si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem „. Etenim placere hominibus, sicuti multis rebus ostenditur, non est gratiam Dei mereri. Si quis ex operibus putat agendam vitam, hominibus placet, adhuc gratiam non meretur. " Quod si hominibus placerem. „ Ergo si vellem, inquit, hominibus placere, " Christi servus non essem „ idest non a Christo redemptus essem. Hoc est enim servum esse Christi, ut redemptus per eius passionem, a mundo atque a dominis mundi et carnis liberatus, iam Christum dominum habeam, et eius servus sim. Itaque qui hominibus placere vult, a Christo redemptus non est, et servit mundi dominis, cum hominibus placet: servus autem Christi fit qui est redemptus a servitute in libertatem: hoc est enim servum Christi esse, liberum esse a servitio mundano: is servus Christi est, qui redemptus, ut diximus, nescit illam servitutem; quae plena libertas est.

" Notum enim facio vobis evangelium, quod evangelizatum a me, quia V. 11.
„ non est secundum hominem. „ Sive, ut supra dixit, quod non ab hominibus neque per hominem apostolus sit, et nunc hoc dixit quia non secundum hominem. Etenim apostolus nunciat, id est evangelizat, quod est Dei filium praedicat Christum salvatorem omnium, per quem omnia facta sunt: et hoc ego non secundum hominem dico, idest non ab homine acceptum. Sive quia ipse ille salvator non homo est, ita ut quidam putant (1); neque quia in hominem missus, idcirco homo; sed Deus mysterio carnem sumens ad carnem vincendam, sicut multis dictum atque tractatum, homo factus est (2). Non ergo, inquit, secundum hominem evangelizavi vobis. " Notum ergo facio fratres „ qui erratis, et ad hominem deferimini et deportamini carnaliter sentiendo, observando sabbata, circumcisionem, et cetera; evangelium meum non secundum hominem est, idest ut de homine agatur, idest de carne, sed secundum virtutem animae. Omne enim mysterium ideo actum est, ut non eo modo sentiamus, quomodo secundum hominem sentiunt quidam, omnia carnaliter accipiendo: sed ipse subiunxit quid intelligi velit, quia non secundum hominem: " neque enim ego ab homine excepi illud, neque V. 12.
„ doctus sum, sed per revelationem Iesu Christi „. Non ergo secundum hominem evangelizavi, quia non ab homine accepi. Ergo si aliud est accipere ab homine, aliud erit secundum hominem: et item si aliud est non ab

(1) Scilicet non homo tantummodo est, ut quidam haeretici existimant.

(2) Verba *homo factus est* addita fuerunt in margine; postea vero deleta.

homine accepi, aliud erit non secundum hominem: unde intelligi licet secundum hominem, ut corporaliter sentias; quippe cum hoc accipiat argumentum, quia non ab homine accepi. Si enim mihi homo ista tradidisset, secundum hominem acciperem, ut omnia secundum carnem intelligerem; nunc vero quod evangelizo, non secundum hominem accipiendum est; idest non carnaliter sed spiritaliter: quippe cum hoc sit argumentum, quod non accepi (a). Si enim a spiritu accepi, et a spiritu doctus sum, spiritaliter debeo intelligere: et hoc erit non secundum hominem. Denique quid subiungit? "sed revelatum est mihi, inquit, a Christo Iesu„. Plus autem fidei habet quod revelatum dixit, quam si doceatur. Etenim homines docent, et quasi rationibus asserunt aliquid; revelatio autem, ipsarum rerum visio est; quod utique plus est. Quis autem revelavit? Iesus Christus. Non enim ita accipere debent illi, qui iam Christum sequuntur, ut ab homine intellegant acceptum, cum dictum esset, revelavit Iesus Christus, et Galatae iam acceperunt et Deum et Dei filium. Reliqua quae adiungunt, ab homine sunt, vel ab his qui illis suaserunt, vel ab ipso Moyse, qui legem dedit. Ipse quidem a Deo accepit, verum illi parum intelligentes, omnia carnaliter sentiunt. Ita tantum est mali! Etenim Moyses accepit legem hanc, et credidit: at vero apostolus revelatum sibi esse dixit, et hoc exponit.

v. 13. "Audistis enim conversationem meam aliquando in iudaismo, quia supra „ modum persequebar ecclesiam Dei et expugnabam, et proficiebam in iu- „ daismo supra multos coaetaneos meos in genere meo abundantius zela- „ tor (b) existens paternarum traditionum„. Summa huius de se narrandi haec est, uti doceat non se ab hominibus neque per hominem didicisse, sed a Deo atque a Iesu Christo: quae quidem res ad illud proficit, ut aliter Galatae non sentiant, neque adiungendum aliquid putent ad id evangelium quod eis adnunciavit Paulus; in Christum fidem suscipiendam, et credendum quod ipse salutem dat, et alius nullus: neque ex operibus salutem dari neque ex circumcisione vel sabbati observatione hoc esse evangelium, neque aliud accipi praeterea debere, quod Galatae acceperunt. Hoc ut facile probet, adiungit, uti dixi, de se narrationem, quid fuerit, quemadmodum conversus sit; postea quam conversus a iudaismo in Christum coepit credere, quae egerit: et quod omnia haec non ab hominibus didicerit; si quidem neque Petrum vidi nisi iam paratus et doctus, neque aliquem apostolorum. Nam primo, inquit, iudaeus fui; ergo contrarius: neque ab ipsis didici, quippe cum contra eos sit, quod in evangelio de Christo dicitur. Ergo fui iudaeus multa faciens contra ecclesiam; nihil ergo a iudaeis didici. Postea quam autem conversus sum, et per gratiam suam Deus revelare filium suum in me coepit; coepi, inquit, evangelizare inter gentes.

(a) Supplendum videtur *ab homine*. (b) Cod. 1. *dum lator*; 2. *eum lator*. sed deletur ibidem *eum*; 3. *lator*.

Deinde se ostendit non sibi pepercisse nec venisse se Hierosolymam, ne forte ibi didicerit ab apostolis. Sed "recessi, inquit, in Arabiam: inde Damascum redii: deinde post tres annos Hierosolymam veni". Ecce iam evangelizat, et Christum docet. Non ergo ab hominibus haec didicit: post triennium enim venit Hierosolymam. Deinde ergo vidit Petrum, et XV diebus cum eo fuit. Quando ergo didicit a Petro aut discere potuit? Deinde neminem, inquit, vidi apostolorum nisi Iacobum fratrem Domini. In quo illud utique ostendit, a nullo se didicisse, cum et cum Petro paucis diebus fuerit: et Iacobum videns fratrem Domini, magis confirmavit a Iacobo se non potuisse discere; si quidem ea in evangelio habet Paulus; contra Iacobus non haec, ut post docebimus. Deinde isse se ad partes Syriae dicit et Ciliciae; omnibus tamen iam se ecclesiis et iudaeis notum fuisse, quod cum iudaeus fuisset, etiam evangelium sequeretur et evangelizaret.

Post haec narrat, post quatuordecim annos venisse se Hierosolymam. Unde ergo didicit haec quae evangelizat? non ab hominibus, neque per hominem, sed per revelationem. Exposui, inquit, illis omnibus evangelium, quod praedico inter gentes. Deinde etiam apostolis ego magis narravi evangelium, non illi me docuerunt. Ubi et quantum per dissimulationem fecerit, docet, ut evangelium obtineret: si quidem iudaismi particulam acceperit ex necessitate, ut veritas evangelii permaneret, quod loco suo quid sit docebimus. Inde evangelium unum, et Petrum et se habere dicit; sed Petrum ut evangelizet iudaeis, se ut gentibus; et hoc sibi per revelationem datum; et haec officia divisa esse a Deo et domino nostro Iesu Christo: ipse enim in ambobus operatus est: quod confirmaverunt sententiam suam eamdem esse Petrus et Iohannes cum apostolo Paulo et cum Barnaba; et consenserunt ut isti gentibus evangelizarent, illi iudaeis. Maximum autem illud et fiduciae suae et scientiae et revelationis et evangelii sui adiungit et memorat, quod integre Petrum dicit egisse ante quam a Iacobo quidam venerunt: deinde postea quam venerunt, mutatus est: et hoc ipsum quod reprehenderit Paulus, et eum revicerit. Mutatus autem fuerat ut non ederet cum gentibus, et iudaeis cibis uteretur. Hoc a se dicit reprehensum quippe cum ante quam venissent a Iacobo, cum gentibus vivebat: postea timens veluti Iacobi legatos, cum iudaeis vixerit; etenim Iacobus admixto iudaismo Christum evangelizabat, quod negat hic faciendum. Si ergo iam hoc et reprehensum est, et in Petro cum ita ageret convictum atque superatum (a) et confirmatum; utique etiam isti Galatae, cum hoc facere coeperint, corrigendi et commutandi sunt: scilicet ut hi per fidem in Iesum Christum credentes iustificentur ex fide non ex operibus legis.

(a) Ita codex antiquior; at duo reliqui *separatum*.

Huc usque ratio de se: deinde admonitio et enarratio est satis utilis et commoda ad id quod agere cupit, ut Galatas corrigat, ne sequentes iudaismum, evangelium non sequantur; quod unum est, et in Christum veram fidem habere, et ab eo iustificari, non ex operibus legis. Post haec dat alia argumenta, quia ex Christo iustificatio fit non ex lege neque ex operibus; et est ista omnis lectio, quam supra dixi, usque ad illum locum, qui incipit ita, " si autem quaerentes iustificari in Christo, invenimur et ipsi „ peccatores; ergo Christus peccati minister est? et reliqua. Sed nunc ad narrationem (quae quare suscepta sit diximus) de sua persona redeamus. " Audi- „ stis, inquit, conversationem meam aliquando in iudaismo „. Ne novam rem de se narrare videatur, audistis inquit vitam meam: hoc enim dixit conversationem: actum scitis vivendi, quem actum habebam aliquando cum in iudaismo eram, et quemadmodum agebam, quia supra modum persequebar ecclesiam Dei. Non solum, inquit, iudaeus eram, et legem sequebar, sed contra persequebar ecclesiam et impugnabam. Ergo qui talis eram ut persequerer ecclesiam, non possum hodie qui conversus sum a iudaismo ecclesiam persequi, quam persequebar; non possum, inquam, probare ut et iudaismum sequar, et ecclesiam persequar: simulque, et quod supra dixi, in iudaismo nihil intellexi neque accepi quod ad ecclesiam pertinebat. Non ergo ab hominibus doctus sum: expugnabam ergo ecclesiam: parum est expugnabam: quid adiecit? et proficiebam in iudaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo abundantius: et cum haberem collegas, aeque omnes vincerem cupiditate, et professione in iudaismo: et abundantius agerem, idest fortior ac vehementior ad iudaismum adserendum essem: aemulator existens paternarum traditionum ut eodem modo traditiones paternas, idest lectiones iudaismi et legis, exponerem et traderem. Aemulus, idest imitator, et quasi concertatione quadam; qui et idem esse vellem quales fuerunt vel patres mei vel ipsae traditiones.

v. 15. Haec igitur cum fuerit vita, unde conversio tanta? Subiungit " sed „ cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per „ gratiam suam ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in „ gentibus „. Ordo est, " sed cum placuit Deo revelare filium suum in me „. Quid est autem placuit Deo revelare filium suum in me? idest ut ego cognoscerem Christum: prius enim est ut cognoscat, deinde ut evangelizet. Sic " qui me, inquit, separavit de utero matris meae „ idest nasci me fecit. Item " et vocavit me per gratiam suam „; id est ut ad gratiam suam venirem Deumque cognoscerem, evocavit: nemo enim cognoscit Deum, nisi qui vocatus est. Vocavit ergo me, et placuit ei ut revelaret filium suum in me; ut ego, inquit, cognoscerem, et sic deinde ut eum evangelizarem inter gentes. Hoc postea quam placuit, quid sequutum est? " continuo non adquievi carni et sanguini. Ergo re-

(a) Cod. pergere.

velatum, inquit, mihi est quod evangelizo. Et omnino laboravi carnaliter. Hic enim labor non est. Nam si divina unnciat, et ea quae gratiam Dei habent animo labor non est, sed labor carnis et sanguinis, idest discurrere, ferre itineris laborem, provincias et gentes peragrare." Non autem acquievi inquit carni, et sanguini,,. Caro enim et sanguis homo exterior totus est. "Neque veni Hierosolymam ad praecessores meos apostolos,,. Hinc enim videri potuit ab hominibus vel per homines didicisse si Hierosolymam pregeret, et cum maioribus et praecessoribus diu viveret. Non, inquit, ivi ad apostolos praecessores meos, non ab ipsis didici; sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Hoc est quod accepit per revelatiouem a Deo, ut evangelizaret inter gentes. Abii, inquit, in Arabiam. Quam longum iter! et cum redit Damascum, quam diversum? Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum. Ergo iam tribus annis evangelizaverat inter gentes. Quid utique, nisi quod a Deo acceperat, ut Christum revelatum sibi gentibus evangelizaret? Post tres, inquit, annos Hierosolymam veni. Deinde subiungit causam, videre Petrum. Etenim si in Petro fundamentum ecclesiae positum est, ut in evangelio dictum; cui revelata erant omnia Paulus scivit videre se debere Petrum; quasi eum, cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret (1). Denique quid subiungit?" et mansi apud eum diebus quindecim,,. Ergo mansi tantum. Numquid paucis diebus tantam istam de Deo scientiam tam parvo tempore a Petro potui discere? "Alium autem apostolorum nemiuem vidi, nisi Iacobum fratrem Domini,,. Magna doctrina etiam hoc adiunxit magnoque ingenio: primo quod ita dixit, apostolorum neminem alium vidi: nam Iacobum apostolum Symmachiani faciunt quasi duodecimum (2): et hunc sequuntur qui ad dominum nostrum Iesum Christum adiungunt iudaismi observantiam (3): quamquam etiam Iesum Christum fatentur: dicunt enim eum ipsum Adam esse, et esse animam generalem, et alia huiusmodi blasphema. Ergo hic Paulus negavit Iacobum apostolum (4), dicendo " alium autem apostolorum neminem vi-

(1) Locus insignis pro Petri auctoritate, quam etiam sapientissimi in Ecclesia doctores revereri apprime debent.

(2) Notabilis admodum est hic Victorini locus de haereticis symmachianis; adiungendusque paucis illis veterum auctoritatibus, quas ob huius haereseos tradendam notitiam, collegit Fabricius in scholiis ad Philastrium cap. LXIII.

(3) Iacobum iudaisisse conversis ex iudaismo christianis, ut mosaicos ritus partim saltem sectarentur, constat ex actibus apost. XXI. 20, ubi Paulus ad Iacobum seniores que Hierosolymis versantes introductus, audivit eos sibi dicentes: *vides, frater, quot millia sunt in Iudaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis.* Idem tamen Iacobus in concilio apostolico (act. XV. 13.) secutus erat Petri sententiam, ne videlicet ii saltem qui ex ethnicis accedebant ad Christum, iugo legis mosaicae subiicerentur.

(4) Quaestio inter viros ecclesiasticos diu ventilata num Iacobus, qui primus Hierosolymorum episcopus fuit, fraterque Domini dictus, e collegio duodecim apostolorum sit, nec ne. Quae rursus quaestio ex alia controversia pendet, utrum tres Iacobi fuerint an tantum duo; qua super re docte disputavit inter ceteros Florentinius ad martyrolog. hieronym. dissertatione illa qua tres Iacobos fuisse contendit. Victorinus certe noster Iacobum episcopum hierosolymitanum e numero apostolorum eximit: consequenterque tres Iacobos admittit: nam Iacobi duo recensentur diserte inter apostolos act. I. 13.

di „ quod neminem apostolorum alium vidisse se dixit, nisi Iacobum. Et causa, quare Iacobum, adiecta est " fratrem Domini „ qui frater est habitus secundum carnem. Cum autem fratrem dixit, apostolum negavit. Videndus autem hic fuerat honorifice. Sed neque a Iacobo aliquid discere potuit, quippe cum alia sentiat. At neque a Petro, vel quod paucis diebus cum Petro moratus est; vel quod Iacobus apostolus non est, et in haeresi sit (1). Adiecit autem " et Iacobum „ Vidi ergo nominatim quid Iacobus tractet et evangelizet: et tamen quoniam cognita mihi est ista blasphemia (2), repudiata a me est, sicut et a vobis, o Galatae, repudianda. Non enim potestis dicere, negas Iacobum, et inde ea quae nos sequimur repudias, quia non vidisti Iacobum. Adiecit ergo " vidi et Iacobum „ Nec error est: quem Iacobum fratrem inquit Domini, id est auctorem sententiae vestrae. Ita nihil apud me valuit. Et cum non secutus sim, et novi eius sententiam. Quia ergo nihil mihi incognitum est, nec ille valuit persuadere, frustra vos eum sequimini (3).
v. 20. " Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior „ De-
ferenda fides erat etiam iure iurando. His enim, qui iam erraverunt a fide,
ea inquit quae scribo vobis non mentior, ecce coram Deo omnia profiteor
v. 21. me narrare, quemadmodum gesta sunt. " Deinde veni in partes Syriae et Ci-

(1) Nemo heic scandalum inconsulte patiatur. Non enim Victorinus infami sensu heic haeresim dicit, sed grammatico et naturali. Ecce enim in concilio apostolico (act. XV. 5) *surrexerunt quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant, dicentes quia oportet circumcidi, praecipere quoque servare legem Moysi.*

(2) Damnatam fuisse a Petro in concilio apostolico sententiam de retinendis in christiana professione mosaicis ritibus, eique decreto primum omnium adsensisse Iacobum, tradunt actus apostolici cap. XV. Ob id blasphema sententia evasit; videlicet siquis ethnicos ad baptismum accedentes Mosi obtemperare cogeret. Porro a blasphemia longissime aberat Iacobus, qui nonnisi iudaeos conversos passus est oeconomiâ quadam retinere ritus patrios. Nonne etiam Alexandriae iudaizantem in primordiis ecclesiam narrat Hieronymus de vir. ill. cap. VIII? Quid quod ipse Paulus aliquando necessitati cessit v. gr. cum Timotheum circumcidit?

(3) Ita se habet hic locus in antiquiore codice otthoboniano, a quo duo reliqui Victorini codices derivati fuerunt. Sed enim vetustior is codex manum emendatoris interdum expertus est; quae modo in marginibus scripsit *lege caute*; modo etiam, quamquam raro, textui vim intulit, deletis nempe antiquis particulis (quae tamen omnes sub litura adhuc leguntur) diversis autem in ora libri suppositis. Has autem emendationes receperunt in textum reliqui duo codices; ita ut genuinum et sine interpolatione textum codex unus aliquando suppeditat, quem ego semper exprimendum curavi. Cave tamen putes factam esse in vaticana bibliotheca interpolationem: namque hic codex otthobonianus nonnisi anno MDCCXLIX, beneficio Benedicti XIV, in pontificiam bibliothecam est illatus; manus autem interpolantis adeo vetustior hac aetate est, ut mihi ad saeculi XV. initium referenda videatur. Igitur qui codicem interpolavit, ita scripsit hoc loco in codicis ora: *non ergo hic Paulus asserit Iacobum apostolum, dicendo alium autem apostolum vidi neminem, nisi Iacobum. Cur autem adiecit fratrem Domini? quia frater est illius habitus: videndus autem hic fuerat honorifice. Sed neque a Iacobo aliquid discere potuit, quippe cum alia sentiat. At neque a Petro, vel quod paucis diebus cum Petro moratus est; vel quod Iacobus apostolus in ea sententia est, ut servet legalia; quae quidem a me repudiata est, sicut a vobis, o Galatae, repudianda est. Non enim potestis dicere, ea quae nos sequimur, repudias, quia Iacobum non vidisti. Adiecit ergo, vidi et Iacobum fratrem Domini auctorem sententiae vestrae. Scilicet ita nihil apud me valuit, ut eum non sim sequutus, licet eius noverim sententiam. Quia ergo nihil mihi incognitum est, nec ille valuit persuadere, frustra vos eum sequimini.*

liciae „ hoc est evangelizare per gentes. " Eram autem ignotus facie ecclesiis V. 22.
Iudaeae, quae sunt in Christo „. Idest iam notum erat evangelium paene omnibus ecclesiis Iudaeae, quod ego adnunciabam (quae tamen Iudaea est in Christo, non in iudaismo Iudaeorum.) Multae autem ecclesiae sunt in Christo, quibus omnibus erat notum evangelium, quod de Christo habet. " Eram tamen ipse ignotus facie „. His ergo omnibus, quid ostendit? iam se evangelium suum omnibus persuasisse, etiam cum absens esset." Tantummodo audiebant quod is, V. 23.
„ qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem „. Hoc et miraculo dicit fuisse omnibus, quod utique et esse debet ad miraculum: audiebant, inquit, omnes quod ego qui iudaeus fuissem, qui persequerer christianos et ecclesias aliquando, nunc evangelizarem fidem, idest ut omnes haberent fidem in Christum: quam fidem antea denegabat, quam aliquando expugnabat. Miraculum ergo erat ut hodie evangelizaret fidem, qui aliquando expugnaverat; quod ipse fecerat. " Et in me, inquit, magnificabant Domi- V. 24.
num „. Quia omnes iam capiebant virtutem Dei, et magnificum Deum dicebant, quod ego conversus essem; et expugnator qui fueram, nunc essem praedicator. Sic fiebat ut magnificarent Deum in me; idest magnum dicerent, qui conversa subito mente praedicarem dominum Christum, scilicet quem ego antea expugnabam. Quid enim tam magnificum, quam vinci mentem, et accipere contrariam et praedicare eam quam ante expugnaras fidem? Quod si ita est, ergo et vos nihil aliud sequi debetis, nisi quod vobis evangelizat fidem Christi.

" Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum CAP. II.
„ Barnaba, assumpto et Tito „. Semel enim ante, post triennium; nunc post V. 1.
annos quatuordecim iterum, inquit, ascendi. Ergo evangelium a me gentibus enunciatum, per revelationem accepi, non ab hominibus neque per hominem didici. " Cum Barnaba et assumpto Tito „. Hos utique ut testes habet, per quos probat evangelium suum per revelationem sibi datum; si quidem Barnabas mecum, inquit, ascendit; assumpsit etiam Titum; quorum fides probata omnibus et evangelium. " Ascendi autem secundum revelatio- V. 2.
„ nem, et exposui illis evangelium quod praedico inter gentes „. Magnis argumentis probare nititur evangelium ex revelatione sibi datum, quod inter gentes praedicaret a Deo esse: nam ascendi, inquit, Hierosolymam secundum revelationem; ut etiam docerem omnes; etiam ipsos Iudaeos: exposui, inquit, omnibus evangelium quod praedico inter gentes. In quo intelligitur, ex eo quod nemo contradixit, nemo restitit, hoc verum esse evangelium et unum: siquidem hoc quod praedico, inquit, inter gentes exposui in Hierosolyma. Sed potuit ignorare populus. Quid adiecit? " seorsum autem his „ qui firmamenta videbantur esse „. Idest per quos mandata Dei trade-

bantur et evangelium , ut apostolis ceterisque ; his inquit seorsum expo-
sui evangelium quod praedico inter gentes , ut si quid esset quod aliter
traderent , corrigerent , vel quod ipse aliter traderem , emendarent. Haec igi-
tur causa fuit cur ascenderem Hierosolymam : et propterea mihi revelatum est
ut ascenderem , quo facilius cognosceretur bonum evangelium , et meum inter
gentes , et illorum inter Iudaeos. Quod autem seorsum illis ostendit , est , ut
Iudaeos de medio tollerent , et inter se mysteria communicarent ipsi , qui no-
verant. Quibus omnibus cum fuisset una sententia atque unum evangelium ,
quid persuadere nititur ? nihil novi addere debere , nihilque coniungere. Unde
peccant hodie Galatae sequendo iudaismum et disciplinam vel circumcisionis vel
sabbati vel rerum ceterarum , " Ne forte in vacuum currerem aut cucur-
rissem ,,, Idest ne non integre evangelizarem : si enim minus aliquid evange-
lizavi , in vacuum cucurri , aut in vacuum nunc etiam curro. Si enim prodest
circumcisio , sabbati observatio , rerumque ceterarum , non erit ex gratia Chris-
ti salus , et in vacuum curritur.
v. 3. " Sed neque Titus qui mecum erat graecus compulsus est circumcidi ,,. Illud
explicat , nihil omnino actum esse ab his qui pseudo-apostoli sunt , idest ab
his qui evangelio Pauli , hoc est nuntio de filio Dei Christo , per quem est
fides et certa salus , huic inquam evangelio adiungendum putant esse , cir-
cumcidi , observare sabbatum , et cetera ; haec , inquam , non valuisse ait ; ne-
que persuasum esse Tito , qui utique , inquit , graecus erat , id est paganus , ut
compelleretur circumcidi , ac propterea non tamen illi persuasum est , neque
ipsi quidem ausi sunt illum compellere. Ita consensus apostolo factus est de
evangelio omnium , qui apud Hierosolymam fuerunt. Unde peccant Galatae ,
v. 4. qui novum istud adiungendum putant. " Sed propter subinductos falsos fratres ,
,, qui subintraverunt auscultare libertatem nostram , quam habemus in Christo ,
,, ut nos in servitutem redigerent , ad horam cessimus subiectioni ,,. Quidam haec
sic legunt " nec ad horam cessimus subiectioni (1) ,, et est sensus integer cum su-
periori , ut neque graecus Titus compulsus sit circumcidi , nec tamen nos ces-
simus vel ad horam subiectioni ; idest ut in aliquibus cederemus. Quoniam
v. 5. tamen in plurimis codicibus et latinis et graecis (2) ista sententia est , " ad horam
cessimus subiectioni ,, idest ferimus quae illis facienda videbantur , sed non ut
semper sequeremur ; multis modis probatur legendum ita esse , ad horam cessi-
mus subiectioni ; primum quia vere cessit ; nam et Timotheum circumcidit prop-
ter Iudaeos , ut ait in actibus apostolorum (3). Ergo mentiri non debuit aposto-
lus. Deinde nec ad horam quis diceret , si negare opus fuerat omnino fac-
tum. Et certe si Petro restitit , quid est hic nec ad horam cessimus ? Item

(1) Sic est in editione Pauli vulgata.

(2) Huiuscemodi varietatem ex patribus collectam exhibet Wetstenius in scholiis criticis ad hunc locum. Consule etiam Sabatierium.

(3) Cap. XVI. 3.

si supradictum neque Titus, qui mecum erat graecus, compulsus est circumcidi; non ergo in omnibus nec semper aut multum; postremo propter inductos fratres, qui erant miscentes iudaismum christianismo. Et hinc propter Iudaeos declaravit certe semper consilium suum, ut aliquando cederet, etiam his rebus quae verae sunt. Nam hinc illo sensus est, qui iudaeus ut Iudaeos lucrifacerem, et cetera huiusmodi. Ergo nunc propter subinductos falsos fratres (quoniam multi pseudo-apostoli, quos falsos fratres dicit) quidam coeperunt addere, subintrare persuasionibus suis, atque auscultare libertatem verborum apostolicorum; idest intrare cupiebant nos. An veri apostoli tamen Christi? an temptabant libertatem nostram quam habemus in Christo? Cum ergo illorum consilium videremus, ut nos inducerent in servitutem, ad horam quidem cessimus subiectioni, idest ad breve tempus ut aliqua faceremus. Non hoc cuicumque, sed perfecto et in fide corroborato permissum intelligere debemus, ut propter Christum aliqua faciat que extra regulam sunt; dummodo ea, quae facit, prosint legi, idest ut animae liberentur. Et id multis in locis probatum, et a Paulo gestum ostendemus, uti cedat non verae regulae; exinde corrigat, atque inducat ad veram regulam multos. Hinc et illud est quod concedit et secundas nuptias, et quod ipsas nuptias (1), et quod etiam cibos et omnes cibos: et idolothytos cibos quamquam prohibeat, fiducia tamen et certae fidei concedit. Cum enim Christus in animo sit, et Christus nutriatur per fidem in nobis, cedere ad tempus regulae non verae periculum non est; si modo tamen hoc ideo faciamus, ut eos adducero ad veram regulam ipsa prima societate possimus. Denique sic subiungit " cessimus subiectioni, sed ad „ horam, ut veritas evangelii permaneat apud vos „; vos qui a nobis instructi. O Galatae, non cessimus, ut et vos faciatis, sed ut illis satisfieret atque inducerentur ad veram regulam, et apud vos veritas evangelii ut permaneret.

" Ab his autem qui videntur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil v. 6.
„ mea interest, Deus hominis faciem non accipit.) „ Ita positum " ab his „ quasi ex his qui videntur esse aliquid, vel ab his qui ab ipsis provenerunt pseudo-apostoli (2), tamen aliquid essent, idest mutarentur, sequerentur iam evangelium. Quicumque igitur nunc videntur esse aliquid, et ab his orti sunt, ut ante tales fuerint, nunc vero integri, (hoc est enim esse aliquid): quales ante fuerint, idest aliquando, nihil inquit mea interest: sufficit enim mihi qualis sit, neque curo qualis ante fuerit. Et adiungit causam " Deus „ enim hominis faciem non accipit „ sed mentem, sed fidem: utrum graecus, utrum iudaeus, utrum aliquid fuerit, non hoc Deus accipit, sed quid

(2) Codd. *pseudo—apostolis*; sed tamen postrema *s* videtur expuncta in antiquiore codice.

(1) In ora codicis antiquioris adnotatur *caute lege*.

ait; et an fidem susceperit et evangelium: non enim in praeindicio veritatis acceptat Deus personam: neque ego illos accepi, qui dicebantur columnae esse. Hoc est ergo quod ait: mihi enim qui aliquid existimantur esse, nihil coutulerunt, hoc est nihil me docuerunt, nihil addiderunt, sed evangelium meum probaverunt. Ergo, et vobis nihil debuit addi ad evaugelium, quod
v. 7. vobis pronunciavi. "Sed magis contra cum vidissent quoniam creditum est
8. 9. „ mihi evangelinm praepntii sicut Petro circumcisionis; qui operatus est Pe-
„ tro in apostolatum circumcisionis operatus est mihi in gentibus: et co-
„ gnita gratia quae data est mihi „ Petrus et Iohannes (1), qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt. Ordo: mihi illi praecipui viri Petrus et Iohannes et Iacobus, qui columnae esse videbantur, dexteras dederunt; idest consensum commodarunt, cnm viderent mihi creditum esse evangelium praepntii, idest per geutes eodem modo creditum, ut Petro evaugelium creditum est circumcisionis ut evangelizaret per Iudaeos. Quare antem creditum mihi sicnt illis, snbiunctum est "qui enim operatus est Petro in aposto-
„ latum circumcisionis, operatus est et mihi in gentibus „: idest unus Deus atque idem Deus ipse operatus est ut Petrus evangelizaret Iudaeis, et mihi nt ego evangelizarem gentibus: qua gratia cognita, quae data est mihi, qnod et ego pari modo per gentes apostolus factus snm Dei gratia; coactns Petrus et Iacobus et Iohannes, qui videbantur colnmnae esse, idest qui sustentabant ecclesiam, ut colnmnae sustentant culmina et cetera; isti, inquam, tales vel tanti dexteras mihi dederunt, idest copulaverunt amicitiam et pacem et firmitatem, et unum evangelinm se habere prounnciaverunt. Vos ergo, Galatae, peccatis; et neque meum sequimini evangelium, neque Petri, Iacobi, Iohannis, qui columnae sunt ecclesiae, dnm additis ea quae a nullo adprobata. Hoc enim agit in hac omni narratione, peccare Galatas, addendo ad fidem in Christnm, observationem legis iudaicae et sabbati et circumcisionis.

"Et Barnabae societatis. „ Non mihi tantum dexteras dedernnt societatis, sed etiam Barnabae, qui mecnm fnit socius. Plus autem adiecit, ne videretur sibi tantum creditum. Verum autem probatum est evangelium Pauli, si probatnm est et Barnabae, qui comes fuit Pauli; cui data est societas per dexteras ab his qui in Hierosolymis apostolatum gerebant, et evangelium nuntiabant Iudaeis. Unum verum probat esse evangelium apud omnes, et Galatas errare. "Ut nos in gentibus, ipsi autem in circumcisione praedicarent „. Ad hoc dexteras dederunt, consensnm commodantes in evangelium et mihi et Barnabae, ut nos praedicaremus in gentibus, ipsi autem Iudaeis, hoc est in
v. 10. circumcisione, evangelium praedicarent. "Tantummodo nt pauperum memores essemus „. Ita si quid corrigendum esset, corrigerent et monerent: si quidem

(1) *Addendus est Iacobus.*

quod addendum putavissent, adiecissem. Quid tamen illud " ut pauperum memores essemus?" In omni epistula sua Paulus ita agit. Cum igitur ista tractarent Paulus et Barnabas cum Iohanne et Petro et Iacobo, admissum evangelium est eodem modo, ut tradit Paulus, et confirmatum est. De hac tantummodo disputatione non admitti opera ad salutem, non libenter audierunt: monuerunt tamen ut memores tantum pauperum essemus(a). Ita et ipsum consentiunt, non ibi esse spem salutis, si in pauperes opera (b) efficiamus (1); sed tantummodo quid admonent ut memores essemus pauperum; non uti consumamus omnem actionem nostram, sed non habentibus id quod possumus habere commodemus. " Memores tantum ut simus pauperum ". Non in hoc curam et sollicitudinem ponamus, totamque virtutem salutis nostrae retinendae. Ita paene correctus in hoc est et admonitus, tamen non fatetur: ut memores essemus, inquit, non ut hoc ageremus, sed ut in memoria haberemus; quod est minus quam in hoc operam ponere, et hoc solum complere. " Quod etiam sollicitus fui etiam hoc ipsum facere ". Plus adiecit ut etiam de hoc praeter evangelium, quod praedicabat, habuerit sollicitudinem, ut circa pauperes memor esset, et quodcumque posset praestaret. Etiamsi revera pauper nullus est, si modo fidem servans, et in Deum credens divitias expectat salvationis suae. Nam victus praesens, et parvus est et sufficiens, et qui non magnopere constet vel praestanti vel accipienti.

" Cum autem venisset Petrus in Antiochiam, in faciem illi restiti, quoniam V. 11.
reprehensus (c) erat ". Non solum, inquit, evangelium meum probatum est ab his apostolis, qui erant in Hierusalem, neque solum admonitus sum, ut pauperum memor essem, quod bene officium est, necessarium tamen; quod ipsum implevimus, et sollicitus fui hoc ipsum ut facerem; verum etiam, inquit, peccatum Petri non tacui; in quo libertatem suam ostendit, et fiduciam de evangelio suo, si quidem quod aliter fiebat a Petro, reprehendit. Rursusque etiam illud quod utique Petrus reprehensus magis erumperet reprehendere, si quid in me vitii esset; meque si non recte sgerem in evangelio, proderet; et laesus non parceret. Cum in Antiochiam, inquit, venisset Petrus, non per ecclesiam
loquutus sum et apud plebem, sed in faciem illi restiti, idest aperte con- V. 12.
tradixi. Et unde fiducia fuit? non ipse eum reprehendit, sed reprehensum ab omnibus arguit et accusat, quoniam reprehensus erat. Ergo et ille populi iudicio peccavit, et accusatus est; et populus siquid in me peccati esset, pari modo reprehenderet, sicut illum reprehendit." Prius enim quam venirent quidam ab Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat se ti-

(a) Codd. *essent*. (b) Codd. *operas*. (c) Ita codd.

(1) Videlicet sine recta fide vel sine gratia Dei. Legendus autem Bellarminus est, qui hanc quaestionem plenissime et acutissime tractat de iustif. lib. I. cap. XIX. sqq.

„ mens eos qui erant ex circumcisione. Et consenserunt cum illo et ceteri „ Iudaei, ita ut Barnabas consentiret simulationi eorum „. Aperte ipsum peccatum explicat, quid fecisset. Quod quidem peccatum se reprehendisse dicit in Petro, fortasse nunc tacuisset: suffecerat enim correctum esse Petrum reprehensione populi, et aperta huius accusatione: sed quoniam prodest, et ad epistulam maxime necessarium, idcirco narratur. Ubi duo agit; primum quoniam evangelium suum privatum non esset reprehensum, et ipse cum reprehenderet Petrum nihil a Petro reprehensionis audierit; tunc deinde illud quod dixi maxime necessarium est, uti quoniam Galatae, omisso evangelio primo, regulae evangelii adiiciendum aliquid (a) putabant, ut et sabbatum observarent, et circumcisionem, et eodem modo viverent ut Iudaei; hoc quoniam Galatae faciunt, idcirco haec epistula ad illos scribitur: unde optime narratur, quia id ipsum a Paulo reprehensum est in Petro, et populus reprehendit: unde colligitur et hos quoque peccare. Quomodo autem vel quid admiserit Petrus, sic subiungit per narrationem: prius enim, inquit, ante quam venirent quidam a Iacobo, cum gentibus edebat tenens evangelium integrum, et regulam eius, ut aequaliter de Christo adnuncietur et Iudaeis et gentibus, et non observetur cibus Iudaeorum, sed vivatur simpliciter more gentium. Hoc prius, inquit, faciebat Petrus ante quam ab Iacobo venirent quidam. Iacobus enim frater Domini, qui (b) auctor est ad Symmachianos (c), primus apud Hierosolymam sibi hoc adsumendum putavit, uti et Christum praedicaret, et viveret ut Iudaei, omnia faciens quae Iudaeorum lex praecipit, idest quae sibi Iudaei observanda intellexerunt. Ab Iacobo ergo quidam cum venissent ad Petrum; veritus, inquit, et timens subtraxit se ne cum gentibus ederet. Sed hoc reprehendit quod antea eum gentibus edebat, et nunc subtraxit se, timens eos qui erant ex circumcisione, idest homines ab Iacobo venientes.

Atque id parum est quod ipse faciebat; inde (d) magnum peccatum, quod alii illi consentiebant. “ Et consenserunt cum illo et ceteri Iudaei „. Sic accipiamus hic Iudaeos qui iam tamen Christum acceperant, ut consentirent illi, et Christum accipientes, et iudaicam disciplinam et observantiam; nisi enim hoc accipiamus, quid erit “ consenserunt illi „ si illi suo more viventes secundum iudaicam disciplinam agerent? Sed qui iam evangelium perceperant Christo credendo, quemadmodum et ipse prius cum gentibus edebat, postea illo subtrahente se, et timente eos qui venerant ab Iacobo (quos timebat scilicet ex circumcisione viros) ita ceteri consenserunt, ut non cum gentibus viverent, sed cum circumcisione, idest cum Iudaeis et ipsi qui Iudaei erant antea. “ Ita ut et Barnabas consentiret simulationi eorum „. Ita inquit male simulaverant cum Iudaeis

(a) Codd. pro *aliquid* habet *ad vitam*. (b) Codd. *quia*. (c) Ita codd. Ego vero malim *auctor est Symmachianis*. Porro non Iacobus haeresim symmachianam peperit, sed cum sibi Symmachiani auctorem calumniose assumpserunt. Recole p. 9. (d) Codd. *unde*.

vivere, dimissis gentibus, ut Barnabas consentiret illis: de quo supra dictum
quod socius sit Pauli, et evangelium integre tenet: consensit tamen illis, et illo-
rum simulationi. Quid igitur intellegimus simulationem? Nam etiam Petrus,
et Barnabas et ceteri Iudaei vere transierant in hoc ut et iudaica disciplina
vitam agerent, sed ad tempus propter praesentes, et simularent: et idcirco, in-
quit, et Barnabas consensit eorum simulationi. Ita accipiendum: nam neque Pe-
trus neque ceteri transierant ad iudaicam disciplinam, sed ad tempus consenserant;
quod quidem aliquotiens fit simulata consensione: verumtamen unde peccabat
Petrus? quia non ille (a) ad inducendos Iudaeos ista finxerat, ut consenti-
ret illis; quod fecit ipse Paulus, et fecisse se gloriatur, ut consentiret
Iudaeis, sed ut illos lucrifaceret: sed quod Petrus (b) simulavit quidem, in eo
tamen peccavit, quod subtrahebat se timens eos qui erant ex circumcisione.
Propter timorem igitur cum simularet seque abstineret a gentibus, ipsi
simulationi et Barnabas consentiret, idcirco inquit ego aperte restiti, et
eum accusavi, non recte propter timorem illum ita simulasse.

Deinde sic subsequitur. "Sed cum vidissem quoniam non recte ingrediuntur v. 14.
ad veritatem evangelii „. Tenebant quidem evangelium et integre tenebant, et in-
tellegebant non ita vivendum quemadmodum vivunt ex circumcisione; sed quoniam
simulabant, idcirco male evangelium interpretabantur, et male ad veritatem evan-
gelii non recta via pergebant. Hoc ergo cum viderem, dixi Petro coram om-
nibus: id est quod supra dixit in faciem restiti; et aperte dixi, et coram om-
nibus dixi: si tu cum sis iudaeus gentiliter vivis, quomodo gentes cogis iu-
daizare? Utique intellexit etiam Paulus Petrum simulasse propter metum, ut
non cum gentibus viveret. Itaque non hoc illi obiicit; quia dicere poterat
ille, simulavi. Quid igitur obiecit illi? vixisti cum gentibus, et vivis cum
gentibus: si enim ad tempus consensionem habes, sine dubio gentiliter vivis:
quoniam simulatio decipit multos, peccas: cogis enim gentes iudaizare. Ita
et intellexisse ostendit consensisse Petrum Iudaeis, sed simulatione; et tamen
illum peccare, primo quia timuit eos qui venerant; deinde quia ceteri fal-
lebantur et cogebantur iudaizare, non intellegentes illum simulare. Hoc ergo
colligit, et dixisse memorat: si (c) tu, Petre, cum sis iudaeus gentiliter vi-
vis, idest cum gentibus vivis, quomodo ipsas gentes cogis iudaizare? idest iu-
daicam disciplinam agere et in cibis et in observationibus?

" Nos natura Iudaei, et non ex gentibus, peccatores; scientes quia non iusti- v. 15.
„ ficatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi Iesu: et nos in Christo
„ Iesu credimus, ut iustificemur ex fide, et non ex operibus legis: quoniam ex ope-
„ ribus non iustificatur omnis caro „. Adhuc pars orationis est ipsius Pauli accu-
santis Petrum et ad eum loquentis quod non recte iudaismo consentiret, et sic in-
duceret gentes iudaizare. Nos, inquit, Iudaei, idest ego et tu Petre, et cete-

(a) Codd. *unde aliquod non ad inducendos illos*, pro *quia non ille*. (b) Cod. *in Petro*. (c) Codd. *quare* pro *si*.

ri qui peccatores sumus (1) non tamen ex gentibus, sed Iudaei sumus, nempe in Christum fidem sumimus, qua utique ratione cum Iudaei essemus; scilicet quia scimus non iustificari hominem ex operibus legis sed iustificari per fidem, et fidem Iesu Christi; cum hoc igitur sciremus, nos inquit in Christo Iesu credidimus, et credimus, ut iustificemur ex fide non ex operibus legis; quia ex operibus legis, non iustificatur omnis caro, idest homo qui in carne est. Ergo si hoc scientes credidimus per fidem iustificationem fieri, utique erramus, si nunc ad iudaismum redimus, ex quo transivimus, ut non ex operibus iustificemur sed ex fide, et fide in Christum: ipsa enim fides sola (2) iustificationem dat et santificationem. Ita quaelibet caro sive iudaei sive ex gentibus non ex operibus neque observatione legis Iudaeorum, sed iustificatur ex fide.

v. 17. " Si autem quaerentes iustificari in Christo, inveniemur et ipsi peccatores,
" ergo et Christus peccati minister est "? Etenim peccatores cum sint Iudaei, et
peccatores non ex gentibus, et cum accepta fide in Christo agimus quod Iudaei
agunt, qui ideo in Christum fidem sumimus, quia non ex operibus legis
iustificari intelleximus hominem, in qua (3) volumus iustificari in Christo; obser-
vantes legis opera, peccatores efficimur: iam fit ut Christus peccati mini-
ster sit; quem ideo accepimus, ne peccaremus; nunc accepto ipso, cum ad
peccata redeamus, idest iudaizemus, factus est Christus peccati minister?
Sed hoc inquit absit: idest non ita oportet sentire, non ita agere, ut Chri-
v. 18. stus peccati minister sit, qui ideo passus est ut peccatum interiret. " Si enim
" quae destruxi, iterum haec aedifico, praevaricatorem me constituo ". Cum enim
credidi iudaeus in Christo, destruxi legem et legis opera: nunc autem post
credulitatem in Christum si revertor atque ago legis opera, aedifico quae
destruxi, et sum iam praevaricator, qui contra facio quam utilitas et virtus et
causa postulat. Cuius autem praevaricator sum? non legis, sed Christi: man-
data enim Christi in praevaricationem traho, si ad iudaismum revertor, et
ea observare incipio quae condempnavi observanda; quia intellexi non ex ipsis
iustificari hominem, sed ex Christo.
v. 19. " Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam ". Potest
videri duas leges dixisse Paulus, unam Christi alteram Moysi, ut ipsi
legi mortuum se dicat, quae fuit Iudaeis data, per legem quae a Chris-
to data sit: ut hoc sit, per legem legi mortuus sum; idest per legem
Christi mortuus sum legi Iudaeorum ante datae. Potest autem videri, quod fre-

(1) Notabile dictum, quod demonstrat Victorinum posuisse comma ante *peccatores* in textu suprascripto Pauli, secus ac est in vulgata editione, ubi *peccatores* respicit *gentes*.

(2) Ita loquutos alios quoque patres aliquot scimus, quos recenset explicatque Bellarminus lib. cit. cap. XXV. Ego vero nolo nunc ingredi pelagus controversiae de iustificatione. Ecce tamen sacer Iacobus ep. cap. II. *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens filium suum super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus eius, et ex operibus fides consummata est?* - *Ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum,*

(3) Subintellige *fide*.

quenter ait Paulus, sed et ipse Salvator, ut idcirco duas leges hinc nominaverit, quoniam eadem ipsa velut duplex est, una cum carnaliter, altera cum spiritaliter, intellegitur. Ante autem carnaliter intellegebatur; et ex operibus et ex circumcisione et ceteris observationibus carnaliter intellectis legi serviebatur: at postea quam Salvator verum et spiritale lumen apparuit, intellegi lex coepit spiritaliter; facta velut alia, cum eadem ipsa lex sit. Ergo erit sensus: ego enim per legem quae nunc spiritaliter intellegitur, legi mortuus sum; illi scilicet legi, quae carnaliter intellegebatur. Et cum ita sit, quia tamen spiritaliter intellego legem, mortuus sum legi carnali, ut Deo vivam. Sic enim Deo quis vivit cum praecepta illa in lege posita non carnaliter intellegit, sed spiritaliter; idest quid sit vere circumcidi, quid sit verum sabbatum, quid cetera, quae multis locis et tractata sunt et tractabuntur.

" Cum Christo crucifixus sum ". Hoc est iam aliam legem accepisse, ut iam homo vetus fixus sit cruci, idest tota caro, idest omnis homo vetus, et desideria carnis. Hoc enim Christus mysterio suo, et mihi egit. Confixi ergo cum Christo sumus cruci. " Vivo autem iam non ego, sed vivit in me Christus ". V. 20.
Idest iam spiritus factus sum, spiritaliter intellegendo mandata Dei. Ante totum circa carnem me exhibebam, et eius desideriis vel serviebam vel imperabam, nihil spiritaliter intellegens. Nunc ergo quoniam ipse spiritaliter vivo, vivit in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei et Christi. Hoc est vere spiritaliter vivere, ut cum in carne quis vivat, non propter carnem vivat, neque ex carne, sed vivat Deo et Christo in fide eorum: quod est vivere spiritaliter, de ipso cogitare, ipsum loqui, ipsum credere, ad ipsum desiderio tendere, fugere mundum, exponere omnia quae in mundo sunt ex animo: hoc est fide vivere, a nullo aliud boni sperare quam a Christo et a Deo: hoc est in fide vivere et Dei et Christi, qui me dilexit et tradidit tantum beneficium, ut se pro nobis daret morti et cruci, ac sic nos de peccatis liberaret.

Denique sic subsequitur: " non sum ingratus gratiae Dei " ut cum ipse V. 21.
me heredem fecerit per Christum, et Christus se tradiderit pro me, ego dimissa omni spe quam habeo in Christo, redeam ad spem legis ut credam ex operibus legis me iustificari. Hoc est ingratum esse ei qui mihi tantum praestitit, ut pro me se obiiceret, et me a peccatis liberaret per peccata in se punita. " Nam si per legem iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est ". Plena conclusio circa errores Galatarum et eorum qui ad christianismum iudaismum addunt: etenim, inquit, si iustitia est per legem, frustra mortuus est Christus. Si enim ideo mortuus est Christus, quoniam iustificatio non contingebat ex lege, debeo Christum tamen sequi: sin autem etiam post adventum Christi per legem iustificari me credo, non est mortuus Christus propter me, et gratis mortuus est, idest sine causa mor-

tuus est. Pugnat et adversum sibi est, credere in Christum, et legis opera sequi; cum enim lex ex operibus suis non iustificaret hominem, idcirco Christus venit, ut morte sua iustificatio homini fieret: nunc cum ad legem reditus fit post fidem in Christum, gratis videbitur Christus mortuus esse, ut nihil nobis praestiterit; quippe cum iam praestabat hoc lex. Porro autem non praestabat hoc lex; et ideo Christus venit, ut ipse praestaret: ergo non gratis mortuus est Christus; sed per ipsum nobis iustificatio provenit: quod si ita est, ex operibus legis non est iustitia.

CAP. III. V. 1. " O stulti Galatae quis vos fascinavit, ante quorum oculos Christus „ Iesus proscriptus est (1), et in vobis crucifixus „? Non patiuntur fascinum, nisi qui in bono aliquo pollent, et patiuntur a malignis et invidis: et cum bonum ex evangelio vero accepissent, et in Christum crederent, et eius promissa sperarent, nunc cum adiungere coeperint etiam iudaismi disciplinam, quis, inquit, vos fascinavit, ut a bono vestro recederetis? Estis igitur stulti, idest non intellegentes. Quid autem admiserunt, unde stulti sunt? quod illis persuasum est colere iudaismum. Ergo proscriptus Christus est, idest bona eius distracta et vendita sunt, quae utique in nobis erant, et iudaismi persuasione proscripta sunt, vendita et perdita. Ergo stulti, quorum ante oculos Iesus Christus proscriptus est, ut ea bona in vobis praesentibus perirent, ut pereunt illa quae proscribuntur: quod non restitistis, non repugnastis, et idcirco stulti. Denique et in hac sententia etiam illud est quod in vobis crucifixus est Christus; hoc enim fecerunt et in vobis illi Iudaei, qui vobis persuaserunt ut iudaismum sequeremini, quod fecerunt Christo ut in crucem tollerent: sic et persuadendo vobis iudaismi disciplinam, et vobis Christum crucifixerunt. Stulti ergo vos, Galatae, perdidistis ex
V. 2. vestris animis Christum et eius bona. Nescio quis igitur vos in bonis vestris fascinavit. " Hoc solum volo discere a vobis „. Nihil movebo nihil reprehendam; hoc solum, inquit, volo discere, et a vobis discere; " ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei „ quo meliores ad Dei cognitionem esse coepistis? Unde, inquit, provenit vobis accipere spiritum, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Cum ergo vobis evangelizavi, ex auditu fidei spiritum accepistis: non ergo ex operibus legis. Aut si non ex operibus legis, quare nunc adiungitis iudaicam disciplinam, ut ex operibus legis spiritum accipere vos credatis, et de Deo sentire, et Deum sperare, cum iam accepistis spiritum ex auditu fidei? idest quod audistis fidem in Christum sequendam? Quod si ex auditu, contra fidem fit cum ex ope-

(1) Notemus lectionem *proscriptus* (pro *praescriptus*) quam alii quoque prisci patres repraesentant.

ribus legis spiritum vos accipere creditis, cum hac sola fide in Christum spiritus detur et datus vobis est.

" Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consumemini „? v. 3.
Expressit quid sit ex operibus legis, et quid sit ex auditu fidei : etenim opera legis nihil aliud agunt, nisi ut carni satisfaciant, ex carne adfectum patiantur, carni subveniant. Secundum carnem igitur sapit, qui ex operibus legis iustificari se credit. Vos igitur, inquit, sic estis stulti, sic non intellegentes, dum adiungitis opera ad iustificationem vestram; quod est secundum carnem sapere; ut cum spiritu coeperitis per evangelium a me datum, ut ex auditu fidei in Christum acceperitis spiritum, nunc exitum actus vestri et vitae carne consumetis; idest operibus ad carnem et secundum carnem sus-
ceptis? " Tanta passi estis sine causa „? Facile adducit ad patientiam talis oratio, v. 4.
quae reprehendit et monet, et tamen ipsam reprehensionem rursus reprehendit; namque reprehendit quod dixit, tanta passi estis sine causa, subdens " si tamen sine causa „. Monet autem cum dicit, tanta passi estis; ut cum toleraverint multa fortiter cum acciperent fidem, etiam spiritaliter viverent : necessario enim qui spiritaliter incipit vivere, dum abiicit mundana, dum sustinet cum novello suo homine invidiam graecorum et gentium imperitarum, multa necesse est patiatur, quae utique passos dicit Galatas. Verum cum tanta passi sitis, hoc magis dolendum quod sine causa passi non pervenistis ad praemium ex fide, propter quam tanta passi sitis. Ne desperare tamen videretur, quod dixit sine causa, correxit reprehensionem suam dicendo, si tamen sine causa : possunt enim corrigi; ut non sit sine causa quod passi sunt, sed habeant causam perseverationis in fide praemium et confirmationem promissorum ex Christi fide.

" Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis ex v. 5.
„ operibus legis operatus est, an ex auditu fidei „? Quoniam supra dixit, tanta passi estis, et exposuit quae passi viderentur, vel talia atque eiusmodi, in eo tamen quod toleraverunt, utique virtutes habuerunt circa tolerantiam : coniungit igitur " qui tribuit vobis spiritum, operatur virtutes in vobis „ quibus virtutibus tanta passi estis et tolerastis. Iam ex hoc utique intellegere illos facit, quod operatus sit in his Deus virtutes plurimas : et si operatus est virtutes, tribuit illis spiritum. Ergo confirmato eo quod datus sit illis spiritus, recte procedit interrogatio, utrum ex operibus legis operatus sit Deus in illis virtutes an ex auditu fidei. Utique autem non ex operibus; non enim ulla opera a vobis progressa sunt, sed audistis fidem, et obaudistis fidei; et propterea operatus est in vobis Deus virtutes : et si operatus est, tribuit vobis spiritum : operatus est autem, et tribuit spiritum, si quidem multa et tanta passi estis. Hoc autem sine quare (1)? sine causa?

(1) Nota *quare* substantivum, quod postea barbari, a plebeia latinitate acceptum, passim in scriptis suis frequentaverunt.

Quod tamen correxit, quod non sine causa: nam sperat illos corrigi posse. Redit igitur ad confirmationem quod ex auditu fidei ista omnia eis provenerint: et id approbat, ut numquam mirabile aliquid eveniat et incredibile, nisi obaudiatur fidei evangelii.

Dat igitur similitudinem ex lectione quae continet admirabilia passionum, quae passi sunt Galatae, et toleraverunt per fidem, ac propterea per spi-
v. 6. ritum datum et virtutem sibi a Deo operatam " sicut Abraham credidit Deo et reputatum est ei ad iustitiam. In genesi (1) hoc positum quod Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad iustitiam ,,: ita Deus operatur virtutes cum fides provenerit in hominum animis, et fides ut in Deum credant. " Reputatum est, inquit, Abrahae ad iustitiam, quia credidit Deo ,,. Ergo et vos tanta perpessi estis et tolerastis atque vicistis: et virtutes in vobis operatus est Deus atque operatur, quia per auditum fidei credidistis Deo. Intellegitur ergo
v. 7. quoniam qui ex fide, hii filii sunt Abrahae. Semini enim Abrahae promissa sunt multa; ipse autem ex fide acceptus est ad iustitiam. Ergo quicumque sunt ex fide, hii sunt filii Abrahae, ut saepe admonuimus. Omne mysterium, quod a Domino nostro Iesu Christo actum est, fidem solam quaerit: fuit enim pro nobis actum, et in nostram resurrectionem actum et liberationem, si fidem in mysterium Christi et in Christum habeamus. Hoc enim praelusit divinitas et praemisit, ut ex fide homo iustificaretur. Ut reputatum est igitur Abrahae ad iustitiam, quia fidem habuit; sic et nos, si fidem habemus in Christum eiusque mysterium, erimus filii Abrahae, idest reputabitur nobis omnis vita (2) ad iustitiam. Denique sic adiungit: et mysterium circa Abraham idcirco gestum est, ut ex fide iustificarentur homines, ex fide scilicet in Christum.

v. 8. " Providens autem scriptura quia ex fide iustificat gentes Deus, praedixit Abrahae,, hoc est prophetae, ut id quod gerebatur circa unum, circa alios pronunciaretur ad futura saecula. Providens, inquit, scriptura, idest quae futura sunt videns; scriptura, idest prophetia quae scripta est. Quid providens? " quia iustificare habet Deus gentes ex fide ,, idcirco eadem scriptura praedixit Abrahae. Quid autem praedixit? ex fide iustificari gentes. Denique subiungit exemplum scripturae, quod benedicentur; idest in quo Abraham ad iustitiam reputatus (a) est, scilicet ex fide. Hoc exemplum de genesi est. Ergo qui ex fide sunt, benedicentur, quod est ad iustitiam illis reputabitur; et a Deo benedicentur; benedicentur autem a Deo iustificati: iustificari autem est liberari a lege servitutis. Ergo hii qui ex fide benedicentur, quia ex fide benedictus est Abraham, benedicentur. Totum igitur fides est. Hoc ad Galatas quemadmodum revocatur? scilicet quoniam tantum ex fide non ex operibus benedictio pro-

(a) Ita codd.

(1) Cap. XV. 6.
(2) En Victorinus agnoscit ad iustitiam nobis reputari vitam bene actam post fidem susceptam.

venit et iustificatio. Illi igitur erraverunt, qui praeter fidem quam acceperunt in Iesum Christum dominum nostrum, adiungendam etiam legem putaverunt et praecepta legis, idest ut ex operibus iustificationem crederent. Denique ita adiungit, ut et contrarium doceat, ex operibus quid proveniat; ne veluti hoc aestiment Galatae, et fidem retinere credant in Christum, et nihilominus prodesse sibi amplius posse, si agant aliquid et ex operibus.

At contra apostolus negat ex operibus benedictionem provenire: sed quod est
etiam gravius, et contrarium benedictioni, sub maledictione esse eos, qui
ex operibus agunt. " Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledictione V. 10.
sunt ". Vehementer igitur adiunxit non modo non benedici eos qui ex operibus sunt, sed etiam eos esse sub maledictione qui ex operibus legis sunt. Quod autem dixit ex operibus legis, intellegamus esse etiam opera christianitatis (1), maxime illa quae saepe apostolus mandat, sicut sibi mandatum ait " pauperum memores simus " et cetera quae in hoc apostolo (a) ad vivendum praecepta retinentur, quaeque opera ab apostolo omni christiano implenda mandantur (2). Alia igitur opera legis, scilicet observationes, immolationes agni cum iam pascha completum sit per Christum, ceteraque opera quae faciunt etiam circa circumcisionem et cibos vel habendos vel praestandos intellegamus. Igitur opera legis cum nescimus, Christus qui in caelis est et ad carnem usque descendit, utramque ecclesiam copulat et iungit. Est ergo mediator; et mysterio suo per angelos disposito, quasi mediator liberat istam ecclesiam, idest membra ecclesiae, et revocat ad superiorem ecclesiam. Ergo mediator cum sit
Christus " non est autem unius mediator qui mediator est: Deus autem unus V. 20.
est " Christus est qui revocat et iungit ecclesiae membra sua. Num igitur lex hoc facit? numquid lex mediator est? Si ergo lex mediator non est; neque enim cum lex sit factorum, iungit aliqua quae sunt separata; de factis enim tantummodo indicat: quae idcirco interposita, inquit, quousque veniret Christus, idest semen cui promissa est hereditas, in cuius manu dispositum est, quod dispositum est per angelos, qui mediator est, et mediator

(a) Ita codd.

(1) Hieronymus in hunc ipsum apostoli locum sic commentatur: *exemplum quo probatur iustus ex fide vivere, et non ex operibus, de Abacuc tulit* etc. *Considerandum itaque quia non dixerit, homo aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda, sed " iustus ex fide vivit ": ut quicumque fidelis esset per fidem victurus, non aliter posset ad fidem venire, vel in ea vivere, nisi prius iustus fuisset, et puritate vitae quasi quibusdam ad fidem gradibus ascendisset. Potest ergo fieri ut sit aliquis iustus, et tamen non vivat absque fide Christi* etc. *Faciamus et nos aliquid simile huic quod dicitur " iustus ex fide vivit " et dicamus: castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit* etc. Certe quod sola fides iustificet, id theologica doctrina, si severe loquamur, non patitur. Nonne enim spes quoque necessaria est, praecipueque charitas ad iustificationem?

(2) Si mandantur ab apostolo bona opera, sequitur ut ad consequendam salutem necessaria sint. Quid quod Christus ex operibus, praesertim misericordiae, patratis vel omissis iudicium humani generis peracturus est?

utique inter duo. Dixique duo; Deus autem unus est: ergo mediator Dei tantum esse non potest, quia unus Deus. Ita nullo modo lex iustificat, nullo modo lex factorum hereditatem consequitur: quia heredes illi sunt qui inde originem ducunt, et inde spiritum accipiunt, unde hereditas veniet; scilicet iungente Christo ea quae sunt separata, et liberante partem ecclesiae quae hic per errores mundi tenetur, et revocante ad ecclesiam caelestem: ipse est enim solus mediator. Mediator autem, ut docuimus, non unius: reliqui enim post Deum, unum non sunt: solus autem Deus unus est: ergo quidquid extra Deum est, multa sunt, quae adiungi possunt, quia inde sunt, aut separata sunt, quia ita mysterium fuit, et ita est etiam nunc, ut iungantur; quia longe alia sunt et divisa et hostilia et peritura. Solus ergo Deus cum sit, praeter Deum mediator est, qui tamen non est unius mediator. Ipse autem mediator, alia quae inter se mysterio quodam discreta sunt, quodam rursus mysterio reconciliat atque coniungit. Sumus autem nos, et qui separati sumus per maiores nostros, et iuncti rursus per maiores quidem, sed secundum Christum, idest secundum fidem: unde apparet sine mediatore nos non posse liberari. Quod si ita est, vana spes est de factorum lege credere iustificationem et salvationem; quae, ut diximus, non mediator est: solus enim Christus mediator, qui iungit illa inter quae mediator est. Ergo per Christum iustificatio et liberatio, non per legem factorum.

VICTORINI IN EPISTULAM PAULI AD GALATAS
LIBER PRIMUS EXPLICIT.

VICTORINI PHILOSOPHI

IN EPISTULAM PAULI AD GALATAS

LIBER SECUNDUS.

Omnis, ut diximus, ista epistula ad Galatas illud operatur, illud expugnat,
quod sibi adsumendum putaverunt Galatae uti cum iudaica disciplina atque
observatione, Christi fidem servarent et evangelium tuerentur. Hoc neque ita
esse neque se ita mandasse apostolus docet, atque omnino frustra illud es-
se quod ex lege iustificatio et salus speratur. Omnia enim ex fide proveniunt:
promissio quippe liberationis et iustificationis et hereditatis in caelo et su-
pra caelum Abrahae data ex fide est, ita et eius semini. Quod si ita est,
docet omnino ex lege atque ex operibus eius secundum praecepta comple-
tis nullam iustificationem, nullam liberationem, hereditatem nullam prove-
nire: ob quam causam cum impugnare legem videatur, merito quaestio pro-
ponitur. "Quid ergo, inquit, lex adversum promissa„? Etenim si lex nihil agit
ex operibus suis, et est haec posterior; promissa enim priora facta sunt Abrahae V. 21.
(quia lex per Moysen data factorum iustitiam tenet); quodammodo videtur aut
frustra data aut esse contraria promissioni lex. Nam si nihil operantur opera
ex lege, et nihil praestant, contra promissa lex est: promissa enim cum he-
reditatem polliceantur et iustificationem; haec lex quae ex operibus est, dum
avocat a fide, dum in alio occupatas animas tenet, ut promissa non ex fide
expectentur, sed ex alio, idest ex operibus, adversum promissa lex est. Non
autem verisimile est, ut cum legem Deus dederit, eadem rursus lex adversum
promissa data esse videatur: quae utique adversum promissa est, si in alio
occupat nos, scilicet ut opera compleamus ex lege praecepta, et non expec-
temus ex fide, quod promissum est, ut hereditatem caelorum fide consequa-
mur in Deum.

Verum adversum hoc quid respondeat, sic accipiemus: ait enim primum generaliter: absit; idest non convenit ut id a Deo factum esse videatur, et adversum promissa sit, quod dedit legem, quae occupatum hominem in aliis rebus cum tenet, evacuat promissionem, facitque meritum esse, non fidem; idest ut operibus omnibus factis iustificationem merito consequamur, non fide sola. Ergo absit, inquit: deinde supponit rationem. Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia. Diximus quod lex a Moyse data, nihil aliud quam peccata docet quae peracta sint, et quemadmodum vitanda sint monet, nihilque aliud scriptura conclusit, nisi ut sub

peccato omnia praecepta poneret et de peccato (a). Haec, inquit, non ideo data
lex est, quae posset vivificare: nam si ita data esset, vere ex lege esset iu-
stitia; nunc autem non ita data est, ut (b) vita inde quaeratur, sed data
est, ut scriptura sua (c) omnia peccata et doceat et vitanda demonstret. Non
ergo ex lege iustitia est, idest non est inde iustificatio, neque salus sed ex
v. 22. fide, sicuti promissum est. Denique sic subiungit: " sed conclusit scriptura om-
" nia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus." Hoc,
inquit, actum est per Moysen, ut ipse quidem de peccato legem constitue-
ret, et omnis scriptura de peccato et quae sunt sub peccato concluderetur;
ut quod promissum erat, ex fide fieret, et hereditas ex fide Iesu Christi da-
retur credentibus. Ergo his omnibus quid agit vel egit? ut fides sola Iesu
Christi sufficiat ad iustificationem liberationemque nostram.
v. 23. " Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in
" eam fidem quae futura erat, ut revelaretur " ne vacua lex fieret, vel
adversa promissis. Quomodo dicit necessariam? quoniam expectatio de fide
futura erat, et promissio per fidem. Prius, inquit, ante quam veniret
fides, custodiebamur, idest quodammodo duce lege atque custode vitam co-
lebamus integram ex vitato peccato et ex cognito; ut cum Christus ve-
niret, nos veluti conclusi in illam fidem, quae futura erat, expectaremus ad-
ventum: in cuius fidem credentes, praeparati per legem, cum peccata vitare-
mus atque opera legis efficeremus, facile promissum ex adventu, fidem scili-
cet in Christum, habere possemus. Non ergo fidem in legem habere debemus
sed in adventum: nam conclusi, inquit, eramus per fidem; in eam, inquit, fidem
quae futura erat, idest Christi; ut revelaretur eadem fides, cum ille venisset.
v. 24. "Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo,". Quomodo enim qui pueros docent,
monent viam, quantum possunt, vivendi et ostendunt, non tamen ipsi magistri
sunt plenae vitae: sic et lex quasi paedagogus fuit, sed non sibi profuturus
neque plenus paedagogus ad vitam docendam: sed in Christo, inquit, idest
usque ad Christum: et sic custodiebat lex nos circa peccata monendo, ut in
Christo omnem spem salutis ac vitae habere possemus " et ex fide iusifice-
mur,". Non ex lege, sed ex fide, inquit, ut liberemur, hoc est ut iustifice-
v. 25. mur, et hereditatem promissionemque capiamus. Veniente autem fide, idest
Christo ipso (tunc enim orta fides est, idest tempus habere coepit, ut fi-
des esset, atque in eum crederemus ubi tota salus est; et Iudaeis con-
tra, qui non crediderunt) iam non sub paedagogo sumus, idest iam non
sub lege vivimus, quia custodivimus praecepta legis quae ad ipsam fidem
spectant, cui parabamur paedagogo legis. Veniente ipso Christo, idest ipsa fide,
iam non sub paedagogo vivimus, sed ex fide vivimus vel vivemus. " Omnes

(a) Ita codd. Dubitabam autem num forte verba *et de peccato* ad sequentem periodum devolvenda essent.
(b) Codd. *non ut*. (c) Ita codd. *sua* id est *legis*. Vel pro *sua* legendum est *sacra*.

„ enim estis filii Dei, fide in Christo Iesu „. Haec est enim hereditas ut consequamur vitam aeternam: tunc enim sumus filii Dei. Sed unde istud? fide in Christo Iesu. Tunc fidem in Iesum Christum habemus, idest dum in illum credimus, quod filius Dei sit, et quod ipse nos salvet, et quod illud mysterium pro nobis egerit, et illa omnia que in evangelio diximus. Verum illud hic animadvertendum, quod cum de rebus loqueretur, ad personam se vertit, ubi blandimentum ostendit quo facilius persuaderet. " Omnes, inquit, filii v. 26.
estis „. Supra " sub pedagogo sumus „ nunc velut apostrofat(1) ad ipsos: filii estis, inquit, Dei; sed filii ex fide in Iesu Christo.

" Nam quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis „: hoc v. 27.
est in Christo filii Dei estis. Quid est illud in Christo? quoniam quicumque baptizatur in Christo, iam filius Dei est: quicumque enim baptizatur, in Christum (a) baptizatur: baptizatus autem in Christo, induit Christum. Habet enim Christum quicumque baptizatur; et iam est in Christo, dum habet Christum: dum habet Christum, filius Dei est, quia Christus filius Dei est. " In Christo enim non est iudaeus neque graecus, non v. 28.
„ servus, neque liber, non est masculus, neque femina: omnes enim vos „ unum estis in Christo Iesu „. Tollit ergo reliquas personas hominum, quae possunt accedere vel ex conditione vel ex natura humana vel ex gente. His enim rebus separati inter nos esse possumus, ut alius iudaeus sit, alius graecus, servus alius, liber alius. Haec, conditione vel iure; at illa, natura. Non est, inquit, masculus neque femina. Quid ergo? his sublatis omnibus, unum inquit, vos estis omnes in Christo Iesu: quod estis unum accepto spiritu a Christo, Christus estis. Ergo filii Dei estis in Christo: " ergo Abrahae semen v. 29.
estis secundum promissionem heredes. Quod si ita est, completum est illud, quod Abrahae semini promissum est; unde et vos estis semen Abrahae, secundum fidem; et vos in Christo estis, ac propterea semen estis Abrahae: secundum promissionem heredes estis, quia Abrahae semini promissa est hereditas. Vos autem baptizati in Christo Iesu Christum accepistis, et Christus estis; semen ergo estis Abrahae. Si semini promissa hereditas, vobis quoque hereditas dabitur, et heredes estis secundum promissionem.

" Dico autem quamdiu heres parvulus est, nihil differt a servo, cum do- CAP. IV.
„ minus sit omnium „. Per adiunctam similitudinem perseverat, ut quid fuerimus V. 1.
ante adventum Christi sub lege, doceat; quid, postea quam venerit. Solvens enim quaestionem illam, an adversum promissa lex fuerit, dicit ad tempus legem datam, quae nos sub custodia contineret; ac praecepta tradens custodiret a

(a) Ita codd.; quamquam supra et infra *in Christo*.

(1) Ita codd. Est autem aler Victorinus vel novator vel parum bonus latinitatis auctor, ut ex editis abunde constat.

peccatis, quousque tempus veniret in adventum Christi, ut heredes promissionum esse possemus. Ergo, inquit, heredes eum parvuli sunt, quod est tempus sub lege ante adventum Christi, eum inquam parvuli sunt heredes, nihil differunt a servis: licet enim domini futuri sint omnium, quod heredes futuri, tamen dum non venit tempus, quo tempore exserant plenum domini
v. 2. nomen, quasi quodam officio servitutis teneutur; sed non in perpetuum, quousque suae sint aetatis et libertatis, et heredis possint implere et nomen et potestatem. Hoc est quod subiungit: " sed sub curatoribus est, et acto„ribus usque in praefinitum tempus a patre „. Omnis, inquit, heres, dum est parvulus, est sub curatoribus. Lex illa Moysi velut sub curatore et actore custodiebat futuros heredes, vel iam qui essent, sed pleni non erant propter aetatem; quoniam ipsi per se agere non possunt, nec capere effectum vel plenum nomen heredis. Nec tamen illo tempore sic servi sunt, uti vere serviant, sed sub custodia agunt: ut servi sint in tempus praefinitum a patre. Sic enim vel actor vel curator vel tutor valet patris instituto, ut eum ille in pubertatem suam venerit, agat iure suo, libera voluntate, atque acceptam hereditatem gubernet. Haec, ut dixi, similitudo refertur ad eos, quibus lex data est.

v. 3. " Ita et nos cum essemus parvuli sub elementis huius mundi eramus „ servientes. Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium „ suum „. De alio quaestio fuit; et in reditione ad similitudinem, aliud subiungit, idest amplius aliud quam fuerat ante positum. Nam eum ageretur de lege, quae data fuerat, velut interposita post promissa, et ante adventum Christi diceretur interiectam esse legem, quoniam adhuc parvuli fueramus, et sub legis custodia positi; et sicut ipse dixit sub lege custodiebamur, et erat nobis lex paedagogus; quamquam, inquit, lex paedagogus erat, sed in Christo tamen (omnis dictio superior de lege fuerat, quousque veniret tempus, ut secundum promissionem heredes esse possemus) haec, ut dixi, cum de lege loqueretur, et similitudinem adiungeret, integro sensu persequebatur. At nunc in conclusione non ad legem sed ad elementa retraxit: " et nos, inquit, cum essemus parvuli „ Quid subsequi debuerat? sub lege vivebamus. At non hoc adiunctum est; sed " sub elementis huius mundi eramus servientes „. Hoc aut alterum est a superioribus, aut ad superiora (a) pendet. Quaerendum est quomodo non sit alienum. Sine dubio illud est supra dictum, quod quicumque in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Qui autem induimus Christum, neque iudaei neque graeci sumus. Si autem neque graeci neque iudaei sumus qui induimus Christum, iam non mundi sumus: etenim mundus hominem ante adventum Christi aut iudaeum habebat aut graecum. Vel iudaeus vel graecus, dum legibus suis ageret, sub elementis

(a) Ita codd.

mundi vita gerebatur. Namque est (1) apud Iudaeos puniri sacrilegum, furem, falsum testem, et cetera. Eodem modo et apud Graecos, idest apud paganos (2), ista legibus vindicabantur et vindicantur. Elementa vero mundi simul habent secum, et motus suos, et quasi quasdam ex motibus necessitates; ut in sideribus, quorum conversione hominum vita vel in necessitatem ducitur: et sic serviunt elementis homines, ut astra iusserint, ut mundi cursus imperaverit (3): quibus omnibus solvitur, quisquis in Christum fidem habens dominum vitae suae a Christo spiritum acceperit, ut omnem mundi necessitatem, elementique vim fugiat et vitet, neque mundo serviat, sed domino Christo serviens, habeat spiritu regente in suis actibus libertatem. Amplius igitur quam sperabatur illatum est, ut intellegerent omnimodo relinquendam Galatae legem iudaicam, atque eius praecepta et observationes et opera: cum videant etiam mundi ipsius atque elementorum legem esse subversam, nec valere sub Christo, et conversionis mundanae vim penitus everti.

" Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum edi- v. 4.
,, tum ex femina ,,. Ut in rebus est plenitudo, ita et in temporibus: est

(1) Ita codd. Verbum autem *est* regit *τὸ puniri*. Sic Victorinus etiam in opusculo edito contra Manich. cap. II: *inde enim est Christo habere carnem*.

(2) Sic Victorinus de *ὁμοουσίῳ* recip. cap. I: *Graeci quos paganos vocant*.

(3) Cum dicit ethnicos ab astris regi, christianos nequaquam, nondum omnem superstitionem exuisse videtur Victorinus: nec mirum; nam contra genethliacos scribebat adhuc Nicetas aquileiensis (centum post Victorinum annis) teste Gennadio cap. XXII, quod Nicetae opusculum amissum dolemus. Ego vero memini me in ambrosiana bibliotheca olim legere pervetustum codicem (M. 77. pl. sup.) cui tres membranae, integumenti interioris causa, additae erant. In his autem membranis scriptura antiquissima maiorisque moduli inerat; sed passim palimpsesti faciendi gratia scalpro erasa, ita ut pauci versus nec sine lacunis a me potuerint exscribi. Est autem in his invectio contra genethliacos atque eius generis hariolos; quae invectio utrum ex cognitis an ex incognitis Patrum scriptis sit, vestigare non est otium, praesertim quia fragmentum perexiguum hiansque est. Sic autem olim legebam: . . . " qui ,, cuique e nascentibus, vel quomodo divinae ,, providentiae administratio. Multi multa huma- ,, nis suspicionibus tribuendum censuerunt. Ergo ,, coniectata litteris . . . simul fulmine ali- ,, quid perculiatur: quae communia tantum va- ,, lent, quantum praesumptione animorum, qua- ,, si quadam communi lingua cum (divinationi- ,, bus) federata sunt. Quae tamen plena sunt ,, omnia pestiferae curiositatis, cruciantis solli- ,, citudinis, mortiferae servitutis. Non enim quia ,, (certa, ideo) animadversa; sed animadverten- ,, do atque signando factum est ut valerent. Et ,, ideo diversis diversa proveniant, secundum co- ,, gitationes et praesumptiones suas. Illi enim ,, ipsi qui decipere volunt, talia praecurant cui- ,, que, qualibus eum irretitum per suspiciones et ,, consensiones eius vident. Sicut enim verbi gra- ,, tia una figura X, quae decussatim notatur, aliud ,, aput Graecos, aliut aput Latinos (denotet) ,, non natura, sed placito significandi . . . . ,, Linguam quoque noverit *qui augurium pro-* ,, *dit*, si homini graeco velit aliquid significa- ,, re . . . Non in eam enim significationem ,, ponit, cum hominis . . . uno eodem so- ,, no aput Graecos littera, aput Latinos . . . ,, In his duabus syllabis aliut Graecus aliut La- ,, tinus intellegit. Sicut ergo hae omnes signifi- ,, cationes, pro suae cuiusque societatis consen- ,, sione animos movent, diverse movent; nec ,, ideo consenserunt in eas homines, quia iam ,, valebant ad significationem, sed ideo valent ,, quia . . . quaedam . . . daemonibus ,, partim inventa referenda cupidis malorum . . ,, secundum pulcherrimum ordinem providentiae ,, . . . generi humano . . . quibus impie- ,, tatis, curiositatis . . .

enim plenitudo sua cuiusque. Omnibus abundans et plena et copiosa perfectio rerum plenitudoque Christus est : temporum plenitudo consummatio est liberationis. Quemadmodum autem Christus, ut plenitudo tota sit et perfecta, colligit membra quae dispersa sunt, et efficitur plenitudo; ita eodem modo et temporum plenitudo tunc effecta, cum maturatis ad fidem omnibus, et peccatis usque ad summa surgentibus, medicina necessario ad rerum omnium mortem quaerebatur: unde subvenit Christus, temporum plenitudine perfecta. Diciturque quod misit Christum suum: suum inquam ante quam mitteret, intellegamus, post autem editum ex femina. Sed misit filium suum, idest qui sibi fuerit filius; misit autem. Quomodo misit? editum ex femina. Sic enim mysterio suo Christus Dei filius subvenit mundo, ubisque omnibus: nos enim mundus sumus. Cum et ipse induens carnem, idest editus ex femina, omnia quae in mysterio agenda fuerant compleret, idest ut videretur, et audiretur, et pateretur, et moreretur, et resurgeret: ideo misit editum ex femina; cum, qui suus filius fuisset, editum ex femina. Quidam ita dicunt, editum ex muliere: et habent ipsi, propter positum a se verbum, quaestionem; cum virgo Maria sit vel fuerit (1), quare dixerit editum ex muliere? In usu loquendi feminam dicimus, quod Graeci γυνὴ dicunt. Deinde ex eo quod ediderit Christum, cur non mulierem diceret? Omnis enim femina quae edit aliquid, mulier dicitur: virtus autem mysterii quamquam et occulta et sancta sit, tamen ut interim in transitu agnosci possit, sic attendenda est, quod omnia quae perfecta sunt, vir dicuntur; omnia quae imperfecta, femina. Denique cum perfectis omnibus sanctificatisque et iustificatis concurrere in virum reperimus (2). Sic enim dictum esse (a) intellegi licet: cum mundus, vel nos in ipso mundo positi, non perfectissimus, feminarum modo et mulierum exigimus vitam.

Ut igitur Christus salutem nobis praestans vel praestaturus (b) ad nos veniret, natus est ex femina, idest accepit et illam partem, quae imperfectum eum redderet, et nobiscum se parem faceret, idest vel carnem vel mundum; in quo mundo vel in qua carne cum esset editus, utique ex femina, idest ex non perfectis mysterio completo, santificatus etiam post passionem et post resurrectionem vir effectus, idest perfectum spiritum habens atque recipiens, similitudinem nobis daret, ut et nos in virum consurgeremus ex femina, idest ex hac vita, quae cum corrupta est, merito vel femina vel mulier nominatur. Hinc enim malum ex femina: nam et in primo homine non peccatum nisi ex femina.

(a) Codd. *est*. (b) Ita codd.

(1) *Vel* pro *et* non est insolitum; v. gr. p. 26. vers. ult. Ceteroquin quod Deipara non solum ante editum Iesum, verum etiam postea, perpetua virgo fuerit absoluta ecclesiae catholicae auctoritas est. Virginitatem Deiparae memoravit Victorinus etiam in comm. ad rhet. Cic. I. 40.

(2) Ad Eph. IV. 13.

" Factum „ Sub hoc verbo error plurimus nascitur ut exinde intellegant non natum filium , sed factum , quia dixit " misit Deus filium suum „ editum ex femina , factum sub lege „. Sed multum interest , utrum filium factum diceret , an factum sub lege. Aliud est enim filium missum esse , qui iam fuit filius , et utique cum filius natus , nunc autem cum ex femina editus est , potest dici factus ab hoc ut sub lege esset. Quid est autem dixit " factum sub lege „ ? ut non inter gentes nasceretur , sed apud Iudaeos , et in disciplina ac lege Moysi. Omnis enim illic poterat esse correctio ; etenim in Israhel populus Dei dictus est , cui legem Moyses a Deo accepit , et dedit ipsi utique male intellegenti legem ; et idcirco peccanti debuerat subvenire , et peccata ei auferret ; si modo idem ipse populus cognosceret Dei filium. Poterat enim si alibi nasceretur , idest inter gentes , Israhel idcirco non cognoscere , quod non in sua gente natus videretur. Hinc autem maiora peccata iste populus admisit , quod in sua gente , idest in lege Moysi , inter Israhel natus , non est cognitus , cum ipsi genti , idest et David , dictum sit , quod semini eius daretur hereditas et aeternitas. Ergo cum David sit pater Israhel , ibi natus est , ut illum agnoscerent. Unde maius peccatum est , quod non agnoverunt factum sub lege.

Multa dici possunt , quare factum sub lege ; vel quod ibi iam Deus unus colebatur , vel quod iam acceperant a Deo oracula atque praecepta , vel quod Moyses imago et typus fuit Christi ; vel cum ipse , cum hoc esset quod hii qui sub lege sunt , et alio modo praeciperet atque a lege pro salute discederet (a) , non observando sabbato ceteraque ; exinde scirent , non in operibus legis neque ex lege salutem sperare. Unde etiam Galatae intellegerent (b) se in errorem esse delapsos , siquidem etiam Salvator ipse , in quem crediderunt , sub lege factus , non tamen servivit legi. Verum haec et alia multa , quare factus sit sub lege , non colligenda , quoniam (c) ipse causam subiecit , quare factus sit sub lege , " ut eos qui sub lege erant , redimeret ; „ ut filiorum adoptionem reciperemus „. Haec , inquit , causa est cur Deus misit filium suum ; et misit utique iam filium , sed nunc editum ex femina ; et misit factum sub lege. Quae causa est cur sub lege ? ut eos redimeret qui sub lege erant. Ergo si ut redimeret missus est , magis obligati sumus si a lege redimimur. Sed et ipse sic et alio in loco (1) cum de femina loquitur : quoniam cum vir eius vivit , obligata est viro ; at si perierit , liberata est a viro. Ergo quoniam lex praeceptis velut tenebat vinctos , ad vitae tantum integritatem , non et ad spem liberationis et aeternitatis , misit filium suum Deus , et sub lege misit , idest in Israhel , ut eos qui ibi fue-

(a) Codd. *descenderet*. (b) Codd. *intellegere*. (c) Codd. *quoniam non*.

(1) I. Cor. VII. 39.

rant, ac sub lege vivebant, redimeret. Magnum autem hoc, ut non illis viam vivendi praestaret neque praeceptis tantummodo (1) excitaret ad aeternitatem, sed ut redimeret, inquit. Hoc enim actum est mysterio ut redimeret omnes in illum credentes, ut fiant omnes in illum credentes filii adoptionis.

Cum ergo tantum beneficium totumque beneficium ex Christo sit, nihil adiungendum praeterea, neque legi serviendum: redempti enim sumus, et redempti a lege, et redempti ab hoc (a) mundo, ut filii Dei simus, sed et filii adoptione. Non enim filii, ut ipse filius, sed per filium filii. Haec est igitur adoptio; quam ut reciperemus, inquit, Deus filium suum misit. " Sed quoniam fi- „ lii estis Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra „. Ecce totus ordo trium istarum potentiarum (2) per unam virtutem unamque deitatem. Nam, inquit, qui pater est, misit filium suum, qui Christus est. Rursusque Christus ipse, qui est Dei virtus, et ipse Deus est, misit Deus, inquit; iam enim trinitas est. Et Christus et maxime post mysterium sanctificatus misit, inquit, spiritum filii sui, qui est spiritus sanctus, qui in corda nostra dessecndens facile cognoscit patrem. Est ergo a Deo missus filius Iesus Christus, in quem credunt, qui credunt, atque efficiuntur filii Dei: mittiturque in eos a Deo spiritus filii, idest spiritus sanctus, ut iam properent, ad patrem festinent, clament quodammodo interiore sanctificatione, et interiore voce. Quid clament, ipse subiungit; " clamant abba pater. Habent spiritus verba et magis habent cum cognoscentiam (3) patris capiunt. Ipsa autem cognoscentia patris, idest cum cognoscimus patrem, ipsa vox est spiritus nostri ad Deum quem spiritum nobis dedit Deus: cognitio consonans cum eo quem cognoscit, quasi quaedam vox est in eum quem cognoscit. Ergo quoniam et per Deum et per Christum cognoscimus Deum, efficimur filii et ipsi Dei, et ipsa cognitione vocem habemus ad patrem. Quomodo enim solus est, qui cognoscat Deum Christus, et ex eo quod cognoscit, cognitionem habet, ita cum vocat (b) atque illum appellat, quia eum cognoscit. Idcirco Christus Dei verbum est: dixi enim quod cognitiones quaeque cum nos intellegere faciant et designare et capere et concipere id quod intellegimus, quasi illud, quale sit cognitione appellamus; accipimus enim in illum quem cognoscimus, de eo quem cognoscimus, verbum (c) eum quid sit appellamus, quia cognoscimus ea: quae est omnis cognitio eius rei, quam cognoscimus (4).

(a) Codd. *hominem* pro *hoc*. (b) Codd. *in eum vocem*. (c) Ita codd.

(1) *Tantummodo* pertinet etiam ad praecedentem sententiam.

(2) *Potentiam* dicit Victorinus pro *persona*. Sic ergo est intelligendus apud Nicetam nuper a me editum titulus opusculi *de spiritus sancti potentia*, nempe *persona*.

(3) *Cognoscentia* vocabulum in Victorini scriptis etiam editis non insolitum.

(4) Obscura sane impeditaque legentibus videbitur hoc loco et alibi. Victorini elocutio: verum hoc vitio eum laborare in aliis quoque scriptis exploratissimum est; ita ut a Petavio appelletur, velut alter Heraclitus, σκοτεινός.

Ergo Christus quia cognoscit Deum ;, Dei verbum est ; et spiritus
quia Christus nobis datur , dat nobis cognitionem Dei per ipsum se : inde
fit ut et nos verbum simus , et in Christum , et in Deum ; et idcirco clame-
mus cognitores . Cognitor autem cum est ipsius cogniti , fit ut cognitum pa-
ter sit , cognitor filius. Quod si ita est , merito cum cognoscimus per Iesum
patrem , ex cognitione verbum ipsius efficimur (a) : ac propterea filii inde
clamamus abba pater. " Itaque iam non es (b) servus , sed filius ,, Is enim qui v. 7.
dicit abba pater , Deum utique patrem nominat. Si patrem nominat , filius
est : iam non ergo servus. Quod si ita est , in Christo neque servus , neque
liber, neque masculus, neque femina : omnes enim unum sumus. Sed quo co-
git hoc totum ? " si autem filius , et heres per Deum ,, Ergo si filius appella-
tur , (c) erit et heres : heres autem non factis , non operibus suis ,
sed Dei miseratione et Dei gratia. Hoc est quod dixit " sed per Deum ,,
Sicuti multis probatum est , quia non currentis sed miserantis ; et omnia
per Dei gratiam. " Sed ante (d) quidem ignorantes Deum , his qui non sunt dii v. 8.
,, servistis ,, Saepe dixi et admonui , ignorare Deum est Christum nescire; per Chri-
stum enim cognoscitur. Nunc autem cum apparuerit Christus qui me docuit , et
per se Deum ostendit , et se Deum et per se patrem , ignorare non licet Deum.
Ante autem cum ignoraretis , inquit , Deum , o Galatae " servistis his , qui non
,, sunt dii ,, Dici deos et numero plurali , et in lege dici , saepe admonui : ve-
rum unus Deus ; reliqui hoc nomine honorantur angeli , ceteraeque virtutes ,
ut dictum " Deus deorum ,, Atque utinam illis servivissent ! Porro autem his ser-
vistis qui non sunt dii , omnibus scilicet mundanis ceterisque falsis virtuti-
bus imaginariis et a diabolo fictis atque simulatis.
" Nunc autem ut cognovistis Deum , imo cogniti estis a Deo, quomo- v. 9.
,, do convertimini iterum ad infirma et egena huius mundi elementa ? ,, Ve-
luti aliud adiungit Galatis , quod etiam in gentilem transierint disciplinam :
aut in eadem accusatione perseverat , quae prima fuit , quod adiungerent etiam
christianismo legem iudaicam , de circumcisione , de sabbato , de victu : et hinc
accusat , ut dicat , postea quam cognovistis Deum per evangelium a me da-
tum, quomodo convertimini iterum ad infirma , quae sunt utique. Vel intellege ,
si ad iudaicam , vel ad paganos , qui et ipsi infirmi sunt. Sed cum adiunxit
" egena elementa huius mundi ,, magis quasi paganos tangit , qui etiam de
elementis huius mundi operantur sibi deos , vel ipsa illa elementa ut ignem
colant , aquam colant , terram colant , aerem colant. Nulla enim dubitatio quin
singula haec deos dicant , de quibus longa est disputatio , dummodo certum
sit et ex elementis singula quaeque paganos deos dicere , vel ipsorum elemen-
torum repertores deos dicere , vel ex elementis deos sibi facere , ut et de
terra deos faciant , sed (e) per ignem deos faciant : deinde etiam quosdam

(a) Codd. *efficiamur*. (b) Ita codd. , non *est*. (c) Codd. *appellatur num superiora erit*. Sed expungitur in anti-
quo codice *dum superiora erit*. Ego vero *erit* retineo. (d) Codd. *nunc*. (e) Ita codd.

daemones aerios vocent, rursus alii empirios, alii eudros, alii genios, idest terrenos, aquaticos, aerios, ignitos. Si ergo haec pagani faciunt, quasi et hoc quoque reprehendit, illos etiam ad paganismum esse conversos, maxime cum dixerit ante quam Deum cognosceretis et ignoraretis Deum, serviebatis his qui non sunt dii. Quod utique de paganis et in superioribus intellegendum. Verumtamen cum et omnis ordo et omnis iste tractatus propterea sumptus sit, ut reprehendat illos Galatas, quod ad iudaismum conversi sint, et de Iudaeis ista omnia intellegenda sint, quomodo convertimini iterum ad infirma, intellegimus. Igitur cum dixit egena elementa huius mundi, intellegamus, quod illi carnaliter intellegentes legem, ad elementa videantur esse conversi quae egena (a) sunt; eget enim semper caro et desiderat sustentari cibis et poculis et cupiditatibus, quae tamen omnia infirma sunt. Ergo cum inquit convertimini ad infirma et egena elementa, id est quae semper egeant, anima enim et spiritus nullius eget, neque aliquid desiderat, nisi illa quae sua sunt. Quod autem dixit cognovistis Deum, immo cogniti estis a Deo, servat virtutem praecepti sui, ut hii (b) veniant ad Christum, quos Deus mittit, et quos Deus vocat, et hii cognoscant Dominum, quos cognovit Deus: de quo tractatu supra multa diximus (1). Cogniti enim a Deo accipiunt spiritum, quo Deum cognoscant. Sed utique ut cognoscantur a Deo cognitique Deo sint, aguntur iam principali illo spiritu, qui datus est ut subdita (c) sit anima divinis illis patris sui praeceptis; quae cum se excitat, cognoscit eamdem Deus, et sic anima cognoscit Deum. Quod autem dixit elementa huius mundi egena, non quo sint elementa alia, idcirco egena huius mundi, et elementa quae egena sunt: quamquam possumus etiam in superioribus elementa dicere: sed longe semotum hoc ab usitatione (2). " Quibus rursum servire vultis ". Scilicet, ut supra dixit, antequam Deum noratis, serviebatis hiis, qui dii non sunt; nunc ergo his rursum servire vultis: vultis inquit; ut eorum voluntatis sit, non necessitatis.

v. 10. Ut autem ad Iudaeos ista et de Iudaeis videatur dicere, idest ad Galatas, qui Iudaeorum sibi disciplinam iungunt, sic adiungit " dies observatis, " et menses, et tempora, et annos ". Cum " tempora " genus sit ad omnia, cur (d) et dies, et menses, et anni interpositum? Quasi alterum quod quidem fieri potest; nam aliud est observare dies, ut est ut sabbato requiescat: aliud est observare menses, ut est ut neomenia observet, cum finit luna vel incipit: aliud est observare annos: aliud vero tempora (3), ut ieiunium, pascha, azyma, et cetera huiusmodi quae apud
Iudaeos multa sunt. Non enim aut (e) anni sunt aut menses aut dies, sed tempo-
v. 11. ra. " Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis ". Idest multum me-
tuo ne labor omnis meus in evangelio quo instruxi vos, ut in Christum fi-

(a) Codd. *agenda*. (b) Ita codd. hic et alibi. (c) Codd. *scripta*. (d) Codd. *ut*. (e) Codd. *ut*.

(1) Victorinus morem suum ad scripta propria saepe provocandi servat etiam in operibus editis.

(2) Notemus vocabulum.

(3) Sic adhuc dicimus in sermone ecclesiastico.

dem habeatis; ne hic, inquit, labor in irritum veniat. Frustra enim erit quod vos docui, cum Iudaeorum servare disciplinam et observationes coeperitis. " Esto- V. 12.
" te sicut ego, quoniam et ego sicut vos ". Quomodo enim, inquit, transivi a Iudaeorum disciplina, et credidi in Christum, et illi servio, et aliud ago, et hoc vos docui, factusque sum talis quales vos feci. Vivite ergo, ut ego vivo: et si vos vivitis, vivo.

" Fratres obsecro vos, nihil me laesistis; scitis quia per infirmitatem V. 13.
" carnis evangelizavi vobis iam pridem ". Istud, quod interpositum, ad persuasionem pertinet, ut in omnibus sequamur Christum. Quo facilius autem hoc suadeat, repetit principia evangelii sui. Primum commendat labores suos, ut iam infirmus carne cum fuisset et laboraret, tamen imposuerit sibi laborem, et evangelizaverit Galatis: addidit etiam " iam pridem " idest olim; unde firmari apud vos debuerat charitas erga me, fides erga Christum: si quidem longum tempus est. Non peperci, inquit, carni meae; sed per infirmitatem carnis evangelizavi vobis, et iam pridem evangelizavi: quare ergo adiungitis alia, quae ego vobis non evangelizavi? Cum autem dixit " nihil me laesistis " illud adiecit, non aliquid vobis subtraxi, non aliquid minus dixi, quod facit ille qui laeditur: ac ne crederent se veluti oneri fuisse, cum infirmus (a) carne evangelizavit, idcirco ait nihil me laesistis, et ego propter vos infirmus carne cum fuissem, evangelizavi vobis iam pridem; et hoc utique scitis. " Et temptationem vestram in carne mea non sprevistis neque re- V. 14.
" spuistis (1) ". Quid accipiamus temptationem vestram, ambiguum mihi est: quod vos me temptatis, an quod ego vos? Quod vos me temptatis, nullus est sensus; non enim temptaverunt illum ipsi. Sed rursus numquid Paulus ipse temptavit illos, qui verum dicebat, et evangelizabat Christum? evangelizare enim non est temptare. Quid igitur, cum tertium nihil sit? An intellegimus, quod cum ad Galatas venisset Paulus, quod illi eum temptare voluerunt, idest interrogare, et de Christo aliquid inquirere, an sciret: quod quidem videri poterat temptatio; cum infirmum hominem, et in carne infirmum viderent Galatae Paulum: scilicet ut cum Deo serviat, Deum praedicet, infirmus carne sit, fueritque ista cogitatio Galatis, interrogemus eum, videamus quid respondeat de Christo iste qui infirmus in carne est. Hoc; inquit, vos in carne mea non sprevistis, et me temptastis neque contempsistis temptationem vestram in carne mea: contempnerent autem, idest non interrogarent, falsumque putarent se audire posse, quod quaerebant, idest quod interogabant, quod est temptabant: falsum, inquam, responderi sibi credentes ab eo qui esset infirmus in carne. Verum perseverastis, nec contemp-

(a) Codd, *infirmis*.

(1) Notemus diversam a vulgata periodi divisionem.

sistis temptationem vestram in carne mea; sed accessistis ad me, an in fide mea essem atque in evangelio perseverarem. Igitur in carne infirmum temptastis, interrogantes, si ea mihi evangelizandi esset perseverans sententia, cum in carne infirmus essem, hoc est *non* respuistis quasi infirmum in carne, minus idoneum ad respondendum, vel qui posset mutare sententiam, qui in carne esset infirmus: in quo et rationem reddidit, cur fieri non posset vel non factum sit, ut sententia evangelizandi alia esset: carne enim infirmus fui, non animo, non spiritu: ita et illos quasi considerasse dixit quod in carne essem ego infirmus, non etiam in spiritu: et idcirco perseverent, ut temptarent illum, neque respuerent, neque non temptarent: hoc est non contempsistis, non sprevistis temptationem vestram. Denique et ipsos intellexisse Paulum in carne infirmum esse, non in spiritu, ex subiunctis docet: " sed ut angelum „ excepistis me, ut Christum Iesum „. Adeo non vobis impedimento fuit, quod in carne infirmus eram, sed accepistis me ut angelum Dei, idest nuntium, praedicatorem a Deo missum; hic est enim angelus Dei; et me suscepistis ut Christum Iesum, quem vobis praedicabam: ita vere Christum Iesum suscepistis, si me recepistis angelum Dei, quomodo recepistis Christum Iesum.

v. 15. " Quae ergo erat beatitudo vestra „? Iam ostendit illos nunc miseros,
siquidem antea beatitudo illis fuerat, quia receperant Iesum Christum, quia
Paulum ut angelum Dei. Magna, inquit, fuit vestra beatitudo: erat, inquit:
nunc igitur utique contra, dum adiungitis ea quae non docui, non insinuavi,
quae extra evangelium sunt, illa scilicet quae supra dixi. " Testimonium vobis
„ perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mi-
„ hi „. Sic me suscepistis, et talem erga me animum habuistis, talem volunta-
tem, ut iam quoniam nihil est carius homini oculis, ipsos quoque oculos e-
ruere vobis velletis (a), et mihi dare. Ergo cum sic me amaveritis, et amaveri-
tis propter evangelium, unde vobis ista sententia est, ut adiiciatis ea ad dis-
ciplinam, quae a me evangelizata non sunt? idest ut praeter Christum aliquid
de lege faciatis, et non ut simpliciter tradidi, in Christo habentes spem,
fidem, credulitatem, omnia speretis, omnia consequi vos posse credatis, et re-
missionem peccatorum, et sanctificationem, et Dei gloriam? " Ergo inimicus
v. 16. „ vester factus sum, verum praedicans vobis „? Si enim alia facere coepistis, ini-
micus vobis factus sum. Sed cum praedixerim vobis et predicaverim Chris-
tum et evangelium, quod est vere unum Dei filium esse Christum, per ip-
sum omnia, et in Christo omnia, ipsum ante omnia; hoc cum sit verum,
et ipsa sit veritas; quare vobis inimicus factus sum? Is enim inimicus esse
debet, qui cum interrogetur quid verum sit, docet falsum: at ego cum ve-
rum dixerim (verum enim dicit qui praedicat Christum) non est conveniens ut
inimicus vobis factus sim.

(a) Codd. *vellitis*, mox factum *velitis*. Malui *velletis*.

" Aemulantur vos non bene ; et excludere vos volunt , ut illos ae- v. 17.
" mulemini : aemulamini autem meliora dona ". Ut saepe ab insidiis caveant 18.
monet , quod illi qui persuadent Galatis uti etiam iudaicam legem se-
quantur , aemulantur , inquit , vos ; idest invident vobis ; nam aemulari dum
duas res significet ; unam , cum aliquis aemulatur , quia placet , quia bonum est :
aliam , qua quidem ideo aemulantur , quia invident. Hi , inquit , aemulantur vos non
bene ; quo ostenderet de invidia illos aemulos esse. Deinde adiunxit " ex-
" cludere vos volunt " idest ab ista felicitate et beatitudine ; quia Christum
cognoscendo , salutis habetis spem et gloriam caelestem : sed ab hac vos ex-
cludere cupiunt. Quod autem adiunxit " ut illos aemulemini " ut et vos sequa-
mini illos , ita duplicem istam aemulandi significantiam diversis locis posuit ,
cum aemulatio sit imitatio , maxime cum et in bonum est. Hoc est quod
hic ait ut illos aemulemini , idest ut quasi bonum illorum sequamini. Por-
ro autem quod dixit aemulantur vos , ut ostenderet ad invidiam aemulationem
positam , adiungit " non bene ". Aemulamini autem meliora dona , non illa quae
Iudaei habent , quae bona non sunt , ac meliora non sunt ; vos autem ae-
mulemini ea quae bona sunt , et meliora dona , idest uti quicquid in fide
et charitate est , circa Christum aemulemini , et hoc sequamini. Bonum est
aemulari meliora semper. Non , aemulari bonum est ; sed meliora aemulari et sem-
per , bonum est. " Et non solum cum praesens sum apud vos , filii mei , quos ite- v. 19.
" rum parturio , donec Christus formetur in vobis ". Non solum , inquit , me
praesente aemulari debetis , sed semper. Ad id igitur quod posuit " semper " ad-
iunxit " et non solum cum praesens sum apud vos ". Porro autem quod adiun-
xit " filii mei " quoniam multis modis dicuntur , nunc charitate , nunc natu-
ra , nunc sanguine , nunc etiam religione , qua hodie dicit Paulus filii mei :
sive quia per baptismum , cum regeneratio fit , ille qui baptizatum perficit ,
vel perfectum suscepit , pater dicitur (1) : sive quia cum renovat illos in Christum ,
facit filios suos ; idcirco adiecit " quos ego parturio " idest in lucem proferre
cupio , magnisque doloribus animae meae nasci ad vitam cupio et ad salu-
tem : hoc est enim quod ait " donec formetur Christus in vobis ". Omnis enim
anima Christum recipere potest : anima , inquam , hominis si ratione utatur ,
si cognoscat mundum ut non suum , si omnia in mundo discernat , si
creatorem suum recognoscat , recipere Christum potest ; imo in ipsa illa anima
Christus formatur , idest spiritus ; quo insito et crescente per credulitatem
liberatur , et ad caelestia regna pervenit , et salutem consequitur lucis aeter-
nae. Magna autem vis et potentia est , quod ait donec Christus formetur
in vobis. Atque iste sermo , qui nunc noster est , expositionem verborum
simplicem tenet ; unde quantum satis esse credimus , supra diximus. Quid sit

(1) Notemus morem veterem suscipiendi baptizatos , eosque patres appellandi habendique qui baptizaverant et qui susceperant ; quae est spiritalis in ecclesiastico iure cognatio.

autem Christus, quidve formari Christum, et in homine formari, altior veriorque expositio alibi a nobis panditur ac explicatur.

v. 20. " Vellem autem nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam, quoniam „ confundor in vobis „. Per epistulam haec praecepta, ut cernimus, dantur. Magna autem indignatione hoc sumptum ut diceret, utinam apud vos nunc essem et mutarem vocem meam! non quo evangelium aliter pronunciarem, sed in iracundia exprimerem. Nunc monet, per epistulam, quam mittit: adiecit autem causam iustae iracundiae, quia dixit "confundor in vobis„ idest pudore crucior, quod cito conversi estis, qui fidem tantam perditis, qui laborem et evangelium et insinuatam veritatem non tenetis. Hinc enim mihi de vobis efficitur magna confusio. Denique si iracunde quidem cum temptatione, tamen subiungit:

v. 21. " dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis „? Ex ipsa lege cupit illis persuadere, ad quam transitum fecerunt: si modo enim ipsam legem legant, ex ipsa, inquam, lege persuadere nititur, ut intellegant quia scriptum ita est, ut in Christum credatur (a), et credulitas sumpta in Christum, sit tota liberatio, et tota salus, et omnis beatitudo. Qua ergo indignatione, ait, dicite mihi? Non vos ego moneo, sed vos ipsi respondete mihi, nempe in legem transistis, et sub lege esse vultis, et tamen legem non legistis, in qua scriptum ita est. Et subiungit, unde probet quid sit lex Iudaeorum et diciplina, et quae spes, et quae fides, et quid sit in Christum fides, et quae spes et beatitudo.

v. 22. " Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de „ ancilla, unum de libera „. Hoc exemplum de genesi est: hoc probatum cupit quod lex, quae Iudaeorum est, et omnis populus veluti de ancilla filius sit: porro autem ecclesia et christiani, filius de libera est. Hoc enim scriptum est, quod Abraham, qui pater est fidei, habet unum filium de ancilla; idest de Agar; et alium de libera, idest de Sarra Isaac: significans utique duos populos, sed istum meliorem, qui de libera est: in figura enim

v. 23. Christi Isaac. Denique sic subiungit: " sed is quidem qui de ancilla, secun„ dum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem „. Etenim qui de ancilla natus est, carnalis est filius; qui autem de libera spiritalis est, propterea quia a Deo promissus est. Deus enim ei promisit credenti, qui cum iam paene annos centum et ipse et uxor nati essent, filium habituri essent. Ergo cum vel emortuo semine, vel emortua etiam vulva, ambo iungerentur, non iam de carne, sed de spiritu, procreaverunt filium, quem procrearunt: et haec fuit repromissio, illos eum habituros. Sed nos duos istos filios comparabimus, simulque et matres populi, ecclesiis Iudaeorum et Chris-

v. 24. tianorum. Paulus vero aliter interpretatus subiungit ita: " quae sunt per allegoriam „ dicta „. Sic utique nos interpretati sumus, quasi per allegoriam. Cum aliud dicitur aliud significatur, haec allegoria est, ipsam tamen allegoriam interpre-

(a) Codd. *conferatur*.

tatur Paulus, ut ipse subiungit. " Nam haec sunt duo testamenta, unum quidem
" ex monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in v. 25.
" Arabia, qui coniunctus est ei qui nunc est iuxta Hierusalem ". Populus Iudaeorum,
inquit, vel testamentum vetus significat filium ex ancilla: ancilla autem quae ex monte
fuit Sina. Quod autem in servitute erat ancilla, ideo et hic populus in
servitute est. Quod autem fuit Sina mons coniunctus ei civitati, quae Hierusalem
est, ex ipso monte intellegi civitatem voluit, et per civitatem Iudaeos:
per montem autem illa, quae erat ex eodem monte Sina, ancilla fuit, et
in servitute generavit; idcirco etiam Hierusalem, idest populus eiusdem civitatis,
et testamentum quod scriptum est de eadem civitate, in servitute est
cum filiis suis.

" Quae autem sursum est Hierusalem, libera est, mater omnium v. 26.
" nostrorum ". Ad illum populum redit, idest ad filios Abraham, qui
sunt de libera, dicitque et istam Hierusalem, quam liberam nominat, esse
in caelis. Hoc est quod ait " quae autem sursum Hierusalem " et quae supra
caelos est, utique quia non in mundo est, non servit. Haec igitur cum
populis suis libera est Hierusalem; et hanc dicit esse matrem omnium nostrum
idest Christianorum; illam vero Iudeorum. Quid sit istud, Hierusalem esse
supra caelos, et esse et in terra Hierusalem? Unde intellegi licet, et hic terram
et ibi terram supra caelos (1): neque enim Hierusalem, quae civitas est,
sine terra est. Ergo quid sit istud inquam esse, et hic et ibi terram esse, et
hic et ibi civitatem, sed illam liberam, hanc servam, alius tractatus est longus:
modo, illud teneamus, illam esse nostram, ad illam esse festinandum. Moneo enim v. 27.
nunc interim illam esse spiritalem, quae superior est; hanc esse carnalem, quae sit
inferior. " Scriptum est enim laetare sterilis, quae non paris; erumpe et clama, quae
" non parturis; quoniam multi filii desertae magis quae eius quae habet virum ".
Hoc exemplum de Esaia est, ad excludendum id quod maxime persuadere cupiebant,
idest ut disciplinam quam sibi Galatae adsumpserant cum Christi veneratione
et fide in Christum, observarent tamen etiam iudaicam disciplinam. Ad hoc,
inquam, excludendum, ut illam reicerent, et solum evangelium de Christo
haberent, adsumpserat superius exemplum, quo doceret Abraham duos filios
habuisse, unum de ancilla, alterum de libera. Illa autem libera, quae vere
uxor fuit, sterilis erat, neque enim edidisset partum, si non Deus repromissione
sua ei filium praestaret. Unde intellegitur, non ex admixtione (a) inter
se corporum, sed ex promissione Dei Abraham filium habuisse; siquidem
hic filius liberae, qui Isaac fuit, de sterili natus est, spiritu quodam potius
conceptus quam copulatione. Haec igitur sterilis, quae filium fecit Isaac, qui
ad imaginem et typum Christi natus est, ipse est qui liberavit populum.

(a) Codd. *adsumptione*.

(1) Curiosa sine dubio quaestio. supra caelos aliam terram compertum iri. Num innuit millenariorum aliquam opinionem Victorinus?

Cum igitur dicit laetare sterilis quae non paris, quia tibi Deus filios facit; item cum dicit, erumpe quae non parturis; sine dolore etenim tibi filii creantur; parturire enim, in dolore esse est, cum partus effunditur (a): quod utique non eodem modo est, cum ecclesia, quae imaginem tenet, vel cuius imago fuit uxor illa Abrahae libera; ecclesia inquam est, quae filios multos habet, quos Dei filios, et spiritus filios cum laetitia magis habet, non cum dolore. Hos igitur dicit esse multos filios desertae. Etenim illa ancilla, et si habuit filium, habuit ex dolore, habuit ex viro. Ergo cum dixit, multi filii desertae, ad ecclesiam retulit, cuius imaginem et typum praestitit supra. Deinde cum dixit, multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum, ostendit quod supra, sine viro sed spiritaliter filium habuit. Numquam enim huic virum daret, nisi illa virum non viri coniunctione sensisset, sed spiritali promissione suscepisset. Et certe multi, inquit, filii desertae. Utique cum Sarra filium habuerit, non referendum ad Sarram, sed ad ecclesiam quae multos filios habet: ut sit illa, quae virum habet, lex et ecclesia Iudaeorum, quae corporaliter consentit, corporaliter cum sibi iungitur, filium spiritaliter habere non potest.
v. 28. " Vos autem fratres secundum Isaac, promissionis filii estis ,,. Satis aperte conparatione ista separat, ut Iudaei filii videantur ancillae, at vero Christiani filii liberae. Ut enim promissus Sarrae filius spiritalis est; sic etiam vos qui fidei filii estis, filii liberae secundum Isaac: hoc est secundum fidem filium habuerit Isaac. Fit ergo omnis filius, qui secundum fidem est: secun-
v. 29. dum fidem enim spiritaliter accipit filium, et spiritalem filium Isaac. " Sed si-
,, cuti tunc, qui secundum spiritum erat, sic et nunc ,,. Plena expositione ostendit, quod qui secundum carnem natus est, idest ex ancilla, persequebatur eum, scilicet Isaac, qui secundum spiritum erat, sicuti in genesi lectum est: et nunc isti persequuntur, qui secundum carnem intellectum habent, eos qui secundum spiritum vivunt, idest Christianos. Denique ut to-
v. 30. tius argumentationis vim, quam concepit, ostendat subiungit ista. " Sed quid
,, dicit scriptura? eiice ancillam, et filium eius; non enim heres erit filius an-
,, cillae cum filio meo Isaac ,,. Satis aperte declarat ex hoc exemplo, quod est in genesi, quoniam quicumque sentit, et legem Iudaeorum sic accipit, ut carnaliter accipiat, secundum carnem est filius, de quo etiam lex pronunciavit deditque sententiam, eiiciatur ancilla et filius eius, propterea quia heres esse non poterit ancillae filius cum filio qui est ex libera, qui est Isaac. Ergo vos quoque quia adiunxistis observantiam legis secundum carnem, ut facilius heredes esse possitis, estote filii liberae, idest christianismum solum legemque Christi adque (b) evangelium in Christum suscipite, nihilque
v. 31. quasi ex ancillae filio habitote, idest sequimini iudaicae disciplinae. " Ergo fra-
,, tres non simus ancillae filii, sed liberae ,,. Ipse aptius hoc subiungendo decla-

(a) Codd. *et funditur*. (b) Ita codex antiquior pro *atque*. Est autem prisca orthographia, ut alibi demonstravi.

rat, quod iam qui Christum accepistis et meam fidem, ancillae filii non estis, idest non carnaliter sentitis, quoniam ancillae *filius* carnalis est; sed estis filii liberae, idest fidei filii. Hoc enim Isaac fuit secundum fidem et promissionem, filius spiritalis. " Qua libertate Christus nos liberavit „ illa scilicet libertate, qua mater est nostra libera, quae libera est, fide scilicet: haec enim vera libertas est, fidem servare in Deum, et Deum et Dei promissa omnia credere. Ergo secundum fidem nos Christus ad libertatem reduxit, et libertate fidei liberavit.

" State ergo, et nolite iterum iugo servitutis contineri „. Subiungenda hortatio fuit, ut in iisdem, quae per evangelium a se acceperant, perseverent, ne revertantur rursum ad legis (a) servitium. State, inquit; quod non permittitur ei qui sub iugo est; etenim ille deponit cervicem summissam (b): non ergo stat. Vos, inquit, ergo state; quod est liberis membris erectum habere corpus: nolite, inquit, iterum iugo servitutis contineri, quia antea vel legi serviebatis (c) vel gentilitati. Ideo iterum ait, ne (d) ad eandem revertamur. " Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis „ nihil proderit „. Aperte ostendit, non prodesse Christum, si aliqui (e) in circumcisione spem ponat, et in circumcisione carnali. Ergo cum vos iungitis Iudaeorum morem et praecepta et disciplinam, si in his ponitis salvationem et liberationem; dico, inquit, vobis; et dico Paulus scilicet, qui vobis ante promisit cum in evangelium Dei vocavit, Paulus, inquit, ego nego vobis prodesse et in nullo auxilium ferre Christum, si circumcidamini, si omnem spem in circumcisione ponatis. Quamquam Galatae videntur et accepisse Christum, et iungere iudaicam disciplinam, tamen adfirmavit et personam suam veluti obligavit, id quod loquitur dicendo, nihil proderit vobis Christus, si circumcidamini. Videri ergo potest, nescio quid occultum: quippe cum Christum sequantur Galatae, et Christum sequentes spem salvationis in eo ponant, quomodo hoc confirmaverit Paulus, quod Christus nihil proderit si circumcidantur Galatae? Servato autem animo et fide circa Christum, aliquid amplius faciunt, non tamen Christum derelinquunt, aut non in Christo fidem ponunt. Sed redeamus ad animum et propositum et voluntatem. Cum Christum a Paulo acceperint, et fidem in Christum sumpserint, et hoc sit verum evangelium, utique a Christo minus accepturos se putaverunt, quod est iam blasphemiae, et fidem non habentium, ex eo quod post acceptum Christum circumcidi voluerunt, et servire legi et operationibus. Quod si ita est, fides nulla in Christum: ex eo quod et aliud quod prodesse possit adiungitur, merito nihil vobis proderit Christus.

CAP. V. V. 1.

V. 2.

(a) Codd. *intellegis pro ad legis.* (b) Codd. *ulla deponit cervice summissa.* (c) Codd. *servitutis.* (d) Codd. *si pro ne.* (e) *Aliqui pro aliquis*; ut est. in Cicerone observatum.

v. 3. " Testificor autem omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae ". Ne putarent Galatae tantum sibi ex lege, quae Iudaeorum, certa adsumenda esse, ut circumcisionem; cetera vero contemnerent, vel in cibis, vel in observantia dierum, vel in coniunctione, quae qualis, et quarum *rerum* sit, in lege retinetur, in quibus omnibus quaedam supervacua, quaedam quasi nefanda, sic relinquuntur a vero Christiano atque castissimo. Unum tantum memorabo, cum excitandi seminis causa fratri iungitur uxor fratris: et cetera huiusmodi aut fiunt aut leguntur acta: item cetera quae dixi de cibis, deinde de observationibus, multisque etiam aliis rebus: quae etiam adsumenda sunt, inquit, ei qui se circumcidit. Quod si non facitis alia, frustra circumcisionem adhibuistis. Testificor enim quia omni homini circumcidenti se, fit necessitas, ut sit debitor ad universa, quae legis sunt, facienda. Facit igitur illos et in lege illa, quam adsumserunt, peccatores esse, ex eo quod non omnia faciunt, et eligunt quae facienda: et rursus circa legem, quae Christi est, et circa evangelium omnino aberrant, et magis aberrabunt, si omnia, quae legis sunt, faciant. Denique subiungit ex hac parte iam, qua agunt quaedam, quae Iudaei, ex hac inquam parte quod a Christo videantur

v. 4. alieni. " Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis ". Omnis enim virtus in Christum credentis, in gratia est Dei. Gratia autem non ex meritis, sed ex Dei pietate est: ergo iam a gratia excidistis, si in lege iustificationem vestram ponitis; ut quia operibus servitis, quia sabbatum observatis, quoniam circumcisi estis, excidistis a gratia, et evacuati estis a Christo. Iam enim non a Christo spem habetis, neque secundum eius passionem et resurrectionem speratis gratiam vobis, si a lege iustifica-

v. 5. tionem creditis advenire. " Nos enim in spiritu et fide spem iustitiae expectamus ". Christiani inquit, et qui Christum sequuntur, et in spiritu et in fide spem habemus, et in Dei iustificatione non ex operibus. Omnis enim virtus mysterii hoc operata est, ut nobis per gratiam et Dei pietatem relaxatio fieret peccatorum, et vita aeterna praestaretur, ut saepe docuimus, ea Dei gratia, non ex operibus aut meritis. Hoc autem per spiritum contingit. Cum vero ex operibus iustificatio speratur, non ex spiritu spes est. Hoc nos expectamus, et hoc est evangelium Christi sequi.

v. 6. " Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides quae per charitatem operatur ". Ubique ponit circa fidem in evangelium Christi, neque circumcisionem (a) valere, neque facta circa corpus, aut facta de corpore, aut propter corpus, ut circumcisio, ut opera, ut cetera huiusmodi: nihil horum, inquit, in Christo valet: frustra circumcisio est. Neque ex eo quod praeputium est, valemus in Christo; sed quia fidem in eum suscepimus, et quia promissa eius credimus, et quia ex resurrectione eius nos quoque resurgimus, et omnia cum eo perpessi sumus, et cum eo ad vitam, per eum tamen, resurgimus;

(a) Codd. *conditionem*.

certa nobis fides est, per quam fidem operatio fit ad salutem, et per cha-
ritatem accipere nos oportere, quam habemus in Christum et in Deum, et
exinde circa omnem hominem. Duo enim haec maxime omnem vitam corrigunt
et omnem vim legis implent, et omnia illa, quae praecepta sunt in deca-
logo, continent (a). Si fidem qui (b) servet, sequitur ut servet charitatem, quae duo im-
plent omnia, quae lex Christi praecepit. De his rebus saepissime tractavi, quod fides
liberet, et charitas aedificet. " Currebatis bene; quis vobis impedivit ,,? Idest bo- v. 7.
nam fidem circa evangelium habebatis; quare mutati estis? quare, quasi fa-
scino quodam, ab integro cursu revocati? Illud enim quod vos per evange-
lium docui, integrum verum fuit; hoc et falsum et contrarium, et nihil pro-
futurum. Hoc est quod adiungit. " veritati non obedire ,,. Quis vos inquit, im-
pediit, veritati non obedire? Etenim in nobis veritas est: huic obtemperare
debuistis, ne quid aliud observaretis. Ergo primum veluti miratur cum dixit,
quis vos impedivit. Postea iam monet, quid faciendum, nemini consenseritis.
Omni genere pugnat, ne mutent sententiam, et adiiciant aliquid extra quam
quod illis praeceptum est per evangelium a Paulo. Nolite, inquit, consensum
aliis accommodare. " Suasio vestra ex Deo est, qui nos vocavit ,,. Idest quod v. 8.
vobis vel suasum a me est, vel quod ipsi iam suasum habetis a Deo, qui
vos vocavit, sicuti supra dictum est; quos vocavit et praedestinavit: cetera
quaeque per ordinem dicta sunt.

" Nescitis quia modicum fermentum universam massam corrumpit ,,? v. 9.
Omne fermentum corruptio est panis, et corruptus panis farina, et mas-
sa farinae dum dimittitur coacescit, et hinc fermentum efficitur. Modicum
autem fermenti, cum in massam mittitur, corrumpitur massa. Oportet;
inquit, vos azymos esse. Ergo illud quod putatis modicum vos adiecisse, id-
est ut observetis circumcisionem, istud modicum quia corruptum est, cor-
rumpit massam evangelii nostri, ut non plenam spem in Christo habeatis,
neve vos Christus, ut suos ac de se spem habentes respiciat: fides enim li-
berat: et, ut diximus, fidem non habet, qui praeter Christum aliquo modo
auxilium, licet cum Christo, sperat. " Ego confido de vobis in Domino, quod v. 10.
,, nihil aliud sapietis ,,. Bene iam de futuro confido, inquit, quia nihil aliud ha-
bebitis in corde et sapientia, nisi ut fidem tantum habeatis in Christum secun-
dum evangelium meum. " Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicum-
,, que fuerit ,,. Et illos terruit, qui seducebant, et istos per minas iudicii futu-
ri: qui vos inquit perturbat, portabit iudicium. Sufficit autem iudicium no-
minasse, in quo utique non dici debuit quod poenam patientur, sed vero iudi-
cium (c). Deinde praemisit, quod iudicium futurum ab ipso est. Expressit autem iam
metum paene, cum dixit portabit. " Ego autem, fratres, si circumcisionem prae- v. 11.

(a) Codd. continentur. (b) Qui pro quis, ut aliqui pro aliquis. (c) Codd. iudicio.

„ dico , quid adhuc persequutionem patior ? „ Alienum se a praecepto, quod illi iungendum putaverunt , omni genere probat. Patitur persequutionem a Iudaeis. Qua causa? nisi quia circumcisionem non praedico. Ergo non vobis in evangelio circumcisionem praedicavi : ex eo quod Iudaei me persequuntur. Adiungit et aliud argumentum , ut ostendat quod circumcisionem non praedicat. " Ergo evacuatum est scandalum crucis? Frustra est , quod poenam merentur , qui in crucem Christum sustulerunt , et evacuatum est illud , quod male factum est. Hoc est enim *scandalum* crucis, unde et conturbabantur (a) Iudaei. Iam hoc non ad praedicationem suam tantum revocavit , sed et ad rei virtutem. Ideo enim non praedico , quia scandalum crucis manet , nec evacuatum est. Debent ergo poenas. Quod si debent Iudaei , qui scandalum crucis effecerunt , superest ut et ego non praedicem , et vos circumcisionem non sequi debeatis.

v. 12. " Utinam abscidantur, qui vos conturbant! „ Maledicto persequutus est eos qui his iniiciunt novas persuasiones , et conturbant. A veritate evangelii abscidantur , inquit , vel a se separentur , vel poenis lacerentur. Magna autem fiducia maledictum in eos ingessit , ut ostendat illos non timeri a se , a quibus supra dixit , persequutionem patiatur. Ita nec persequutionem timeo, quia vera praedico , et circumcisionem non praedico , nec pati persequutionem timeo. Utinam abscidantur qui vos conturbant ! non solum circumsecentur , sed abscidantur etiam : ut hoc quoque verbum ita sit positum quod ad cir-
v. 13. cumcisionem pertinet, ut sit et abscisio (b). " Vos enim in libertatem vocati estis , „ fratres : tantum ne libertate in occasionem carnis abutamini. „ Etenim lex Christi , quae spiritalis est , libertatem dat , qua exeamus a mundo , et ad patrem et ad originem revertamur. Sed quoniam adhuc in mundo sumus , id est in carne , non debemus istam , quam accepimus , libertatem ita exercere , uti secundum carnem ambulemus ; et quasi occasio nobis sit etiam faciendi in carne , quoniam liberos nos esse confirmat fide circa Christum. " Per „ charitatem spiritus servite invicem „. Libertatem datam accepimus , tamen servire nobis invicem debemus per charitatem , et spiritus charitatem , non car-
v. 14. nis. " Universa enim lex in vobis uno sermone impletur „. Frequenter hunc sensum et posuit , et nos tractavimus ; quia tota lex , et omnis operatio legis , hoc sermone impletur , idest charitatis : qui enim diligit alterum , neque moechatur , neque furatur : et hoc est , et Christum diligere : et ea quae ostendit decalogus , quodammodo in hoc solo praecepto implentur , sicuti in superioribus diximus. Subiungit autem ipse exemplum de exodo " diliges proximum tuum sicut te ipsum „. Omnem autem hominem, proximum accipere debemus ; et tunc etiam proximum Christum habebimus. Ergo et vos quoque diligite vos , sed in spiritu. Hinc iam videtur , quasi omissa superiore quaestione

(a) Codd. conturbabuntur, (b) Codd. abscio.

atque tractatu, praeceptum ad exhortationem dare ut discordiam non ament, sed se invicem diligant. Hoc autem fieri potest, si vos invicem diligatis, et in spiritu diligatis non in carne, neque in carnis opera, neque in observatione carnis. Nihil enim frandat, nihil alteri eripit, neque nocet, neque contemnit, neque obiurgat is qui alterum diligit.

" Quod si mordetis et accusatis invicem, videte ne consumamini ab v. 15.
" invicem ". Exhortatio ad concordiam (a) ex hoc fit, dum docetur quid
mali discordia faciat: si enim vos invicem accusatis atque mordetis, id-
est nocere vultis vel nocetis, invicem vos consumetis. Ergo amate vos et
diligite invicem, et implebitis legem sola charitate (1): non, sicut vos puta-
tis, vel circumcisione vel operibus ceterisque rebus pertinenter. Ergo adpo-
situm hoc de charitate, iuxta tractatum superiorem, quo docebat illos extra
evangelium, quod ab ipso Paulo illis fuerat pronunciatum, quod observare illi
se legem putarent in circumcisione et operibus; cum solo hoc plena lex sit,
si se invicem diligant. " Dico autem vobis spiritu ambulate, et desiderium car- v. 16.
" nis non perficietis ". Tota virtus evangelii haec est, secundum spiritum vive-
re, secundum spiritum credere, nihil carnis in animo habere et in actu et in vi-
ta; idest neque spem de carne suscipere. Ambulate ergo, inquit, in spiritu,
idest vitam agite: quod si facitis, carnis desiderium non perficietis; idest nul-
lum peccatum admittetis, quod nascitur ex carne: alia enim cupiditas nul-
la nisi de carne. Ideo subiungit. " Nam caro concupiscit adversus spiritum, v. 17.
" spiritus autem adversus carnem (b) ". Ut omnino isti intellegant, nihil se de
carne cogitare debere, quod est in circumcisione et ceteris ex iudaicae disci-
plinae observationibus, cum inter se doceat ista adversa: non solum concu-
piscit caro, sed etiam adversus spiritum concupiscit. Habet enim motus suos
caro, habetque sensus, neque tantum ab anima suscitantur: quod intellegi li-
cet etiam in his quae animam non habent; ut in aqua, *quae* impetus suos habet
et virtutes suas, vel in sapore, vel in motu, vel in qualitate vel quan-
titate: item ignis pariterque terra et cetera elementa, ex quibus quasi
quaedam consparsio (c) est et caro facta est ex humidis (2).

* * *

(a) Codd. *exhortatio concordia*. (b) Codd. pro *adversus carnem* habent *ad subiunctum*. (c) Ita codd.

(1) Eleganter Hieronymus ad v. 13: *per caritatem nobis invicem serviamus, ut laciniosae legis praecepta uno dilectionis capitulo concluduntur.*

(2) Ab hoc versiculo 17. usque ad primum capitis VI. nihil commentarii est in codicibus. Prorsus autem incredibile est Victorinum decem propemodum commata inexplicata reliquisse; quare folium aliquod ex antiquo exemplari excidisse arbitror, unde vaticani chartacei derivati fuerunt; quam lacunam vel non agnoverunt vel certe non commemorarunt recentiores amanuenses. Et quidem in aliam mox lacunam initio epistulae ad Philippenses incurremus.

CAP. VI. v. 1. " Hii qui spiritales sunt „. Quasi ad unum ex ipsis, qui spirita-
les sunt, hoc ita protulit ut consideret unusquisque eorum, ne et ipse
temptetur: et idcirco debeat succurrere et instruere eiusmodi hominem;
et spiritu dato per tractatum ad modestiam aequalitatemque revocare.
v. 2. " Alter alterius onera portate „. Rediit ad pluralem numerum, ut omnis
homo mala portet aliena; et quod alter patitur, ferat, sustineat, corrigat,
in quantum potest: hoc est enim portare onera, patienter ferre alterius
vitium et corrigere. " Et ita implebitis legem Christi „. Sic enim et ipse pati-
ens et mala nostra portavit, et pro malis nostris ipse sustinuit. Legem, inquit,
Christi implebitis, non simpliciter legem. " Nam si aliquis extimat se esse ali-
v. 3. „ quid, cum nihil sit, ipse se seducit „. Ratione nunc probat, ideo illum, qui
se iactat gloriae cupiditate, et corrigendum esse et instruendum in spiritu, quo-
niam miser ille est, qui se ipse inducit, fallit, decipit, qui se aliquid esse exsisti-
mat, cum nihil sit. Etenim si haec summa legis est, ut quicumque humilis sit,
deiectus, infimus (1); ita enim ex infimis eligit Deus quos sublevet atque al-
tos faciat; omnis homo, qui sibi aliquid vindicat, et se extimat aliquid
esse, sine dubio nihil est. Quid enim est in mundo aliquid, cum nihil sit in
mundo? Et ita agere cen (a) nihil sit in mundo, hoc est apud Deum aliquid
esse. Porro si qui (b) in mundo aliquid se esse putat, vel sapientem, vel intel-
legentem, vel dominum, vel regem, vel divitem, vel aliquid horum; aut in
divitiis, aut in animo, aut in arte, aut in virtute; is, quoniam sapientia mun-
di stultitia est apud Deum, is inquam nihil est; et cum nihil sit, ipse se
fallit ac decipit.
v. 4. " Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semet ipsò tan-
„ tum habebit gloriam, et non in altero „. Magnae exhortationes, magna etiam
disciplina! nemo, inquit, sibi aliquid vindicet, neque opinionem habeat quod
aliquid sit: tantummodo opus suum probet; verum ipse iudicio suo probet
unusquisque opus suum, ne malo iudice usus, probet se bene fecis-
se, cum fortasse non bene fecerit. Ergo probet, et probatum faciat opus
suum: quo probato opere, tunc in semet ipso tantum habebit gloriam non in
altero. Etenim qui existimat aliquid se esse, iactat se et ab altero gloriam
petit: qui autem opus suum vel ipse probat, vel aliis probat, de se ipso
habet gloriam, et apud se ipsum, et non ab altero expectat. Non enim, inquit,
v. 5. ab homino laudari volo, neque hominibus probari, sed Deo. " Nam unusquis-

(a) Codd. *cum*. (b) *Siqui* pro *siquis*.

(1) Praeclara enimvero doctrina, quod in christiana humilitate cardo religionis et summa versetur! Atque haec doctrina mirabilior in homine est, qui tantis honoribus inclaruerat, ethnicusque ad senectutem usque vixerat. Consonat autem Hieronymus epist. CVIII. 15: *prima Christianorum virtus humilitas*.

„ que proprium onus portabit „. Onus in medio ponitur sive bonum sive malum.
Ergo proprium, inquit, portabunt onus omnes, unusquisque proprium. " Com- v. 6.
„ municet autem qui catechizatur verbum, ei qui catechizat in omnibus bo-
„ nis „. Sensus iste: κατηχίζων est circumsonare vel iuxta adsonare, quod
contingit cum aliqui initio christianus incipit esse, et illi Deus et Chri-
stus adsonantur, et dicitur in aures eius, atque in animum immittitur: hoc
est qui catechizatur verbum: idest per verbum si qui catechizatur, ut
ei adsonetur per invocationem. Is igitur qui catechizatur verbum, in om-
nibus bonis communicet ei qui catechizat; idest in nulla re non ei com-
munis sit; in omnibus tamen communis sit illi, qui catechizat verbum, ut
omnia in communione cum eo habeat, sed omnia quae bona sunt. Cum enim
supra dictum sit, instruite huiusmodi hominem in spiritu modestiae, utique
bonum est quod catechizat; et is qui catechizat verbum hoc tam bonum,
in bonis catechizat. Igitur qui catechizatur verbum, communicet ei qui
catechizat.

" Nolite errare; Deus non deridetur „. Subiungit praeceptum aliud quod v. 7.
quidem generale ad omnia, pertinet tamen ad id quod supra actum est,
ne illi aliud praeter evangelium sequantur; idest ne adiungant etiam Iu-
daeorum disciplinam et opera. Nolite, inquit, errare; nam ista omnia extra
evangelium quae adsumuntur, errata sunt. Et adiunxit vim necessitatis ad
praeceptum; Deus, inquit, non deridetur. Non dixit, Deus enim omnia scit;
ne sperent quasi vel veniam erroris sui, vel quod absconditum esse pos-
sit: non, inquit, deridetur. Et subiungit, quid futurum sit his qui in terra
vitam tenent. " Quae enim seminaverit homo, haec et metet „. Idest qui triticum v. 8.
seminat, messem habebit de tritico; si autem seminat zizaniam, hoc et metet:
malum seminat quicumque messor est mali. Bonum seminat? fructum de bo-
no accipiet: ita et messis ut semen est. " Quia qui seminat in carne sua, de
„ carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu et
„ metet vitam aeternam „. Galatae qui Iudaeorum disciplinam adsumendam sibi
putaverunt, ut observarent sabbata et circumcisionem susciperent, et alia hu-
iusmodi carnaliter scientes agerent, spem in carne haberent et de carne. Qui-
cumque ergo in carne spem habet, et seminat spem suam circa carnem, ha-
bebit messem de carne; quem tamen fructum, corruptionem inquit. Etenim
caro corrumpitur, et hic est eius exitus ut corrumpatur, putrescat, pereat,
intereat. Omnia ergo enim quae de carne sunt putrescunt, corruptionem ha-
bent: nemo enim de carne sperare debet, nec seminare in carne, idest spem
ponere in (a) carne. Nam si ibi posuerit spem, habebit fructum de carne.
Quem fructum? Interitum, corruptionem. Hic enim fructus est carnis. Ergo me-
lius est spem ponere (b) in spiritu, ut possimus spem habere de spiritu:

(a) Codd. *de*. (b) Codd. *habere*.

quae spes est de spiritu, et qui fructus de spiritu; hoc est seminare in
spiritu, idest vitam aeternam. Etenim haec vita est, non aeterna vita. Qui
autem in spiritu, hic vivit, et secumdum spiritum agit, nihil operatur car-
naliter, seminat sibi vitam aeternam: et haec erit messis ei, ut hinc roce-
dens accipiat vitam aeternam.
v. 9. " Bonum autem facientes non deficiamus ". Parum est bonum facia-
mus, neque enim continuo meritum nostrum Deo probabile est, si bonum fa-
ciamus, sed si facientes non deficiamus. Multi enim incipiunt, multi quasi
perseverant, postea tamen desinunt vel fatigati vel seducti: merito monuit non
deficiamus quolibet modo, ne deficientes quod coepimus relinquamus, cum bo-
num facere coeperimus. " Nam tempore suo metemus, non deficientes ". Pul-
chre adiectum. Multi enim in hoc vitae genere quod (a) bonum dicitur, si
aliquid mali patiantur, putant se sine causa facere cum bonum faciant, et
defatigati desistunt bonum facere. Quid ergo adiunxit? Non deficiamus, quia
licet hodie non consequamur (b) fructum bene faciendi; postea, inquit, metemus;
idest messem habebimus boni facti nostri, si non defecerimus in bene facien-
v. 10. do. " Ergo dum tempus habemus, operemur ". Maximam necessitatem dedit
ad bene faciendum: imminet tempus, cito finitur vita, iam finis est mundo.
Dum, inquit, tempus habemus vel vitae nostrae, vel istius vitae in mundo,
operemur bonum, et ad omnes operemur, ut nulla sit exceptio personarum,
nulla alia actio; sed bonum operemur, et ad omnes bonum operemur. Ete-
nim si charitas aedificat, omnem autem hominem charum habere debemus,
omne bonum quod operamur, ad omnes operamur. " Maxime autem ad dome-
" sticos fidei ". Dixit ad omnes bonum operemur: facit tamen gradum ut bonum
quod operamur ad omnes, maxime bonum operemur ad eos qui domestici
fidei sunt, idest qui fidem in Christum et in Deum susceperunt. Magna
conclusione id in exhortando posuit, quod ad Galatas maxime pertinebat: ete-
nim illi adiungentes etiam quaedam de iudaismo, non ex fide agebant, sed
quasi ex operibus credebant et ex observatione carnali habituros se fruc-
tum: idcirco adiunxit, maxime bonum operemur ad domesticos fidei, quod
solam fidem in evangelium susceperunt, idest in Christum et Deum.
v. 11. " Ecce quantis (1) litteris scripsi vobis mea manu "! Ut ostenderet familia-
ritatem, et ne pudori illis sit quod alii sciunt illos vel peccare, vel corrigi; ma-
nu mea inquit scripsi vobis, et ex charitate signum dedit. Et vobis facilis est mu-
v. 12. tatio vitae cum a me corrigitur, cum mihi tantum conscientiam debeatis. " Qui-
" cumque volunt placere in carne, hii compellunt vos circumcidi ". Aperte

(a) Codd. *cum*. (b) Codd. *consequitur*.

(1) Notabilis lectio *quantis* pro *qualibus*. Et quidem legendus est hoc loco Hieronymus, qui a Chrysostomi interpretatione dissentit.

ipsum illud quod arguebat in Galatis quod transirent mandatum evangelii, per
speciem conlocat quod se circumcidere voluerunt. Omnes, inquit, qui volunt
placere in carne, hii vobis persuadent ut circumcidamini, quod tantum est
in ipso solo opere ut circumcidamini, non in auxilio aliquo ad salutem. " Tan-
„ tum ut crucis Christi persecutionem non patiantur „. Aestimantes, inquit, poe-
nas se non daturos, quod in crucem Christum sustulerunt et persequuti sunt, si
ad evangelium, idest ad confessionem de Christo, adiungatis vel ipsi adiungant
etiam circumcisionem. Sed et in eo peccant, ut cum spes tota de Christo
sit et de eius magis cruce, putemus etiam de circumcisione, vel putent il-
li; et idcirco persuadeant quasi non pati habeant persequutionem crucis
Christi, idest quod Christum in crucem sustulerunt. " Neque enim qui circum- v. 13.
„ cisi sunt, legem custodiunt „. In Christo enim neque praeputium neque cir-
cumcisio valet. Quam igitur legem dixit? Vel illam quae spiritaliter intellegen-
da est, vel istam quam Christus dedit, quae sine dubio et spiritalis est
et spiritalia docet et spiritaliter agenda est. " Sed volunt vos circumcidi,
„ ut in vestra carne glorientur „. Ostendit astutiam eorum, qui persuadent ut
videantur vobis persuasisse, ut in vestra carne glorientur, cum tamen nihil
prosit circumcisio; sed sola illis gloria quaeritur, ut in vestra carne facta (a), se
aestiment obtinere quod sine hac spes nulla sit; ut iam vicisse videantur,
ne de solo Christo spes sit, nisi adiuncta etiam iudaicae legis in circumci-
sione fuerit disciplina.

" Mihi autem absit gloriari in nullo „. Ante gloriam illorum repre- v. 14.
hendit: namque illorum gloria est in carne gloriari: at ego inquit in
nullo glorior neque in carne, neque in homine, neque in aliquo horum,
neque in me ipso. Et iam dictum et saepe admonitum, ut omnis qui
gloriatur, in Deo glorietur, de quo supra tractavimus. " Nisi in cruce domi-
„ ni nostri Iesu Christi „. Idest ut ibi spes tota ponatur, et inde sit gloria
et gaudium: quod ibi in cruce domini nostri Iesu Christi salus nostra est
et aeternitas quaesita. " Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mun-
„ do „. Ipsa est gloria, crux scilicet domini nostri Iesu Christi, quia (b) mysterio
illo, dum carnem suspendit cruci, et in ea potentiam huius mundi triumpha-
vit, omnis mundus per illum crucifixus est. Sed quoniam catholicum ille cor-
pus ad omnem hominem habuit, omne quod passus est catholicum fecit;
idest ut omnis caro in illo crucifixa sit. Ergo et ego crucifixus sum, et
mundo fixus sum. Ego, inquit, carnalis ille et de carne qui sentiebam, mun-
do fixus sum, idest cum mundo adfectus ad poenam. " In Christo enim Iesu v. 15.
„ neque circumcisio aliquid est, neque praeputium, sed nova creatura „. Quod

(a) Ita codd.; intelligitur autem vel *circumcisio* vel *gloria*. (b) Codd. *qui*.

supra tetigimus: quamquam ubique iste sensus sit, monet quid egerit mysterium,
quod in Christo Iesu nulla persona sit, nulla discretio: omnes aequaliter, qui Chri-
stum sequuntur, aeternam vitam merentur: non enim quia circumcisio, idcir-
co aliquid est in Christo: neque quia praeputium est, ideo aliquid est in
Christo: sed in quolibet horum, quicumque sit, si modo renascatur et my-
sterio novus fiat homo, valebunt omnes in Christo.
v. 16. " Et quicumque hanc regulam sectatur, pax super illos, et super Is-
" rahel Domini ". Conclusit ut haec sola sit regula, in Christo sperare,
neque discernere Christi virtutem praeputio a circumcisione, sed nova crea-
tura, quaecumque fuerit; per Christum et in Christo plena spes et salutis
et aeternitatis et gloriae. Hanc, inquit, regulam (non ut vos Galatae tenere
voluistis) hanc gloriam qui sectantur, pax super illos sit. Et adiunxit super
Israhel Domini; non supra Israhel quemcumque Iudaeum sed Israhel Domi-
ni. Etenim Israhel vere Domini si Dominum sequatur, ut salvationem suam
v. 17. aliunde non speret. " De cetero nemo mihi molestias praestet ". Idest ultra
nemo peccatis suis faciat me anxium tristem molestias sustinere ". Ita enim in
principio diximus quod peccasse aegre tulerit et doluerit. Monet igitur in po-
strema epistula, ut hii non ad peccata aliqua convertantur, ne molestias prae-
stent. " Ego enim stigmata domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto " Idest
omnem passionem, et illa quae in cruce toleravit, clavis figentibus, corpus vel
vulnere lanceae per latus, et cetera inquit stigmata Iesu Chisti domini nostri in
corpore meo porto: idest et ego passus sum, et in mysterio conservio Christo,
mysterium Christi patior: unde et vos adversa multa, omnia, tolerare debetis:
quoniam cum Christo erit, qui cum Christo patitur, et ea quae Christus
passus est, et ipse actu suo adversantibus adversariis coeperit pati: ex quo o-
stendit, et quid ipse patiatur, quantum mereatur a Christo, et quid etiam
nos pati debeamus, si volumus esse cum Christo. " Gratia domini nostri Iesu
v. 18. " Christi cum spiritu vestro fratres ". Conclusio fit epistulae: precatio est et bene-
dictio ut gratia sit; sed cum spiritu, inquit, vestro gratia domini nostri Iesu
Christi; ut quia in Christo vivitis, Christi gratia cum spiritu vestro sit.

VICTORINI PHILOSOPHI IN EPISTULAM PAULI AD GALATAS
COMMENTARIUM EXPLICIT.

VICTORINI PHILOSOPHI

IN EPISTULAM PAULI AD PHILIPPENSES

LIBER UNICUS.

* * * (1) *Posuit vel quatuor causas*, vel quatnor personas, quae adnuncient Christum. Ex his dnae, prima et novissima, ex malignitate: duae mediae, ex bono animo et voluntate. Quod (a) inter se distent, prima et postrema: quod inter se, secunda et tertia, dicendum. Prima est de malignitate, propter invidiam et contemptionem: invidiam enim dixit quod sentiant (b) cum aemuli nobis sint. Postrema etiam est et ipsa de malo, ut " quidam per contumaciam Christum pronunciant ", Idest ut nobis noceant. Cum enim aperte Christum negent, finxerunt se adnuntiare; ut nos, qui eos adversarios putamus et credimus, doleamus ab his eadem pronunciari quae nos pronunciamus: per contumaciam enim, inquit, non sancte neque caste, pronunciant Christum; sed nt nobis incutiant tribulationem et gemitum et dolorem; ut poenis et vinculis nostris se gaudere ostendant: qnomodo dictum est ipsi Christo in cruce posito, si filius Dei es libera te, ita et Paulo dicatur, Deus tuus a vinculis te liberet; ille Christus Deus, Deus est; sed tu tamen in poenis es. Hoc igitur modo distat haec praedicatio malignorum ab illa superiore: illa non nt poenas inserat vinculis apostoli, sed ut ipsi adfectent gloriam praedicationis, cum per invidiam hoc faciant, non per intellegentiam et propriam voluntatem. At vero vel dnplex causa, vel duplex persona, de bono sic se habet, quod quidam per bonam voluntatem Christum pronunciant, quidam ex charitate. Hae duae causae de bono adversae sunt singulis de malo: namqne ad primam respondit haec quae secunda est. Si enim primi, quia invident et quia contendunt, ideo praedicant Christum; contra quidam de bonis per bonam volnntatem Christum adnunciant, vere hoc sentientes, non invidentes nobis (c), sed qnia bonum est qnod sentinnt, et habent bonam voluntatem circa evangelium. Tertia autem quae de bonis causa est, contraria est illi, quae postrema est de malis. Nam si illa quae de malis est postrema, talis est, ut quidam in nostram poenam et tribulationem per contumaciam Christum pronuncient; haec de bonis contraria est, quia quidam ex charitate pronnnciant: hoc est me sequentes et cari mihi, non mihi insultantes: scilicet, inquit, quod in defensione evangelii positus sum. Scinnt enim quia in defensione evangelii sum, et id-

CAP. I. V. 15.

V. 17.

(a) Malim *quid* heic et infra. (b) Codd. *sed cum*. (c) Codd. *vobis*.

(1) Desiderari partem commentarii usque ad v. 15. capituli I, res ipsa clamat: et tamen in codicibus nullum lacunae indicium est.

circo poenas has meas pro evangelio me sustinere : unde et ipsi ex chari-
tate Christum pronunciant , vel charitate in Christum vel charitate in me ,
non mihi insultantes , ut illi qui per contumaciam Christum praedicant ; non
caste , sed existimantes tribulationem se suscitare vinculis meis.
v. 18. „ Quid enim? dum omni modo sive sub obtentu sive veritate Christus
„ adnuncietur „. Cum quatuor supra vel personas vel causas posuerit , ut
Christus adnuncietur , non se omnino (a) motum a malignis quia Christum
praedicant , declarat et ostendit. Frustra enim illi existimant tribulationem se
suscitare vinculis meis. Quid enim , aut quare moveor ? aut quare in tribu-
lationem mittor ? cum enim gaudeam laetusque sim quod per omnem modum
adnunciatur Christus : sive dum illi aliquo (b) , suo obtentu , vel aliqua
sua occasione vel nocendi vel invidendi praedicant Christum , dummodo
praedicent ; sive veritate pronuncient. Eventus enim mihi plurimum pla-
cet , quod de Christo pronunciant ; et Christum et nominant , et Deum ,
sub alio licet animo , fatentur et Dei filium. Hoc enim cum celebratur , exer-
cetur , agitur , sic adnunciatur Christus ab omnibus , et nos ad id pervenimus
quod volumus ut Christus adnuncietur. Quod si ita est , frustra existima-
runt me in tribulationem mitti. Denique sic subiungit " et in hoc gratulor ,
„ sed et gratulabor „. Et gratulor inquit etiam in hoc ipso , quod adnunciatur
Christus. Non enim negant etiam illi qui nocendi modo (c), ut mihi noceant ,
Christum adnuntiant : neque illi qui per invidiam Christum adnunciant , animi
causa , et latenter , et *per* maligna verba , tamen Christum confitentur , et Chri-
v. 19. stum adnuntiant : in hoc , inquit , gratulor et gratulabor. " Scio enim quoniam
„ hoc mihi proveniet in salutem per orationem vestram , et subministrationem
„ spiritus Christi Iesu „. Paene audaciter ac temere libenter accepisse et in gau-
dium accepisse , quod quoque modo Christus adnunciaretur etiam ab impro-
bis , etiam per contumaciam , etiam per invidiam : sed hoc ex fiducia Dei ,
et benivolentia , et , ut ipse ait , ex subministratione Christi et spiritus eius
confirmo futurum ; et scio futurum , quoniam istud quoquo modo (d) , quod pro-
nunciatur , erit verum , eritque etiam ita ut ipse ille Paulus vult , qui vere
adnunciat : et idcirco ait , scio enim quod hoc mihi proveniat in salutem :
ut hoc quod illi , vel in perniciem meam pronunciant , qui per contumaci-
am Christum pronunciant , vel illi qui per invidiam et contentionem Chri-
stum pronunciant ; omnia tamen ita scio , quoniam mihi proveniant in salu-
tem , subministrante scilicet Christo et spiritu eius : secundum inquit quod
expecto , et spem habeo , ita mihi fiducia est , ut numquam mihi ipsi noce-
ant , etiamsi alia causa pronunciant Christum , ut ego poenas patiar et cru-

(a) Codd. *sed omni modo* ; et quidem a prima manu *sed omnino modo*. (b) Codd. *aliquo et aliquo*. (c) Ita codd. (d) Codd. *quomodo*.

cier : tamen quoniam spes mea et expectatio est de Christo, proveniet id
mihi in salutem.

" Quoniam in nullo erubescam; sed in omni fiducia, quemadmodum semper, et V. 20.
nunc magnificabitur "Christus in corpore meo ". Sequebatur uti non continuo in sa-
lutem provenire posset istud ipsum, quod maligni praedicant, quod per invidiam
praedican, quod per contumaciam praedicant, uti posset illi et perniciem adferre et
poenas, ut in catenis semper esset, verum etiam et in morte, sed utrumque. Nam
apostolus prospiciens (a) dicit futurum esse ut Christus praedicetur quolibet in even-
tu: numquam enim, inquit, erubescam, sed ex utroque et gaudio laetabor et gra-
tulabor, et sicut semper et nunc magnificabitur, inquit, Christus: in corpore, inquit,
meo; idest cum meum corpus poenis subiectum omnibus tolerat universa, et
Christum praedicat, nec desistit, nec poenis terretur, et omnibus poenis non
cedit. Quid est autem omnibus poenis, ipse exponit subiungendo " sive per
" vitam sive per mortem ". Sive (b) enim tolerando poenas vixero, praedicabitur
Christus: sive sub poenis mortuus fuero, magis ac magis praedicabitur; cum
videant omnes me nec poenis deterritum, nec morte revocatum, sed in evan-
gelio aut vitam cum poenis exegisse, aut usque ad mortem poenas tolerasse,
et tamen in evangelio praedicando perseverasse. " Mihi enim vita Christus est, V. 21.
" et mori lucrum ". Non igitur mortem timeo, quia mori mihi lucrum est: non
ipsa mors lucrum, sed mori: vita autem Christus est, quia qui in illo
sperat, semper vivit, et nunc et postea. Etenim cum dixerit, in corpore meo
magnificabitur Christus, sive per vitam sive per mortem, ad vitam istam
referens; si vincit eos, qui sibi parant insidias, et perseverat in evangelio,
gloriabitur vita eius, quia in Christo gloriatur, non in catenis, non in sa-
lute, non si nihil patiatur. Si autem occisus fuerit, lucrum est mori, cum
illi vita sit Christus. Sic (c) igitur singulis singula reddidit; ut ad mortem
responderit, non timeo mortem, cum mihi vita sit Christus: sive in vita,
sive in catenis licet me alligent, tamen mihi vita Christus est, et ipsum mori
lucrum est, cum pervenio ad Christum. Sive utrumque hoc singulis superio-
ribus datur, non timeo mortem, quia vita mihi Christus est, et mori lu-
crum est: sive cum vita mihi in poena erit, non timeo vitam, quia vita
mihi Christus est. Ergo illi nihil agunt, sive me morti tradant, sive in vi-
ta cruciatibus dedant: mihi enim utrumque non nocet, quia non est apud
me in tormentis vita cum poena, propterea quia vita (d) mihi Christus est:
sive interficiant, non est mihi et ista poena, quia vita mihi Christus est,
et mori lucrum.

" Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est ". Quoniam V. 22.
supra dixit, vita mihi Christus est; et incertum quam vitam dixerit,
utrum istam quae in carne, an illam quae postea; adiecit de ista vita, quae

(a) Codd. *per species*. (b) Codd. *si*. (c) Codd. *sive*. (d) Codd. *in vita*.

hic in carne est, et dixit nihilominus etiam in ista vita, cum hic in carne vivimus, fructus est mihi inquit operis. Qui iste operis fructus? ut labore meo et evangelio adnuntiem Christum, et multis spem vitae et salvationis efficiam, cum sperare in Christum coeperint, et fidem evangelio dare. Hic est inquit mihi fructus operis, etiam in carne vivere. " Et quid eligam „ ignoro „. Sive enim moriar, quia mors lucrum est, ac mihi vita Christus est, et ad illum utique pervenio, cum morior (a) hic in carne: sive rursus hic in carne vivam, quia mihi fructus est operis adnuntiare Christum et evange-
lizare; quid eligam, inquit, nescio; utrum mortem appetam, an adhuc in vi-
v. 23. ta maneam. " Coartor autem ex duobus, concupiscientiam habens dissolvi et es-
24. „ se cum Christo, quanto (b) magis optimum est. Ut vero autem in carne perma-
„ neam, necessarium propter vos „. Duplex, inquit, me necessitas et cupiditas in divisa (c) deducit: nam et habeo concupiscentiam dissolvi, idest discedere a corpore, et esse cum Christo; etiam illam (d), lucrum consequi; quod est quidem optimum et eligendum. Sed rursus est mihi in carne necessitas ut maneam et perseverem propter vos. Ita superiori parti concupiscentiam dedit dissolvi velle et esse cum Christo, quia summum est et praecipuum et optimum; hic autem ut in carne adhuc maneat necessitatem *magis* dixit, quam illam; ut propter hoc vivam, ut vos instruam, ut vos in evangelio confirmem. Cum igitur duas veluti concupiscentias habeat, confirmat unam quod hic in carne adhuc manebit; et hoc confidenter scio, quoniam manebo, et permanebo vobis, ad vestrum profectum et gratiam fidei. Vere ut pater, vere ut famulus Dei, de duabus cupiditatibus suis illam quasi reliquit, quae ipsi tantum fuerat profutura, ut iam abiret iam dissolveretur essetque cum Christo.

v. 25. " Confido inquit, et confidenter scio, quoniam Deus me hic adhuc esse „ faciet, ut permaneam; et permanebo, ut vobis omnibus prosim, et profectum „ habeatis ad gloriam fidei „. Manebo, inquit; et adiecit amplius" et permanebo „ idest usque ad perfectionem manebo; perfectionem autem profectus ve-
stri, ut proficiatis, et gratiam consequamini, fidei scilicet; idest cum fidem
v. 26. praestatis, a Deo gratiam mercamini. " Ut gloria et exultatio vestra abundet „ in Christo Iesu penes me, per praesentiam meam denuo apud vos „. Ut cum apud vos esse iterum coepero, hoc est per praesentiam meam denuo ad vos, exultet gloria vestra, et abundet ipsa exultatio in Christo Iesu penes me, per praesentiam meam denuo apud vos: idest ut ego praesens sentiam quemadmodum gloria vestra exultet et abundet in Christo, quod Christum diligitis, quod Chri-
v. 27. sto servitis quod Christo vos servire gaudetis. " Tantummodo digne in evan-
„ gelio Christi conversamini „. Tota vitae summa christianae ista est, in evange-

(a) Codd. *merior*. (b) Ita codd. (c) Ita codd. pro *diversa*. (d) Ita codd. Intellige autem *concupiscentiam*. (e) Ita codd.

lio Cristi conversari, ipsnm sibi adnunciare et eeteris, in ipso spem habere, omne quod agat ex mandatis eius agere: hoc est digne in evangelio Christi conversari. Sed et hoe parum est: ergo iungendum ut in evangelio Christi conversemur ante omnia, et digne conversemur. Est digne conversari, secundum eius praecepta vivere, et ea facere, quae Christus praecipit. " Ut si-
" ve cum venero, et videro vos; sive per absentiam, audiam de vobis quo-
" niam statis in uno spiritu, una anima concertantes cum fide evangelii ". Ipse exponit, quid sit digne in evangelio Christi conversari, uno spiritu stantes una anima concertantes cum fide evangelii: " spiritu autem, inquit, stantes uno ": quia unus est spiritus cum iam sapimus, et evangelium sentimus, et ita vivimus. Animae autem opus hoc est, ut adversa corporis expellamus: ideo una, inquit, concertantes cnm fide; quam fidem vobis evangelium dedit. Ergo state, inquit, in uno spiritu, et conluctamini una anima cum fide evangelii.

Verum haec expositio illud continet quod supra dixit, digue in evangelio Christi conversamini. Quomodo autem se habeant verba ut integra sibi et iuncta sint, sic attendemus: conversamini, inquit, digne in evangelio, ut digne vobis audiam quoniam statis in uno spiritu et una anima concertantes cum fide evangelii. Audiam autem vel per absentiam; fides autem erit,
ut cum audiam, credam, cum venero ad vos, et videro vos. Sive per ab- v. 28.
sentiam audiam de vobis, iam ad utrumque videro vos, quoniam statis in uno spiritu, et nec in quocumque territi sitis ab adversariis: et hoc opus pertinet ad expositionem quod est digne in evangelio Christi conversari, numquam terreri ab adversariis, nec in aliquo terreri: quandoquidem est illis declaratio interitus, uobis autem salutis. Hoc, inquit, non terreri (a) evangelio servientes. Idest omnis actus christiani ad salutem est, non conturbari ab adversis, fidem evangelii credere in Christo, pati pro Christo, simulque etiam ut sciamus ex Dei gratis provenire. Ergo haec, inquit, res non terreri in aliquo ab adversariis, et uobis ad salutem est, et nostris adversariis causa est ad interitum: et hoc tamen donum est Dei. " Et hoc a Deo ",, ne operae nostrae putemus esse, quod non terreri causa nobis est ad salutem: nam et hoc a Deo est, sicuti frequenter monui, ut Dei nutu et miseri-
cordia et gratia fiant omnia. " Quoniam vobis donatum est a Christo ". Om- v. 29.
ni exhortatione praecepta haec iungit: pertinet enim, digne in evangelio Christi conversari quid sit, sic ostendere secundum superiora praecepta: et nunc cum exhortatio adiungitur ut credant in Christo; neque tantum credant, sed ut etiam patiantur pro illo. Quae autem patiantur, subiungit: vel quae in me *vidistis*, vel quae de me (b) audistis: hoc est enim digue in evangelio Christi conver-

(a) Codd. *terrere*, et quidem sine non. (b) Codd. *vel quae de me, vel quae audistis.*

sari, et hoc dono datum est nobis pro Christo, quoniam ille mysterium complevit, et ad liberationem nostram passus est omnia. Pro ipso igitur donum nobis dedit, ut credamus in eum. Magnum autem donum, si sola in eum fide tantam gratiam meremur. Sed ita credamus, ut etiam patiamur pro il-
v. 30. lo; hoc enim subiungit: " id ipsum certamen et agonem habentes, quem et vi- „ distis in me, et audistis de me „. Ut vos quoque credentes in Christo, patiamini omnia pro illo, idest propter ipsum. Facere enim omnia, neque in alium converti, et pro illo pati omnia, hoc est certamen: et hunc agonem habemus scilicet et contentionem et intentionem, quae educit ad palmam et ad coronam. Hunc igitur agonem ne ignoretis, ipse est quem in me vidistis, scilicet de catenis, de carcere, de cunctis malis, quae perpessus est Paulus: quae utraque apud vos habent fidem me passum esse, cum aut audistis aut vidistis.

CAP. II. " Si qua igitur advocatio (1) in Christo, si qua consolatio dilectionis, si qua
v. 1. 2. „ societas spiritus, si qua viscera et miserationes; implete gaudium meum, ut „ idem sentiatis omnes „. Petiturus beneficium, ut gaudium suum impleatur quod gaudium circa hoc mandatum est, ut idem sentiatis omnes, ut nullus discrepet (tunc enim et charitas et concordia est, idem sentientibus cunctis; et si concordia est, hoc habebit apostolus gaudium): ut ergo hoc impetret quod suum gaudium vult esse, per illorum unanimitatem, concordiam, eamdemque sententiam, et cetera similia, quasi rationem meritorum praemittit, quod ab ipsis meretur, ut impleatur gaudium suum circa hoc, ut idem omnes sentiant; et cetera. Meritorum autem rationes istae sunt, quia advocati simul in Christo sunt: advocat enim Deus in Christo nos; eos enim santificat, quos vocavit et elegit et quos ordinavit. Advocatio ergo prima est; si est, inquit, advocatio in Christo aliqua in nobis, quod simul vocati sumus, et vocati in Christo, et meritum meum erga vos; ergo implete gaudium meum. Prima igitur haec ratio meritorum inter se, ut se invicem audiant, quod advocati sunt in Christo. Ex hoc autem quod advocati sunt in Christo, est etiam dilectio. Item adiungit " si qua consolatio dilectionis „. Cum enim in malis simus, et mundi malis laboremus, si nos invicem diligamus, Deus erit nobis consolatio dilectionis. Haec, inquit, igitur si est consolatio dilectionis, ut quia vos diligo, vos me consolemini in malis in quibus sum; implete ergo gaudium meum. Singulis ergo hoc adiungendum. Deinde adiecit " siqua societas spiritus „. Bono ordine et hoc tertium: nam primum est advocari in Christo, deinde dilectionem habere: cum autem utrumque fuerit, ut iam et advocati in Christo sint, et consolationem

(1) Graecum vocabulum παράκλησις ambiguitatem creat, sit ne *advocatio* an *consolatio*. Recte autem Victorinus primum retinet sensum, quia secundum mox e graeco παραμύθιον habemus.

habeant inter se dilectus (a) et dilectionis, sine dubio est societas spiritus. Siqua, inquit, est societas spiritus. Audiamus illud " implete gaudium meum ". Adiungit deinde " siqua viscera et miserationes ". Unum enim corpus efficitur ecclesiae, cum sibi vocati in Christo charitate iunguntur, iunguntur etiam spiritu, et fiunt eadem viscera et eaedem miserationes. Siqua igitur viscera, siquae miserationis sint viscera, ad hoc ut vocatio sit in Christo, et societas in spiritu. Miserationes autem sunt ad hoc, siqua consolatio est dilectionis, ut omnis alterum consoletur, quod in malis semper in mundo sumus: quoniam viscera eadem sumus, miserationes invicem nobis praestare debemus. Sic ergo siqua viscera miserationis, implete gaudium meum. Quod autem gaudium, subiunxit " ut idem sentiatis, omnes id ipsum. Quid est idem sentiatis? supponit per subiecta, aut in quibus idem sentiant, aut quemadmodum idem sentiant: eamdem dilectionem exerceatis unanimes, unum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate sensus invicem vos ab alteris praecedi arbitrantes. Non sua propria tantum unusquisque vestrum perspiciat, sed aliorum singuli.

" Hoc enim sentite in vobis quod et in Iesu Christo ". Ut dixi, exhortatio ista est quam nunc exsequitur, praeceptis plenioribus: implete, inquit, v. 5.
gaudium meum, quibus in rebus effici potest: quae praecepta, ut semper docui, tenent quae facienda sunt, et item quae non facienda. Quae facienda sunt, sic subiungit " ut idem sentiatis omnes " eandem dilectionem exerceatis omnes, unanimes, unum sentientes. Interponit quae non facienda " nihil " per contentionem neque per inanem gloriam ". Et subiungit quae facienda rursus " sed per humilitatem sensus invicem vos ab alteris praecedi arbitrantes ". Item subiungit quae non facienda " non sua propria unusquisque " perspiciat ". Deinde id quod faciendum " sed aliorum singuli ". Sic deinde subiungit, quod ad exhortationem plurimum valet, et certam exhortationem de praeceptis, in qua conclusio praecepti haec est, ut de aliorum recreatione (b) singuli cogitent. Hoc, inquit, facere debetis et constituere et sentire in vobis, quod Christus fecit: quod de aliis cogitans, de se et de sua gloria nihil cogitavit: vel de eo quod potentiam suam, ut docebit, ipse deposuit, ut aliis ceteris subveniret. Ergo hoc tenetur in exhortatione, ut gaudium possit impleri ipsius Pauli.

Videamus igitur singula quae praecepta sint. Primo ait ut idem, omnis christianitatis potestatis, et ius et operatio illa est non dissentire, sed unum atque idem in animo habere. Etenim si unus Deus, si unus eius filius, si unus spiritus sanctus est, si omnia ista tria unum, ita debemus et nos unum habere quod sentimus, ut idem sentiamus omnes.

(a) Videtur positum pro *delectus*, ut apud Cic. de rep. 1.34. (b) Cod. unus *reatu quae ratione*, alii *utrumque ratione*.

Deinde sequitur , ut eamdem dilectionem exerceamus. Hoc iam ad moralem disciplinam, idest ad vitam pertinet; illud ad scientiam. Nam cum duo genera dixissem esse in Paulo , et in omni tractatu , ut alia discerentur (a) ad scientiam , alia discerentur ad actus et ad vitam; ita et hic ad scientiam , ita positum ut idem sentiatis : deinde ad vitam, eamdem dilectionem exerceatis. Eamdem quid est? quam alter circa vos , eamdem vos circa alterum; neque divisam (b) dilectionem , sed in Christo dilectionem. Ipsa est eadem dilectio. Deinde adiecit: " unanimes , unum scientes ,,. Eadem repetisse mihi videtur verso ordine , quae supra sunt dicta. Namque unum est unanimes quod ad eamdem dilectionem : aliud est unum scientes , quod supra ut dixi , ut unum sentiatis omnes. Verum et amplius aliud in his duobus est , quod in superioribus. Namque aliud est idem sentiatis omnes , aliud unum scientes , in ipso quidem : quippe cum ad scientiam utrumque pertineat. Verum illud superius idem sentire , ad hoc est , ut adhuc scientia nondum confirmata , par tamen videatur sciendi potestas , nondum confecta , iam perfecta scientia (1). Secundo igitur praecepto cum uno in sensu utrumque sit , fortius tamen positum ; unum , inquit , scientes : iam praeceptio est ipsa , cum scientes dixit. At vero superius idem sentientes dixit , idest sensus eosdem intellegentiae habentes : illud ergo adhuc in actu est , hoc in perfectione videri potest. Idem sentientes et ad vitam pari modo , etiam in actu est , circa vitam eamdem dilectionem exerceatis. Porro autem in perfectione hoc est " unanimes ,, et utrumque de moribus , et de vitae genere : unde tamen cum eadem videantur singula in singulis , posteriora potiora sunt. Deinde adiunxit " nihil per contentionem neque per gloriam inanem ,,. Potuit enim , et idem sentiendi , et idem sciendi esse tamen contentio. Modus igitur subiunctus est , qui esse debeat , vel potius qui non esse " nihil , inquit , per contentionem ,,. Multi enim contendendi vel necessitatem habent vel voluntatem. Utramque igitur contentionem tulit , ut necessitas non sit contendendi nec voluntas. Quippe cum utrumque vitiosum sit. Alii curriositate in ipsam contentionem inruunt : alii natura tales sunt , ut contentiosi sint : ideo adiectum " nihil per contentionem ,,. Deinde rursus alii ad iactantiam hoc proferunt , ut contendant , et pares esse videantur , aut potiores resistendi pertinacia et superiores aut gloriandi. Hoc ergo auferri vult , dicitque " neque per gloriam inanem ,,. Etenim gloria inanis est placere velle sermonibus , placere ingenti calliditate , et contentione disserendi. Raro enim apud christianum debet esse contentio , non in sermone iactantia.

Huic ita posito posteriori praecepto ne quid per gloriam inanem facere videamur , necessario subiunctum " sed per humilitatem sensus ,,. Sic enim

(a) Ita codd. (b) Num pro *diversam* , ut p. 54?

(1) Ita prorsus est in codd.; nequis forte lector obscuritatem auctoris editori imputet, tum heic tum in seq. pagina et alibi. Legesis p. 64. n. 1.

inanis gloria poterit auferri, si humilitas sit in sensibus, idest intellectibus. Hos enim sensus posuit. Quaerendi modo, proferat quaecumque tractat, non auctoritate suscepta. "Invicem vos ab alteris praecedi arbitrantes,,. Vere enim haec humilitas, si omnem alterum putas esse potiorem: hoc est enim invicem praecedi ut vos arbitremini; ne quisquam alterum non ita putet, ut non potiorem aestimet, et praecedere et esse meliorem. Quod si ita est, haec est humilitas sensus. Deinde subiungit: "non sua propria unusquisque vestrum per-,, spiciat, sed aliorum,,. Ex hoc sensu nectitur id quod postea subiungitur. Interea referendum hoc ad superiora, tunc enim implebitis meum gaudium, si et hoc quoque faciatis ut unusquisque non tantum sua propria perspiciat sed aliorum, et ita singuli de aliis atque aliorum curas habeant. Hoc enim nos putamus. Quod si de nobis tantum cogitemus, nobis prodesse poterimus, et de nostris tantum rebus agere, de spe, de liberatione nostra: sed hoc parum est. Tunc enim vere de nobis agimus, si et alios curemus, et aliis prodesse properemus. Cum enim omnes unum corpus simus, aliis si prospiciamus, nobis prospicimus: si de aliis cogitemus, de nobis magis cogitamus. Hinc subiungit, quantum sit istud quod monet, quod praecipuum, quod vehemens,
cum dicit: "hoc idem nos in nostris sensibus habeamus, quod et in Christo v. 5.
,, Iesu. Quid istud est "hoc sentite in vobis quod sentitis in Christo Iesu,, ipse exponit et explicat. Etenim si hoc sentimus in Christo Iesu, quia ipse magis de aliis, idest de nobis curam gessit, non de se; neque de eo quod ipse posset aut poterat, aut potest, sed de nobis potius cogitavit. Hoc est quod supra dixit, sed aliorum singuli curam geramus: etenim dominus noster Christus salvator, utique cum salvator esset, aliis salutem attulit: et quemadmodum non modo benignitate tantum usus, neque fulgens sua benevolentia sua luce vestit et texit, atque ad se benignitate infusa et maiestate revocavit. Ut ergo magis beneficium eius, et maximum nosse possemus, exinanivit, inquit, se atque omni exuit maiestate, ut in carnem descendens, ut omnem illam patientiam humilitatis suscipiens, nobis ut prodesset carne, iniurias in carne, deinde crucem mortemque sustinuit. Quae omnia docent et hortantur nos, ut (a) similiter imitantes Dominum, non de aliis potius cogitemus quam de nobis ipsis. Hoc est enim vere de nobis agere, aliorum curam pro eorum salute suscipere. Hoc est ergo ut hoc sentiatis in vobis, quod et in in Christo sentitis. Illum profuisse aliis sentitis: ergo et in vobis hoc sentite, ut pro aliis cogitetis, et sollicitudinem pro aliis suscipiatis, ut aliis prodesse possitis.

" Qui cum in forma Dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est, ut v. 6.
,, esset aequalis Deo; sed et semet ipsum exinanivit, et servi sumpsit formam in 7.
,, similitudine hominum factus, et habitu inventus tamquam homo. Humiliavit se

(a) Codd. autem.

„ ipsum, subditus factus usque ad mortem, mortem autem crucis „. Duas res, idest duo praecepta, supra dederat, unum ut diligerent humilitatem, aliud non sua tantum curarent, sed et aliorum. Et ait: " hoc sapite in vobis, quod et in Christo Iesu „. Quid igitur de duobis istis accipimus in Christo Iesu? utrum unum? et quod unum? an ambo potius? Namque unum de humilitate manifestum, quod semet ipsum humiliavit Christus, et servi sumpsit personam. Potest tamen esse hic etiam secundum praeceptum: propter alios enim ita sustinuit, et de aliis potius quam de se cogitavit. Breviter autem hic expositum, quod Christus sit, et ante quam in carne descenderet, et in qua sit virtute atque substantia. Dictum est enim quod forma (a) Dei Christus esset. Quid autem sit Dei forma? non figura, non vultus, sed imago et potentia. Plene de hoc et hic tetigi ad Ephesios (1), et plenius uberiusque in aliis tractavi libris, Deum esse in eo quod est ipsum principale esse; esse autem ipsum, est principale habere, vivere et intellegere. Sed intellegere atque vivere, forma quaedam est et imago ipsius existentiae. Cum igitur existentia Deus sit, ut multis probatur, atque id magis quod supra existentiam est; forma autem existentiae, moveri, intellegere, vivere; circumformatur enim et definitur quodammodo, idest in considerationem et cognoscentiam devocatur, quod sit illud esse, quod invisibile est et incomprehensibile, vivere intellegitur et intellegere. Ita esse, pater est: vivere autem et intellegere, quae ista ipsa in eo sunt, quod est esse, quasi forma. Christus ergo Dei forma est: vita est enim Christus, et cognoscentia et intellectus. Haec igitur forma et imago Dei. Quanta potentia, et quanta deitas, vel virtus sit, alibi expressum. Ergo nunc Paulus non, inquit, Christus rapinam credidit, idest hoc sibi vindicavit, tantum habere voluit, ut forma Dei esset; sed etiam se ipsum exinanivit potentia, ut ad mundum et ad carnem descenderet, et formam hominis sumeret, idest parvi et humilis imaginem.

Illud autem diligenter et acute adtendendum puto, quod cum et ipse se missum a Deo dicat, et voluntatem patris implere, hoc ita positum mysterium est, ut ipsius sit voluntatis, quod venerit, et quod formam vel imaginem servi sumpserit. Sic enim ait " qui cum in forma „ Dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est, ut esset aequalis Deo; „ sed semetipsum exinanivit, et servi sumpsit formam „. Sed cum ita iungamus semper, et hoc intellectus necessitate capiamus, et in eo quod est esse, intellegentiam inesse et vitam, ut et Deo, cui est potentia haec ut esse

(a) Ita codd., non *in forma*.

(1) Notemus Victorini testimonium de suo commentario in epistulam ad Ephesios. Quod autem addit *et in aliis libris*; sine dubio provocat ad suum quartum adversus Arium librum cap. XXX, ut conferenti cuilibet palam fiet. Ergo idem est auctor Victorinus et librorum iamdiu editorum adversus Arium, et horum, qui nunc a me vulgantur, commentariorum.

sit, et esse omnibus praebeat, sit tamen intellegens illud, ut vivens vel supra intellegentiam et supra vitam, et supra existentiam Christus, qui vita est, etiam progressa a Deo vita insit, et in eo quod vita est ipsa existentia, et ipsa intellegentia aequalis Deo est: unde et in filio pater est, et in patre est filius. Sed haec, ut dixi, plenius alibi. Ergo et cum pater voluit, filius voluit: et cum filius voluit, pater voluit. Unde utrumqe recte, et quod missus a patre est, et quod hic positum ut ipse se exinaniverit. Intellegamus autem ipsum se exinanisse, non in eo esse quod potentiam suam alibi dimiserit, aut se privaverit; sed ad sordida quaeque se humiliarit, ad postrema officia descendens. Cum haec implevit, se et potentiam suam exinanivit. Nam carnem sumens et formam hominis et similitudinem, omnia quae hominis erant perpessus est, egit, implevit. Hoc est enim quod ait " in similitudine hominis factus, et habitu inventus tamquam homo ,, Non enim audiendi sunt illi qui phantasma dicunt fuisse, quia dictum hic est in similitudine hominis: sed ad Deum refertur, et λόγον ipsum formatum per carnis adsumptionem in similitudine hominum. Etenim cum caro in terris diversas formas habeat, accepisse autem carnem Christum manifestum sit; sed in qua similitudine dictum, in similitudine hominum, idest cetera animalia (a): non quo hic (b) similitudo hominum in Christo fuerit, non ipse homo susceptus.

Denique adiectum post similitudinem et habitum, ut ita se haberet tamquam homo. Sic adiunxit " inventus tamquam homo ,, Graecus quidem σχῆμα dixit, latinus habitum nominavit. Ita eum duo posita sunt apud graecum, in similitudine et habitu; accipiamus igitur habitu figuram, et ut se homo habeat. Etenim omnis hominis qualitas his duobus exprimitur, similitudine et figura. Potuit enim in inmenso similitudo hominis, ut in gigantibus, ut in vultibus et in membris, quae finguntur: ideo ergo adiecit " et figura hominis ,, ut certus habitus et modus, praeter similitudinem hominis, videatur adsumptus. Porro autem quod dixit " inventus tamquam homo ,, non hic eum dubitatione dictum, tamquam homo quasi non homo fuerit, sed phantasia hominis; sed dictum, inventus tamquam homo. Haec scilicet media pronunciatione, qua vere non homo fuit, sed Deus (1), et carne et figura accepta quasi homo. Quod autem dixit " servi formam sumpsit ,, quoniam ipse forma Dei fuit, Dei autem servus homo est; idcirco dictum, servi formam sumpsit. Ex qua re se humiliavit, et se exinanivit factus, inquit, ut subditus usque ad mortem scilicet crucis. Ecce in hoc ipso cum dixit " subditus factus ,, graeco autem aperte et plene, cum dictum ὑπήκοος γενόμενος, quod est subauditor effectus, in quo ut dixit, in

(a) Ita codd. (b) Ita codd.

(1) Scilicet Deus et homo (in persona unica) ut supra manifeste ait Victorinus.

hoc ipso expressum, quod paulo ante diximus, quoniam a patre missus est. Si enim subauditor, verum est illud et integre dictum, qui me huc misit et subditus factus; certe potest utrumque non solum per illam rationem accipi atque intellegi quia et in Christo Deus est, et est in filio pater, et in patre filius, sed quod etiam in multis locis simile reperimus, ut et mittentis sit auctoritas, et voluntas obtemperantis. Etenim ut apud poetas, si cum pater Mercurium mittens imperio suo misit; Mercurius autem patris cum pareret imperio, se ipsum composuit, et se exinanivit ut volaret, et iter tenderet, si fas est divinis talia comparare; intellegi licet, et patris imperio Dei omnipotentis missum Christum: et Christus filius, eo ipso quod imperio obtemperabat, se exinanivit, ut hominis formam sumeret, et in carne veniret, et servi imaginem sustineret, se humilians et obauditor factus, obauditor autem usque ad mortem. Quam illam mortem? multa enim genera mortis sunt: nam primum esse in carne, mortis(a) est: deinde accipere omnia peccata carnis, et ipsa mors est: ideo adiectum usque ad mortem. Quam mortem? crucis, inquit. Etenim nos salvator morte non liberavit, sed morte crucis liberavit: omne enim mysterium non in morte tantum, sed Christi, sed et in morte crucis: unde dixit Paulus, fidem se habere in Christum, et in Christum ipsum crucifixum.

v. 8. Quibus omnibus quid colligitur? ergo Christus et aliis consuluit, et se humilem fecit. " Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, „ ut in nomine Iesu omnes genua flectant, caelestium, terrestrium, et infer- „ norum; et omnis lingua confiteatur quoniam dominus Iesus Christus in gloria „ Dei patris „. Quid istud sit, quod nunc dictum est, quia ideo Deus filium suum exaltavit, et ei donavit nomen quod supra omnia nomina est, et quod sit hoc ipsum nomen, et quare nunc haec donaverit atque concesserit, etsi magni tractatus est magnaeque doctrinae, tamen nos id quale sit, breviter admonemus. Christus idest λόγος qui cum Deo est, et apud Deum, iuxta Deum, et idcirco etiam ipse Deus, cui λόγος hic (b) ex operatione eius provenit, ut et Christus esset Iesus, et exaltaretur, et supra omnia nomina nomen acciperet; λόγος, inquam, iste in eo quod λόγος est, forma Dei est, vere iungitur, copulatur, unumque est; et idcirco et λόγος Deus est, per quem creata sunt omnia, et in quo quod effectum est, vita est, et hoc fuit a principio, et sine logo factum est nihil, qui iungitur. Simpliciter hoc aures accipiant, num ipso tempore filius, non dicebatur? Intellegi quidem potest, quoniam virtute Dei, ut Deus ipse, et forma Dei, ipse Deus, nomen hoc et hoc vocabulum postea acceperit, postea quam in mundum descendens, idest ὕλην, ipsam ὕλην praecidit, et vicit, et mortem superavit, ut iam mors non dominaretur. Quod si tanta haec eius opera, et tanta misericordia Dei, per hoc ab illo munus

(a) Ita codd., non *mors*. (b) Codd. *longon hoc*.

impletum est, in reditu atque reversione hoc uomen accepit, et hinc exaltus est, et hanc gratiam consequutus est, ut filii uomen acciperet, quod nomen supra omne nomen est.

Sed catholica disciplina dicit, et semper fuisse patrem, et semper
filium: et ita et dicendum est, et intellegendum. Verumtamen, quoni-
am apud nos hic error est natus (1), quod constet ante in carne de-
scensum, numquam filinm dictum esse λόγον, nec nunc ita expositio ista
currit, et sententiam suam tenet, ut cum dictum sit quod se ipsum exi-
naniverit, et cum Dei esset forma, formam servi acceperit et figuram,
in similitudine inventus hominis et factus; et usque ad mortem se humi-
liaverit, et mortem crucis, et adiunctum ita sit " propter quod Deus illum v. 9.
exaltavit ": videtur propter ipsam passionem exaltatus esse, et accepisse se
hanc gratiam, ut hoc nomen acciperet quod supra omne nomen est, propter
istam, inquam, causam. Sic enim dicit Paulus. Quod si ita est, quasi intellegi
vult, ante hoc non fuisse nomen, ut fuerit virtus Dei, λόγος fuerit, etiam for-
ma fuerit in eo quod λόγος, et Deus, et fuerit apud Deum: ac propterea
quasi non conveniat, ut tunc filii nomen acceperit, sed postea quam missus.
In quo intellegimus iam, ex eo quod missus est, illum esse patrem, et hunc
filinm: deinde propter opera, propter mysterium, propter passionem, qua
vita mors est, morte ipsa Christi; propter hanc, inquam, gratiam accepit
nomen quod supra omne nomen est; ut tantnm nomen accesserit, res eadem
fuerit: et ante, id est λόγος, atque ipsa virtus; non ut nunc primum res
fuerit, quando in carnem venit. Sed cum res venit, idest virtus, et sapientia,
et actus, et operatio, λόγος tamen dictus fuerit, et λόγος fuerit. Nunc autem ipse
λόγος cum induit carnem, ut dictum est, ipse inquam λόγος post passionem, et
post mortem crucis, qua vicit omnem mortem et omnia peccata, vocabulum acce-
perit filii, quod vocabulum supra omne nomen est. Quid enim est quod possit
accipi aequale, quod comparari possit cum fili nomine? Etenim amicitia,
sanguinis coniunctio, germanitas, et cetera, inferiora sunt omnia: sive ministro-
rum, sive angelorum, sive quaecumque alia dixerimns. Est igitur filius su-
pra omne nomen: quod nomen dedit Deus Christo post passionem, post
crucem.

Videri tamen potest, prope non ita esse ut verum sit, quod filius supra omne nomen sit. Etenim si filius non dicitur nisi cum pater sit, et pater cum filius sit, numquid etiam hoc nomen filius supra illud nomen est, quod pater est? Utique non. Quomodo ergo filius nomen cum acciperet, supra omne nomen accepit? Utique circa alia sine dubio nomina accipienda sunt, supraque omnia alia hoc nomen fili (a) sit. Nam pater cum filio iunctus

(a) Ita codd. pro *filii*. Et quidem unicam *i* in casu patrio saepe exhibent antiqui codices.

(1) Loquitur de Arianis, quos etiam subtiliter in sequentibus coarguit.

est, et aequalia nomina ista sunt, quantum ad nomina; etsi non sit filius
nomen supra patris nomen, nec pater nomen supra fili nomen. Virtus illa
quae dicitur pater, supra est, supra illam virtutem, quae dicitur filius (1); nomen
tamen vel filius vel pater, aequalia inter se sunt. Quod si ita est filius
supra omne nomen est, quia pater cum filio simul supra omne nomen
v. 10. est; cui nomini, et in quo nomine, Iesu Christi, omnis homo genua curvat,
et orat: neque homo tantum, sed omnia caelestia et omnia terrena, et om-
v. 11. nia sub terris quae inferius esse dicuntur. Et item " omnis vox confitetur,
„ quod Iesus Christus dominus noster, in gloria patris est „ et fuit semper.
Haec ergo gloria ei data est, ut gloria sit ipse patris, quoniam et pater
eum genuit; et ab eo creatus mundus est et salvatus, et vita mors est; et
salus aeternitasque, quae quaesita est his omnibus. Qui in ipsum credunt
mortem in Christi morte vicerunt.
" Quapropter, mihi carissimi, quemadmodum semper obauditis, non
v. 12. „ tamquam iu praesentiam tantum, sed multo magis nunc in absentia,
„ cum metu et tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui
v. 13. „ operatur in vobis, et voluntate et efficacia, pro bona voluntate „. Post
mysterium totius administrationis editum, quod ita positum fuerat, uti praeceptum confirmaretur, quo monebat ut omnis homo non de se cogitaret, neque curam gereret, ut et dominus noster Iesus suo mysterio egit; subiungitur, ut dixi, exhortatio ut se invicem diligant, primo cum dixit illos carissimos sibi, et dilectissimos: deinde sicuti, inquit, mihi obaudientes fuistis, ita semper obaudistis, non in praesentia tantum, sed magis ac magis in absentia, et obaudistis cum timore et tremore. Quare autem magis ac magis? vel quia dies praecedunt, vel quia in absentia plus timendus est ille, qui monet. Quid autem istud quod hortatur et monet ut agant atque operentur salutem suam, et agant observantes atque obedientes, cum timore, inquit, et tremore? ut timor ad animum, tremor vero ad corpus referatur. Magnum autem mysterium quod intente audire debemus, quod consulentes et curam aliis (a) gerentes, nobis magis salutem operamur. Deinde quod in nobis praestans (b) sit nobis salutem operari. Sic enim dixit " salutem vestram operamini „. Sed rursus ne unusquisque parum gratiam Deo referat, si ipse sibi salutem operari videatur, adiectum est illud " Deus est enim qui operatur in vobis, et voluntate et efficacia, pro bona voluntate „. Ergo salutem vestram, inquit, operamini: sed

(a) Ita codd. (b) Sic videtur in codd.

(1) Legendi sunt hac super re theologi; praecipueque Petavius de trinitate lib. II. 2, ubi is aliorum quoque ecclesiae doctorum similes locutiones sapienter expendit. Et quidem locum etiam Victorini nostri ex libris contra Arium ventilat, cuius verba passim esse obscurissima ait. Tum de illo Victorini loco sic definit Petavius: *sed haec minus ad catholicam regulam expensa, ut et alia pleraque, scriptor ille ferreus.*

ipsa operatio tamen a Deo est: Deus enim operatur in vobis, et operatur ut velitis ita. Et velle quasi nostrum est, unde nos operamur nobis salutem. Et tamen quia ipsum velle, a Deo nobis operatur, fit ut ex Deo et operationem et voluntatem habeamus. Ita utrumque mixtum est, ut et nos habeamus voluntatem, et Dei sit ipsa voluntas; et quia habemus voluntatem, adsit efficacia pro bona voluntate. Magis autem hominis alligat timorem, cum dicit " Deus est enim qui operatur in vobis ". Etenim si in ipsis Deus est qui operatur, sine dubio in timore esse debemus, ne faciamus contra Dei voluntatem, aut minus agendo, aut non cum timore et tremore. Operatur autem Deus in nobis, et velle et agere, pro bona voluntate. Ita qui non ex Deo operatur, primum non habet velle: deinde etiam si habuerit velle, efficaciam non habet, quia non habet bonam voluntatem.

" Omnia facite sine murmurationibus et haesitationibus vel retractationibus ". v. 14.
Ista duo sunt monita, ut cum agimus aliquid iam fidentes, iam in Deum credentes, et mandata divina exequimur vel apostolica vel prophetica vel evangelica,
non habeamus murmurationem, idest querelas obtemperandi cum obtemperamus:
nequid, inquit, agamus vel cum dubitatione aliqua vel cum ratiocinatione ac
retractatione, faciendum enim vel non esse faciendum. Vel quia ex necessitate
facias, si conquerraris, non est obtemperantis bona voluntas. " Ut sitis sine
" querela ". Graecus ait " ut sitis sine culpatione ": idest ut querela de vobis
non sit: et hoc dixerit latinus, sine querela et inculpabiles. Denique hoc
sequitur: " et sinceri filii Dei immaculati, in medio pravae generationis et
" perversae ". Si enim hoc modo vivatis et hoc modo obediatis, non eritis maculati, inquit latinus. Graecus tamen ita posuit ἄμωμα τέκνα, idest filii sine v. 15.
vituperatione. Hoc est, et supra dictum, sinceri autem sitis nunc, ubi in
medio pravae generationis et perversae. Quid hoc significet? si salvata anima hoc modo filius Dei fit, si ita vivat quemadmodum nunc, cum in mundo est, in medio est, in prava generatione et perversa, idest in hac vita. Ergo cum in hac vita sumus, laborandum nobis est, ut perversitatem istam fugientes et pravitatem generationis istius idest creaturae, in qua sumus, immaculati sine vituperatione, sinceri Dei filii, vivamus; facientes omnia sine vituperatione et sine retractatione. Non ergo facere tantum sufficit, sed et hoc modo facere, ut nulla sit apud nos vel retractatio vel admurmuratio et querela faciendi. Quae si in vita ista faciamus, mens enim devota iam Deo tunc efficitur inter filios Dei, si faciat praecepta Dei volens, cupida, sine querela; et faciat nunc cum in medio sit pravae generationis atque perversae. " In quibus lucetis ita ut luminaria in mundo ". Magna exhortatio, cum iam in hoc ipso, in quo in hoc mundo sumus, emineamus iam in hac prava generatione et perversa: emineamus autem ita, ut mundi luminaria si-

mus, quae in ipso mundo; ut sol atque luna et ut ceterae atellae lucentes. Fide enim et cognitione Dei secundum divina praecepta viventes excellunt Christiani, et ut lux et splendor in hoc mundo existunt. Etenim si praeter ceteros homines omnia, quaeque mala sunt, vincunt, et occultos daemones opprimunt, et iniquitates prodnnt, vincentes tenebras et opera tenebrarum; agunt in hoc mundo nt luminaria, et lumen omnibus praestant.

v. 16. " Verbum vitae obtinentes ad gloriam mihi in die Christi ",. Et vobis praemium est, quod ita vivitis, si quidem luminaria in mundo estis; et mihi ad gloriam eritis in die Christi, idest cum iudicaturus venerit Christus. Ego per vos habeo gloriam, quia vitae verbum obtinetis, idest quia Christum cognovistis, quod est verbum vitae: quia in Christo quod factum est, vita est. Ergo Christus verbum vitae est. Unde cognoscitur quantum sit beneficium et quanta gloria eornm, qui animas aliorum corrigunt. " Quoniam non in vacuum cucurri ",. Haec erit mihi inquit gloria per diem Christi, quod vos liberavi, et labor meus non in vacuum laboravit neque in vacunm cucurrit. Labor genus est, species laboris est currere. Ergo cum genus proposuisset, non in vacuum laboravi, quod esse poterat vel corpore vel lingua vel monitione vel instantia; adiecit speciem certam, non in vacuum cucurri. Hic vel labor est itineris, vel labor affectus, ut hoc persnaderet, et cito persuade-
v. 17. ret: hoc est non in vacnum cucurri. " Sed si laboro in victima et obsequio
18. " fidei vestrae, laetor et gratulor omnibus vobis. Hoc idem etiam vos laetamini mihi ",. Quod supra per praeceptum datum est, heic (a) in exhortatione ponitur: uti non nostri tantum curam habeamus, sed etiam nnusquisque et aliorum. Quod si ita est, et (b) gratulatio et ex nobis nascitur. De nobis et de aliis hoc ait. Sed si laboro, inquit, in victima et obsequio fidei vestrae, hoc est ut pro vobis etiam mori paratus sim, dummodo obsequar vobis, et fidem vestram confirmem, laetor et gratulor omnibus vobis. Sic ergo et vos laetamini mihi, ut pariter et curam nostri omnes geramus, et de nobis invicem laetemur.

v. 19. " Spero autem in domino Iesu Christo Timotheum celeriter mittere vobis, " ut et ego bono animo possim esse, cognoscens quae penes vos sunt ",. Hoc autem de mandatis est. Vere autem curam illorum gerit, siquidem et mittere alterum, qni eadem praestet illis, pollicetur, et a quo cognoscat (c) quae agant Philippenses. Timotheum snum carissimum promittit brevi se esse missnrum. Et quoniam omnis actus noster Deo est adsignandus, ut a Deo compleatur; spero, inquit, in domino Iesu Christo, quod vobis mittam Timotheum, et celeriter mittam. Causa cur mittat subiungitur " ut et ego bono animo sim, cognoscens " quae vos agatis, aut quemadmodum circa vos res sit ",. Quod autem dixit, ut

(a) Codd. *hoc*. (b) Ita codd. nisi quis forte mavult *haec* pro *et*. (c) Codd. *cognoscant*.

et ego bono animo possim esse; spero enim vos bono esse animo, quod omnia
praecepta servatis, et fidem in Iesu Christo, unde bono animo estis; ideo
autem ego mittere Timotheum celeriter volo, ut et ego bono animo possim
esse, cum cognosco quae sunt penes vos, vel ex moribus vestris vel ex
aliorum. " Neminem enim habeo, qui mecum sit unanimis ". Quare Ti- v. 20.
motheum polliceatur ostendit, et dat causas, quia neminem unanimem ha-
bet, idest qui eamdem mentem gerat. Habes unam causam. Subiunxit al-
teram: " qui fideliter sollicitus est de vobis ". Vere iste mittendus, qui
et mihi sit carissimus, et vestri curam gerat, et sollicitudinem pro vobis
habeat. " Omnes enim sua quaerunt, non quae sunt Iesu Christi ". Quoniam di- v. 21.
xit, solus est, et neminem inquit habeo, qui mihi sit unanimis. De ceteris
quas causas ponit? Seilicet quae secunda est pietas. Nam si Timotheus datur (a),
qui fideliter sollicitus sit pro vobis; et hanc causam subiunxit, vitium atque pec-
catum " omnes sua quaerunt ", idest solliciti sunt, sua defendunt, sua custo-
diunt: et ad hoc (b) christiani non est. Quid enim est christiani quaerere potius
in quocumque socio fratre, *quam* quae Christi sunt, idest fidem in Christum, so-
cietatem, amorem, scientiam? Potest tamen illud intellegi " quae sunt " idest
de Christo evangelizare. " Sed experimentum eius optime scitis ". Idest proba- v. 22.
tionem de eo habetis: graecus ita posuit. Scire debetis, percipite atque co-
gnoscite qualem probationem eius habeam. Denique iuste concelitur, quod
sequitur " quoniam sicuti patri filius mecum servivit in evangelio ". Apparet
ergo quid sit " non quae sunt Iesu Christi quaerunt ". Servivit, inquit, mecum
" Timotheus in evangelio sicuti patri filius. Breviter quemadmodum servierit
ostendit, quamquam dixerit mecum servivit (c) in evangelio. Sed quomodo ser-
vivit? ut servit filius patri, in caritate et obsequio maiore servivit mecum
Timotheus in evangelio: mecum enim, inquit, servivit; non mihi servivit.
" Hunc igitur spero me mittere mox ". Postea quam commendavit personam et v. 23.
affectum et diligentiam, subiunxit quod talem virum missurus sit. " Spero, in-
quit, me mittere ". Hoc et supra " spero in Domino ". Quod autem dixit " mox "
hoc est quod supra " celeriter ". Ut videro quae circa me sint, mittam Timo-
theum; sed cum videro quae circa me sint. " Confido autem in Domino quod v. 24.
" et ipse cito veniam ". Magno affectu, et magna monitione hoc adiunxit, quod
cum mittat Timotheum, tamen se promittat esse venturum.

Confido enim, inquit, in Domino, quia circa me omnia recte erunt; " ne- v. 25.
" cessarium tamen existimavi Epaphroditum fratrem, et commilitonem meum, ve-
" strum autem apostolum, et ministrum desiderii mei, mittere ad vos ". Licet
promiserit Timotheum celeriter se missurum, tamen quia (d) habet adhuc quam-
dam moram, cum missurum se dixit, nunc mittit Epaphroditum: necessarium,

(a) Codd. *Timotheo datum*; quae fortasse scriptura retineri potest. (b) Ita codd. (c) Codd. *servierit*. (d) Codd. *qui*.

inquit, mittere ad vos Epaphroditum. Commendat personam: postea subiunxit causam. Commendatio personae est, fratrem in lege, commilitonem in castris et in labore evangelii, vestrum autem apostolum. Ecce Epaphroditum apostolum nominat. Omnis enim qui mittitur, et qui propter evangelium mittitur, apostolus dici potest. Denique hinc illi apostoli dicti XII vel XI a ministerio, quo mittebantur praedicare. Ita quicumque ad hoc mittitur, apostolus dici potest. Quod autem dixit vestrum apostolum, vel quia (a) ad vos mittitur; alii enim ad alia loca: vel quem vos de vestris elegistis apostolum; ministrum, inquit, tamen desiderii mei. Quod est autem desiderium meum? ut vos audiatis, ut
v. 26. vos verbum obtineatis. " Quia desiderans et concupiscens erat omnium vestrum ,,. Nunc subiungit causam, quare ipsum mittat: etenim Timotheum celeriter se missurum dixit, ut bono animo possit esse cognoscens, quae penes vos sunt. Nunc hunc mittit, quia desiderat vos, et concupiscit vos omnes, et aegre est se esse absentem. Probat autem quod aegre ferat sic: et taediabatur; propter quod audiebatis esse (b) infirmum. Hoc, inquit, taedio laborabat, et audiebatis illum infirmum esse corpore, idest aegrotare. An hoc significat taediabatur, ut sibi sua causa sit, quod in aegrotatione fuit? et ex ipsa causa taediabatur, et propterea aeger fuit, quia desideravit vos et concupivit? Inde ergo iam mitto illum vobis.

v. 27. " Nam et infirmus fuit usque ad mortem: sed Dominus misertus est ,, eius; nec illius tantum, sed etiam *mei*, ut non tristitiam habeam ,,. Ostendit cur vel desiderabat Philippenses vel taediabatur; qui usque ad mortem, inquit, fuit infirmus. In tali aegrotatione magna sunt desideria et vehementia: ad mortem, inquit, aegrotabat; Dominus autem misertus est eius. Ecce quoniam beneficium a Domino et hic in vita sentimus. Deinde quia et festinare ad mortem non debemus. Licet enim peccati ministerium mundus sit, et idcirco fugiendus; tamen et desiderare vitam in mundo, peccatum non est. Et si debet desiderari, recte dictum, sed Dominus misertus est eius. Deinde quoniam omne quod ad (c) vitam hic agimus, si et iusti simus, et nobis prosimus et aliis, merito nostri miseretur Deus, et reservat in vita. Sic denique adiungit " non illius tantum Deus misertus est, sed etiam mei, ut ,, non tristitiam habeam ,,. Etenim si supra dictum ministrum desiderii mei, de ipso Epaphrodito; si enim perderem ministrum desiderii mei, contristarer et tristitiam haberem. Ergo multi servantur: et Deus eorum miseretur, per quos aliquid agitur quod ad ministerium salvationis pertineat. Simul et nos pro huiusmodi hominibus rogare debemus, ne tristitiam habeamus si illos amiserimus, quorum au-
v. 28. xilio utimur in divinis rebus agendis, insinuandis, enunciandis. " Festinantius ,, itaque misi eum ,,. Discrevit missiones suas. Nam de Epaphrodito " misi ,,

(a) Codd. *qui*. (b) Codd. *per pro esse*. (c) Ita codd.

inquit. De Timotheo " celeriter, inquit, spero me mittere vobis ". Et tamen supra " necessarium existimavi mittere ad vos " non de eo est quod missurus est, sed quod iam missus. Unde hic conclusit " misi ad vos, ut cum videritis illum, " denuo gratulemini, et ego sine tristitia sim ". Iunxit et hanc causam, cur illum miserit. Supra ideo misi, quia desiderabat vos et concupiscebat: nunc ad ipsos Philippenses, ut vos gaudeatis, et denuo gratulemini, cum illum videritis. Quid est denuo gratulemini? ut cum in tristitia fueritis; sic enim supra dictum audieratis illum esse (a) infirmum, nunc rursus gaudeatis, cum eum videtis. An denuo, quia post gravem valetudinem audierunt illum sanum factum, et gratulati sunt, nunc autem si eum videant, denuo gratulabuntur? Quod autem adiunxit " et ego sine tristitia sim " quia si supra dixit ministrum (b) sui desiderii esse Epaphroditum, utique cum illum mittit, quasi videri potest tristis (c): sed quoniam et ille desiderabat illos, et gratulabuntur si illum viderint, poterit Paulus esse sine tristitia.

" Excipite ergo illum in Domino cum omni gratulatione; et eos qui huius- V. 29.
" modi sunt, in honoribus habetote. Quoniam propter opus Christi usque ad 30.
" mortem accessit, exponens in incertum animam suam, ut suppleret id quod " defuit vobis circa meum obsequium ". Commendatio est haec, ut Epaphroditum suscipiant. Dat autem gratiam causamque commendationi; in Domino, inquit, excipite; idest ut eum, qui minister sit Domini: vos qui iam in Domino estis, amate Domini ministrum, et amate cum omni gratulatione. Atque id vult generaliter omnibus exhiberi, qui tales sunt. Eos, inquit, excipite qui eiusmodi sunt. Quid est autem ipsum excipite? in honoribus habete. Dat etiam causas, cur ista praeberi hominibus velit, quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit. Hoc utique de Epaphrodito; quia dum vult labore et animi et corporis satisfacere evangelio, hoc est verbum Domini praedicare, multum laboravit, et aegrotatione gravi ad mortem accessit. Simul et quid Epaphrodito contigerit, et quid nos agere debeamus ostendit. At (d) quantum laboravit? ad mortem, inquit, accessit; et ponens in incertum animam suam. Non in incertum quod circa vos agebat, sed in incertum quod usque periculum laboravit (e): ut iam in incerto esset, an viveret per laborem. Quid autem egit circa vos? Ut suppleret id quod defuit vobis circa meum obsequium: ut quod ego occupatus fui, ille compleret quod mecum defuit obsequium. Etenim revera quoniam una praedicatio est, et una doctrina est, labor tantum diversus potest esse in singulis apostolis et evangelistis; unum tamen est, quod docent. Denique et ipse Epaphroditus apostolus quid implevit (f)? Hoc, inquit, obsequium, quod vobis defuit, ille complevit.

(a) Codd. *per.* (b) Codd. *ministerium.* (c) Codd. *tristius.* (d) Codd. *aut.* (e) Codd. *laboratis.* (f) Codd. *deusque ad ipsum Epaphroditus quod apostolus implevit.*

CAP. III. V. 1. " De cetero fratres gratulamini in Domino: eadem scribere ad vos,
" mihi quidem non pigrum, vobis autem manifestum (a) ". Gaudete, inquit, in Do-
mino, o fratres, quod mihi non pigrum est eadem ad vos non scribere, vobis
autem plurimum prodest. Firmum atque tutum est, quod scribo. Graecus
V. 2. sic posuit, ut firmum diceret et tutum: latinus, manifestum ait. " Cavete (b) a ca-
3. " nibus, attendite operarios malos, intuemini praecisionem. Nam circumcisio nos
" sumus, qui per spiritum Deo servimus, et exultamus in Christo Iesu, non
" in carne fidentes ". Haec admonitio non quid faciendum, sed quid vitandum
sit, docet. Monet autem ut a Iudaeis se temperent: cavete (c), inquit a cani-
bus. De canibus est tractatus (d): nam et ponit scriptura divina esse canes,
qui prosint et defensores sint ecclesiae, sicut David docet in psalmo LXVIII (1),
quos dicit satiari e sanguine inimicorum in templo Dei. Et hic adversus canes
dicit, a quibus dicit cavendum esse; Iudaei scilicet, qui sint, quod operarii
sint et mali: operarii enim in operibus exercent vitam, Deum non cogno-
scentes, et salutem sibi ex operibus sperant: de quibus supra iam dictum
quod opera nihil valeant. " Intuemini, inquit, praecisionem ". Ut apud illos prae-
cisio sit, quod foedam partem corporis praecidunt. " Nos autem circumcisio
" sumus, inquit ". Circumcidimus enim omnem malitiam ex cordibus nostris: et
id facimus, quia (e) per spiritum Deo servimus, illi autem per carnem; ergo
praecisi sunt, non circumcisi. " Exultemus " inquit; imo potius exultamus. Ubi
autem exultamus? Non in carne, ut illi, fiduciam habentes, sed in Christo
Iesu. Ergo avocate omnem scientiam vestram a iudaica disciplina, ab operi-
bus Iudaeorum, a circumcisione iudaica; et circumcisionem cordis habetote;
ut per spiritum Deo serviamus et exultemus in Christo. Illi autem in carne
exultent; inde fiduciam habentes, quia in carne circumcisi sunt, se posse ser-
vari, et aeternam vitam mereri.

V. 4. " Quamquam ego habeam etiam in carne fiduciam ". Multis modis
probatur Iudaeos omnem fiduciam in carne habere et in circumcisione: si-
quidem etiam sic interpretati sunt Iudaei, cum salus proveniret circumciso
Moyse (f): unde intellegi licet Iudaeos etiam de carne, et magis in car-
ne, fiduciam gerere. Sed hoc Paulus docet, si in carne, inquit, est
fiducia, idest in circumcisione; magis mihi est: ego enim in carne, inquit,
fiduciam habeo. Denique ita supponitur, si quis alter putat se in carne con-
fidere, magis ego. Et docet, quare in carne fiduciam si aliquis habeat, ma-

(a) Ita codd., non *necessarium*. (b) Codices duo *caute*, tertius recentior *cavete*. (c) Codices *caute* et *cavete*, ut supra. (d) Ita codd. (e) Codd. *qui*. (f) Ita codd.

(1) Scilicet LXVIII. secundum Hebraeos; at LXVII. secundum Graecos et latinam vulgatam. Sequitur ergo, more suo, Victorinus antiquiorem recensionem.

gis ipse habeat. Et sic (a) ostendit personam suam totam omni modo iudaicam, cir-
cumcisione, genere, tribu, gente (b), lege, administratione in lege, studio etiam
vitae. Et tamen omnia haec cum circa iudaicam compleverit disciplinam;
ista, inquam, cuncta dapmno sibi esse dixerit propter Christum, et pro-
pter eminentiam carnis eius. Haec igitur omnia in propositione sic proba-
buntur. Circumcisus sum octava die; haec circumcisio est. Genere inquit, ex ge- v. 5.
nere Israhel. Item tribu Beniamin. Item gente hebraeus (c) ex hebraeis. Item lege,
secundum legem pharisaeus. Item studio, secundum aemulationem persequens ec- v. 6.
clesiam. Item vita, secundum iustitiam, quae est in lege, cum essem sine
reprehensione. His ergo omnibus se probavit magis fiduciam habere in carne
et in circumcisione; quae omnia iudaicae disciplinae habuerit, et in sanguine,
et in gente, et in animo, et in vita. Quod autem dixit secundum aemula-
tionem persequens ecclesiam; ut magnum studium pro synagoga habens,
ecclesiam persequeretur. Item quod ait secundum iustitiam, hoc est per mo-
res et vitam, unde homo iustificatur; in lege tamen Iudaeorum ait. Cum es-
sem sine reprehensione, ut nullum crimen admiserim, fecerimque omnia quae lex
iussit. Ipsa est enim iustitia apud Iudaeos ex lege. Verum cum iustitia nunc
nobis Christianis a Christo sit, et propter ipsum iustificemur; " illa, inquit, v. 7.
„ quae erant mihi in lucro, haec pro dapmno esse duxi „: hoc est dapmnum mi-
hi facere intellexi, habens omnia illa vilia propter Christum.

Verum (d) et hoc adiecit " propter eminentiam Christi Iesu domini nostri „.
Graecus autem habet " propter eminentiam cognitionis domini nostri Iesu Christi „:
ut illa ostendat et parva esse et minima et magis contraria, si sola sint; quia dam-
pno sunt, inquit: et ista Christi eminentia est quae excellat (e) et vincat omnia.
" Propter quem universis detrimentis adfectus sum, et ut stercora existimo „. Con- v. 8.
cludit sensum, omnia se illa contepmnere, et detrimenta omnia pati propter Chri-
stum, ut lucri Christum faciat. Quid autem est detrimentis adfectus sum? Omnia
illa, quae gloriosa mihi fuerant, et de sanguine, et de tribu, et de gente, et
quod in lege fueram pharisaeus, et quod iustitiam sic servassem, ut sine re-
prehensione essem; his omnibus proiectis, detrimenta omnium rerum sustinui;
et illa omnia ut stercora existimavi vel existimo. Melius enim sic legimus,
quam existimor: nam et graecus ita posuit ἡγοῦμαι (f), non ut ipse ab aliis existime-
tur, sed ut existimet illa omnia superiora, ut stercora; atque illa abiiciat,
et iusta sententia Christum lucrifaciat. Ipse subiungit: " et inveniar in eo „. v. 9.
Hoc est enim Christum lucrifacere, iam in eo esse, et fide illi iungi, et ip-
sum sentire, ipsum habere.

" Non meam iustitiam habens, quae ex lege est „. Illam scilicet
quam supra exposui, cum sine reprehensione viverem: tunc enim quasi

(a) Codd. *et.* (b) Codd. *tribuente.* (c) Codd. *hebraei.* (d) Codd. *parum.* (e) Codd. *excellet.* (f) Codd. ἡγούμενον.

mea iustitia est, vel nostra, cum moribus nostris iustitiam Dei mereri nos putamus perfectam per mores. At non, inquit, hanc habens iustitiam. Sed quam? Illam subiungit: " sed eam, quae est ex fide Christi, quam praedixit; ex Deo iustitiam (a), ex fide. Hanc ergo iustitiam, inquit, habet; non illam, quae ex lege est, quae in operibus est, ut dixi, et carnali disciplina; sed hanc quae ex Deo procedit. Quae illa est? iustitia ex fide, quae est fides ex fide Christi, idest
ex nobis (b) in Christum. Et plenissime subiicit, quae sit fides nobis in Chri-
v. 10. stum, unde nobis iustitia est. " Ad cognoscendum eum, et virtutem resurrec-
11. „ tionis eius, et societatem passionum eius: particeps oneris mortis eius; siquo
„ modo obvius fiam in resurrectione, quae est ex mortuis „. Exponit fidem quam habemus in Christo, quam persuadere se dixit et annunciare Philippensibus, quae procedit ex Deo, iustitia ex fide, ex fide (c) quam subiungit ad eum cognoscendum, quid sit, qui ipse sit, unde sit. Utique de Christo haec deinde adiunxit, " et virtutem resurrectionis eius „. Vel in eo quod resurrexit virtute; magna enim virtus resurgere a mortuis: vel in eo quod ad nostram salvationem resurrexit; haec enim est virtus resurrectionis eius. Atque idem sequentibus probavit: etenim, inquit, si societatem passionum eius habemus, sicut ipse dixit, quia mortis participes fuimus vel sumus, idcirco et participes eius erimus. Haec virtus est resurrectionis, quia est societas nobis passionum eius. Quae autem est ista societas? quia qui Christum credimus, passiones toleramus, et omnes passiones, utique ad crucem atque ad mortem: quibus his omnibus ex cognitione et ex passionum societate resurrectio provenit; et inde cum participes mortis onerisque eius sumus, aliquo modo obvii efficimur, ut in resurrectione obvii veniamus, quae resurrectio est a mortuis. Ecce quae fides in Christum est; et hanc docere se dicit, docens quid in vita ogendum sit; scilicet ut socii passionis Christi, et hoc credamus, et haec nobis fides sit, quia veniemus in virtute resurrectionis eius; participes scilicet effecti oneris mortis eius: ut ob hoc aliquo modo obvii fiamus in resurrectione, quae est ex mortuis. Hoc praemium est, labor ille; illa vita, hoc meritum et gloria.

v. 12. " Non propterea, quod iam acceperim aut iam consummatus sim „. Fortius hoc adiecit de se quidem memorans; sed nostrum est ad nos revocare quod de se Paulus dicit. Quid autem istud est? ut illis laboribus, et illa tolerantia societatis in morte atque passionibus, obviam ire possimus, simulque consurgere in resurrectione mortuorum. Sed non propterea, inquit, haec ego ago, quod iam ista acceperim aut consummatus iam sim: quamdiu enim enim quisque vivit, nondum haec accipit aut consummatur: adhuc enim in societate passionum eius versatur: quippe cum usque ad mortem sit societas

(a) Codd. *iustitia*. (b) Ita codd. (c) Ita repetitur, facta in margine emendatione apud antiquiorem codicem.

passionum. Nondum ergo accipit neque consummatur, sed perseverat usque vitae exitum, in iisdem istis laboribus et vera societate passionum eius manens, tunc poterit in resurrectione eius ex mortuis obvius ire. In quo tamen etiam dubitationem posuit dicendo " si quo modo obvius fiam ,,. Quod adhuc enim vivit, ideo dixit " siquo modo ,,. Nam cum perseverat in societate passionum, qui etiam ipsa morte consimilis extiterit, nulla dubitatio est quin obvius fiat in resurrectione. Quid est autem obvium fieri in resurrectione mortuorum? Perfecta atque plena vita uniuscuiusque et exacta ex societate passionum Christi omnibus modis eo tempore cum resurrectio fit a mortuis, idest cum resuscitantur mortui. Ille, ut Paulus de se loquens dicit, ille inquam, qui plena societate passionum eius egit vitam, obvius Christo fit: non resuscitatur, sed obvius Christo fit. Alii resuscitantur tantummodo; at vero perfecti, et omni genere passi quemadmodum Christo obvii erunt, et obvii ibunt venienti Christo; sicut et ipse alibi dixit. Merito igitur siquo modo ait, quod adhuc in vita sit. Et merito adiunxit " non propterea quod iam acceperim, aut iam consummatus sim: sector autem ut aliquando comprehendar, in quo et comprehensus a Christo sum ,,. Vides quod adhuc in vita se esse dicat, et idcirco supra dubitaverit. Sectatur (a) enim adhuc per passiones omnes Christum, ut comprehendat Christum, idest ut perveniat ad Christum omnibus passionibus eius particeps factus. Christus enim omnibus passionibus suis liberavit omnes sequentes; et quodammodo comprehendit universos, sed qui sequerentur. Is qui sequi et comprehendere Christum vult, in omnibus passionibus sequi Christum debet, ut comprehendat Christum in eo in quo et comprehensus a Christo est. Nam si passionibus suis Christus liberavit omnes, comprehendit omnes passionibus suis; in his igitur sumus. Idest particeps Christo factus per eius passiones, in eo comprehendit Christum, in quo comprehensus a Christo est.

" Fratres ego me non arbitror comprehendisse ,,. Adhuc perseverat in eo v. 13.
quod dixi quod adhuc vivit, et idcirco non iam acceperit nec consummatus sit, nec iam comprehenderit. Hoc enim dixit, sector autem ut aliquo modo comprehendam. Ergo arbitror nondum me comprehendisse ut exinde intellegant Philippenses quam longe a beneficiis liberationis sint, cum ipse ille Paulus in tot passionibus Christi saepe versatus, caesus, inclusus, feris obiectus, et ceteris malis oneratus, nondum tamen se arbitretur comprehendisse Christum; quippe cum adhuc vivat et supersit. Magna illa participatio passionis per quam vere iungimur, si Christum etiam in passione imitemur. " Unum adhuc tamen quae sunt retro transmittens in oblivionem, in ea vero quae in primo sunt extendens me secundum regulam, sector ad

(a) Codd. *sectantur*.

„ bravium supernae vocationis in Christo Iesu „. Quoniam, ut diximus, ita supra loquutus siquo modo obvius fiam in resurrectione mortnorum, et docuimus cur sit posita ista dubitatio quod adhuc vivat, et multa possent accidere, maximeque ipsa illa mors; idcirco adiunxit non se arbitrari comprehendisse adhuc Christum. Sed quiddam (a) habere etiam nunc in sententia se ostendit; unum, inquit. Quid illud est? ut omnia quae praeterita sunt in oblivionem mittantur; sequatur tantum quae futura sunt in primo; idest in his quae ante nos prima sunt, et sequenda secundum regulam disciplinamque praeceptorum a Christo, ut ad bravium supernae vocationis, in Christo tamen Iesu, venire possimus. Duo igitur praecepta sunt ad reliquam vitam christiano ordine viventi, et qui ex regula adhuc vivat, ut ea omnia quae egit, bene licet recteque agat, non sibi tamen in memoria teneat, tamquam inde mereatur quae consequi habet; sed mittat in oblivionem, semper deinde quasi nova sequatur, quae restant, secundum regulam tamen vivens, ac se in ea semper extendens, atque usque ad exitum mortis custodiens regulam christiani, ut possit ad bravium venire. Nam meminisse praeteritorum, etiam recte factorum primum, merito suo attribuentis et vindicantis est; cum haec nec nostra sint, et non operibus nostris gratiam consequamur. Deinde nescio quomodo in ea quae in primo sunt, idest quae consequuntur, negligentes sumus, fiducia quia multa facimus. Unde praecepit apostolus, retro quae sunt, transmittenda esse omnia in oblivionem. Potest accipi etiam illa quae diximus, sed diversa vita qua viximus: ut ipse Paulus, quod iudaeus fuit, quod insectator legis, et cetera: ut haec dixerit retro esse, et in oblivionem mittenda; ac si nostrum unusquisque vitam praeteritam in oblivionem debeat mittere. Verum fortior ille sensus, etiam bene gestam, et recte secundum regulam actam vitam praeteritam, in oblivionem mittere debeamus, et in ea quae in primo sunt nos extendere secundum regulam, ut sequi Christum possimus ad bravium supernae, inquit, vocationis. Ex eo enim iam Christiani sumus, vocati a Deo sumus. Haec superna vocatio est: nemo enim ad Deum vel a Deo vocatur nisi in Iesu Christo. Ipse enim est ianua, ipse propitiator, conciliator ipse: et hoc multis partibus docuimus: et sic vita nobis est, atque esse debet; ut duce Christo praeeunte, idest fide (b) nostra in Christo, ad bravium venire possimus.

v. 15. " Quicumque itaque perfecti sumus, hoc sentiamus: et si quid aliter sapitis, „ et hoc Deus vobis revelavit „. Hinc intellegi licet, vere nos (c) exposuisse de his quae supra diximus, ut retro transmittamus in oblivionem ea quae sunt gesta a nobis in recta regula. Siquidem iungit: quicumque itaque perfecti, retro mittant in oblivionem omnia quae gesta sunt. Non enim meritis nostris, sed Dei gratia, consequimur bravium. Sic igitur hortatur: hoc sentiamus, inquit. Qui illi hoc

(a) Codd. *quidam*. (b) Codd. *fides*. (c) Codd. *vos*.

sentiant? Quicumque perfecti sumus. Quid autem sentiamus? Ut quae sunt re-
tro, transmittamus in oblivionem, et praesens enim tempus, idest quod nunc
gerimus, in oblivionem transmittendum est. Utique si praesens, et praeteri-
tum scilicet, et quae in vita habuimus: et ad ea quae in primo sunt, ex-
tendamus nosmet ipsos secundum regulam. Hoc, inquit, sentiamus omnes, et om-
nes perfecti. Quod vero adiungit " et si quid aliter sapitis, et hoc vobis
„ Deus revelavit „ si plenus est sensus, et se tenens non ad posteriora con-
iunctus, sic intellegendus est: et si est aliquid de hoc ipso, quod nos dixi-
mus, quod vos aliter accipiatis, et intellegatis, sapiatis concedo vobis: quo-
niam enim de perfectis loquitur, sic enim dixit, quicumque itaque perfecti
sumus. Ergo qui perfecti, etiamsi aliter sapitis: quae conclusit ad conces-
sionem, et hoc Deus vobis revelavit, bonum est, quoniam hoc et hoc, quod
vos sapitis, et id quod ego dixi. Si autem non est istud, concedentes, pen-
debit sensus, ut ita dictum sit, si quid aliter sapitis, et tamen hoc vobis
Deus revelavit: adiungit quod subiunctum est: " tamen id sapiamus ad quod v. 16.
„ pervenimus „ idest quod nos docuimus, et ad quod instituti sumus. Sic enim
subiungit, verumtamen in id quod (a) pervenimus, in id ipsum sapiamus, in eo-
dem ambulemus. Hoc est, ex quo evangelium vobis pronunciavi, et ad hoc
usque pervenimus genere vivendi et intellegendi; id ipsum, inquit, sapiamus,
et in eodem ambulemus; in id scilicet quod pervenimus: etenim dicendo " ta-
men „ quasi repudiat. Quod supra est non admittimus, et sensus talis: est
quidem istud tolerabile et faciendum; verumtamen illud maxime. Ergo et si
aliter sapitis, et si hoc Deus vobis revelavit, quo (b) aliter sapitis; verumtamen
in id quod pervenimus, in (c) id ipsum sapiamus. Quid autem illud est, in id quod
pervenimus? Quod olim ex meis monitis accepistis, et quod nunc a me prae-
ceptum est: in id enim pervenimus, ex omni admonitione et praeceptis: in-
quit autem, pervenimus; praeceptis nostris scilicet; ut quae retro sunt trans-
mittentes in oblivionem, in ea quae in primo sunt, extendamus nos secun-
dum regulam, ut ad bravium supernae vocationis veniamus in Iesu Christo.
In eo ergo, inquit, ambulemus. Adeo de vita illa et de praecepto ad vitam
superior ratio est. Siquidem supra dictum, quae sunt retro transmittentes in
oblivionem, in primo quae sunt extendamus nos. Hoc est enim in eo ambu-
lemus.

" Imitatores mei estote, fratres „. Opportune ad sententiam, quam loqueba- v. 17.
mur; ut nihil ipsi novi faciant, etsi aliter sapiunt, etsi aliquid a Deo re-
velatum habent. Imitatores mei, inquit, estote, fratres; ut quae ego ago, quae
praecipio, quae in vita exerceo, quod sequor (d), hoc quoque vos imitemini,
et sequamini. " Et contemplamini eos qui ita incedunt, quemadmodum exem-

(a) Ita codd. (b) Ita codd. (c) Codd. *in ipsum*. (d) Codd. *ac quod*.

„ plum habetis nos „. Praeceptum dederat quid agendum perfectis viris esset, et postea adiecerat ne aliter saperent, et quasi concesserat; concludens tamen ut se potius sequerentur, atque ita ambularent quemadmodum ipse. Nunc plena hortatione cum diceret, imitatores mei estote, adiecit exemplum, quo facilius persuaderet; ideo facere oportere; scilicet quod alii facerent: contemplamini, inquit, eos qui ita incedunt, quemadmodum exemplum habetis nos. Duo conclusit, qui ita incedunt quemadmodum nos, et in eo ipso ut et ipse his esset exemplum breviter collocavit, et qui aliis esset, et qui his esse deberet. Scilicet
v. 18. quemadmodum illi me imitantur, etiam vos habeatis et exemplum. " Multi e-
„ nim incedunt, de quibus vobis saepe dixi „. Plus adiecit, ut pauci essent qui illum viderentur imitari: " multi, inquit, ita incedunt „. Et adiecit aliud argumentum, ne hodie vobis exemplum proferam ad exhortationem, multi, inquit, sunt qui incedunt sicuti nos, de quibus saepe dixi. Ergo non ad tempus protulit eos qui ita incederent; siquidem de ipsis quod ita incederent, saepe iam dixerit.

v. 19. " Nunc autem etiam lacrimabundus dico, inimicos crucis Christi; quorum
„ Deus venter, et gloria in turpitudine eorum qui terrena sapiunt „. Maior hortatio est, cum ex metu sit. Supra enim ex commodis et utilitatibus. Nam est (a) exhortatio quemadmodum vivant, ad hoc ipsum quod supra praecepit, cum ipse ad eamdem vitam compellat et adigat Philippenses, et dederit rursus aliud argumentum quod iam multi eodem modo vivunt, et multi quos iam ita vivere ipse Philippensibus Paulus saepe dixerit. Haec utilitas exhortationis maiore ratione firmatur, quid mali pati habeant si aliter vixerint, et ut dixi maior est persuasio ex timore. Adiecit etiam adfectum, dicturus mala quae patiantur illi, qui aliter vivunt dicendo: lacrimabundus dico. Doleo enim et lacrimo, quia qui inimici crucis sunt, idest qui non credunt in hoc evangelium, quod scilicet credant in Christum hominem, idest qui in homine fuerit, qui natus ex Maria sit, crucifixus sit. Omnes igitur haeretici, qui neque crucifixum, neque in homine Christum accipiunt, qui multi et varii sint; hii, inquam, finem habebunt interitum. Alii enim dixerunt hominem fuisse, non in homine fuisse (1). Alii negant omnino natum in carne, alii negant crucifixum. Omnes hii haeretici, ut dixi, atque horum (b) similes interituri sunt. Hoc enim dixit, quorum finis est interitus: quae utique consequentur huiusmodi homines. Et quid patientur, et quid sint, ita numerat: quid patientur; quorum finis est interitus: quid sint; quorum Deus venter: quid consequentur; et gloria, inquit, in turpitudine eorum. Quemadmodum sapiant, adiunxit; qui terrena sapiunt.

(a) Codd. *cum* pro *est*. (b) Codd. *huiusmodi*.

(1) Sensus loci est, quosdam haereticos dixisse Iesum merum hominem, non Deum cum adsumpta sibi hypostatice humanitate.

De interitu; quod finis eorum sit interitus, qui haec non credunt, idest qui inimici crucis sunt. Hoc enim dixit, inimicos crucis Christi esse, crucem Christi non credere. Hii, inquam, perituri; et finis his est interitus.

At vero istud qui non credunt, idest qui inimici crucis Christi sunt, quomodo Deum habent ventrem, de quibus dixit quorum Deus venter est? Duo quodammodo sunt, idest unum de duobus, qui inimici crucis Christi sunt: aut enim carnaliter sentientes crucem Christi rident, cum hominem Christum putant in crucem sublatum; non mysterio secundum evangelium Christum in homine crucifixum, per quod peccatum vicit et triumphavit potestates, et triumphavit per carnem crucifixam: hanc inquam crucem in mysterio habemus. Alii, ut dixi, ut secundum hominem, vere tantum hominem accipiunt crucem: et idcirco inimici sunt cruci: et hii quia carnaliter sentiunt, contemnunt mysterium crucis: et hii, ut dixi, de carne sentiunt, et nihil aliud quam de carne extimant, et illis Deus venter est, et gloria in turpitudine eorum est: et hii sunt, qui terrena sapiunt, quorum tamen finis est interitus. Aut rursus illi qui spiritalem sentiunt Christum; et non intellegunt illum in carne, neque crucifixum; et idcirco inimici sunt crucis Christi; et ipsi finem habebunt interitum. Et haec pars conclusa de illis est: quamquam ista pars pertineat et ad illos qui de Christo carnaliter sentiunt: at vero haec tria, quae sequuntur, ad eos pertinent qui de Christo carnaliter sentiunt; ut Deus eorum venter sit, et gloria in turpitudine eorum, et terrena sapiunt.

" Nostra enim conversatio in caelis est ,,. Utique hoc contrarium superiori V. 20.
est; ad istam partem tamen quod dixit terrena sapiunt, aestimando Christum ho-
minem esse, et hominem fuisse, et non in carne fuisse, sed cum carne venisse,
sicuti Iudaei venturum dicunt, et ceteri haeretici. At (a) nos contra, omnem vi-
tam, et conversationem vivendi in caelis habemus; sentientes de caelo venisse
Christum, induisse carnem, in cruce sublatum. Denique sic adiungit: " unde
,, etiam salutarem expectamus dominum nostrum Iesum Christum ,,. Ut et in-
de venerit, et inde venturus sit. Etenim si inde venturus est, et ante inde
venit. Qui enim ascendit, ipse est et qui descendit. Ergo nos in caelis ha-
bemus conversationem, quia inde et salutarem expectamus dominum nostrum
Iesum Christum, qui venturus est ad iudicium postremis temporibus; et erit
nobis salutaris, quia in ipsum credimus, et Christum expectamus. " Qui trans- V. 21.
,, figuravit (b) corpus humilitatis nostrae, ut sit aequiforme eum corpore
,, gloriae ipsius, secundum operationem potentiae suae, ut possit etiam uni-
,, versa illi subdere ,,. Et iste locus tenet de resurrectione mysterium. Etenim
quod Christus in carne positus implevit ut salvaret animas, ut et carni etiam
per resurrectionem immortalitas daretur, virtutes suae crucis operatus est. Et

(a) Codd. *ad.* (b) Ita codd. heic et infra, non *transfigurabit.*

haec omnia expectamus, et ipsum dominum nostrum Iesum Christum; qui, inquit, illo mysterio quo descendit et crucifixus est et resurrexit, humilitatem nostri corporis vel figuram, aut magis corpus humilitatis nostrae transfiguravit. Quomodo istud est? Quia corpus nostrum humile cum resurgit et immutatur, in melius transfiguravit Iesus Christus humilitatem corporis nostri: vel corpus nostrum humile transfiguravit in magnificum. Dat (a) illi scilicet aeternitatem, faciens ipsi indumentum celeste; ut sit, inquit, aequiforme cum corpore gloriae ipsius. Namque Christus spiritus est, ex quo illi corpus species (b), et virtus, ipsa species quae virtus est, species gloriae corpus est divinae et aeternae (1). Cum autem nos resurgentes immutabimur, et spiritales effecti fuerimus et anima et corpore et spiritu; ita enim ista in unum virum concurrunt, atque unus spiritus erunt; sit et corpus humilitatis nostrae aequiforme, hoc est eiusdem atque aequalis formae cum corpore gloriae ipsius Christi, ut et nos spiritus simus, ut et ipse spiritus est. Fiet autem hoc secundum operationem potentiae eius. Omne enim mysterium atque omnis actio Christi hoc operatur hoc complet secundum potentiam suam, ut nos in unum conveniamus; cum et anima et corpus et spiritus erunt, ut (c) ipse spiritus est.

Item, quia Deus cum spiritus sit, subiicientur universa Deo cum ad unam virtutem redigentur: et sic, inquit, poterit universa illi subdere, scilicet Deo. Videri potest in continuum et non coniunctum in oratione, cum ita posuit " ut " possit etiam universa illi subdere " neque praemisit quo referamus " illi " Etenim si " illi " ad Deum revocamus, Deus supra nominatus non est, sit obscurum et non rectum, sed ab interpretatore magis positum quam a Paulo. Quo igitur referimus " illi "? Constat quidem quoniam ob hoc operatur Christus, uti universa Deo subiiciat: sed hic Dei significatio nulla est. Quo igitur referimus? Intellegendum quomodo breviter, et aperte tamen posuerit Deum. Nam cum dixit quod Christus, quem expectamus, transfiguravit corpus humilitatis nostrae, ut ipsum corpus humilitatis nostrae sit aequiforme cum corpore gloriae ipsius; hic est ubi Dei intellegentia accipitur, et ipse Deus, cum dixit secundum operationem potentiae suae. Omnia enim fecit Christus ut consuleret animis, aeternitatem carni etiam daret, et aequiforme corpus nostrum faceret corpori (d) gloriae suae, sed hoc fecit secundum operationem potentiae suae. Operatus est enim, sed potentia eius per quam operatus est: Deus autem est; per patrem enim operatur. Christus quidem operatur: scilicet pater in eo est, et per ipsum operatur. Ergo ubi dixit " po-

(a) Codd. *da*. (b) Codd. *spa.* igitur vel *species* vel *spiritus*. At in sequentibus idem cod. *species*. (c) Codd. *et*, (d) Codd. *corpus*.

(1) Ita se habet locus in codd. Atque haud scio an satis theologice loquatur Victorinus; sed certe obscuritate sua se involvit. Recole Petavii dictum p. 64. n. 1.

„ tentiae suae „ illic intellegitur Deus, cui scilicet subdit universa: et propter hoc operatur, ut possit etiam universa illi subdere. Quod autem dixit etiam universa, refertur ad id quod ipse illi subditus. Nam verbum utique quod Christus (a), subditum est Deo, est enim Deus potentior (b). Et id multis probatum rebus est (1). Ille est qui mittit, hic qui mittitur: ille pater, hic filius: hic per quem operatio est, ille operator. Ergo ista (c) si sic habent, Christus ad Deum ut ipse ei subditus sit. Sic enim dictum in epistula ad Corinthios prima: cum vero subiecta fuerint illi omnia, tunc ipse subditus erit ei, qui sibi subdidit omnia: ut Deus sit omnia in omnibus. An ille sensus est, quod dixit ut possit etiam, ut non solum aequiforme corpus humilitatis nostrae faciat, sed etiam possit illi omnia subdere? Superatis enim omnibus, quae aut carnalia sunt aut creaturae, et mutatis, subdita universa redduntur potentiae Dei, per quam Christus operatur.

" Quapropter, fratres dilectissimi, gaudium et corona mea, consistite CAP. IV. v. 1.
„ in Domino „. Omnis virtus in Christianis charitas est et dilectio, quae
fieri non potest si non unam essentiam habeant et in uno consistant, unum
sentientes; quod est nunc in Domino, inquit, consistite, o fratres dilectissi-
mi. Ex quo intellegi licet unum illos velle sapere, quando fratres inquit di-
lectissimi. Hoc enim provenit, ut se invicem diligant qui unum sentiunt, et
in uno consistunt. In quo illo? in Christo scilicet. Cum enim fidem omnes
aequaliter in Christo habeant, in illo consistunt. Quod si vos, o Philippen-
ses, id feceritis, eritis gaudium meum et corona mea, " Euchodiam (d) rogo, v. 2.
„ et Syntychen rogo, id ipsum sapere in Domino „. Ut et ipsae feminae unum
sapiant in Domino, idest ut Christum credentes, ea quae de evangelio sunt
circa Christum sentiant et intellegant. Sed rogo, inquit, exprimens profuturum
illis. Non enim mando, non impero, sed rogo. " Ita obsecro et te, germane v. 3.
„ uniiuge, adiuva illas quae laboraverunt simul mecum in evangelio, cum Cle-
„ mente et ceteris adiutoribus meis, quorum nomina in libro vitae „. Supra diximus, Epaphroditum promisisse venturum ad Philippenses: postea ostendit

(a) Sequitur in codd. *et λόγος quod est Christus*, quae vana repetitio est. (b) Codd. *potentius*. (c) Codd. *ita*. (d) Ita codd.

(1) Quod adtinet ad hanc Victorini doctrinam subsequentemque Pauli textum, audiamus Augustinum quaest. 69. ex 83: *regula catholicae fidei sic se habet, ut cum aliqua in scripturis dicuntur de filio, quod sit minor patre, secundum susceptionem hominis intellegantur: cum vero ea dicuntur, quibus demonstratur aequalis, secundum id quod Deus est accipiantur.* Idemque Augustinus contra Maximinum l. 18: *scimus dictum esse patrem filio maiorem, quia in forma servi erat filius, et adhuc in forma est humana filius quam levavit in caelum.* Denique Hieronymus dialog. l. 18. contra Pelag. *Deus cui docet apostolus iuxta dispensationem carnis assumptae subiciendum filium.* Et quidem huic valent aliorum quoque persimiles patrum auctoritates adversus Arianos olim prolatae, qui Pauli verbis abutebantur.

quod eum miserit, cum dixit " festinantius itaque misi eum ". Ergo quasi hoc adicitur, ut et ipsum in epistula mandatum habeat, rogetque eum atque obsecret, ut illas scilicet feminas Euchodiam et Syntyehen moneat id ipsum sapere in Domino. Adiuva, inquit, illas quae laborant simul mecum in evangelio. Quomodo laborant in evangelio? ut et ipsae vel ipsum evangelium quod ego adnuncio agnoscant, custodiant, servent; vel ipsae adnuncient, adserant, evangelizent: pro modo enim loquentes de evangelio, idest de Christo et de mysterio toto evangelizant etiam feminae.

Denique sic adiungit " eum Clemente et ceteris adiutoribus meis, quo-„ rum, inquit, nomina in libro vitae ". Ita enim mysterium memorat quod omnes, qui de Christo fidem habent, et in eo fidem habent, et loquuntur atque insinuant fidem ipsam in Christum hominibus, velut adiutores sunt evangelistis: et cum ita hoc sit, iam in libro sunt nomina eorum apud Deum, quod in vita aeterna futuri sint. Istum autem esse Epaphroditum, cui ista mandat ut adiuvet feminas superiores ut unum sentiant. Hinc intellegi licet quia dixit, obsecro te quoque, germane uniiuge; quippe de ipso supra sic loquutus est: " necessarium tamen existimavi Epaphroditum fratrem meum commilito-„ nem meum ". Ita ibi fratrem, hic dixit " germane ": supra dixit commilitonem ":

v. 4. hic dixit " uniiuge. Gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus ".

5. Hoc est quod consequens sit, ut qui unum sentiunt, et in uno fidem habent, de Domino gaudeant, et semper cari sibi invicem sint. Gaudete, inquit, in Domino. Parum istud est; " denuo dico gaudete ". Cum enim iuncti estis corde, in Domino gaudetis: et cum gaudetis in Domino, iuncti corde estis, et consistitis in Domino. Modestia, inquit, vestra nota sit omnibus hominibus. Valde enim ad meritum vitae futurae pertinet et ad regnum in caelis, si modeste vivamus. Modestia enim cognitio est uniuscuiusque modum tenens, nec ultra se tendens et extendens. Etenim cum nos hic sumus, humilitatem nostram (quippe cum in alienis sumus) recognoscamus, et modum teneamus humilitatis nostrae, Deus sublevabit nos. Ergo nota sit, inquit, omnibus hominibus modestia vestra. Quare hoc monet? ut hic placeamus? non; sed ut cognoverit Christus humilitatem nostram, erigat, et modestiam suscipiat.

Quid enim adiungit? " Dominus prope est ". Magna exhortatio magnumque praeceptum et ex vero et ex vi persuasionis. Cum enim iam immineat iudicium, et finis istius vitae omnibus adventet, esse nobis properatio debet, ut et bonis moribus magnaque modestia vivamus: prope enim est iudicium atque adventus

v. 6. Domini. " Nihil ad sollicitudinem redigatis ". Idest nec curam vestri habeatis, neve de mundo mundanisque rebus cogitetis aut solliciti sitis: omnia enim necessaria vobis, et nunc in hoc vitae genere procurat Deus, et meliora in illa vita quae aeterna est. " Sed in omni precatione et oratione cum bona

„ gratia petitiones vestrae innotescant apud Deum „. Ut omnis actio iam Christiani fidelis et boni et perfecti, omissis omnibus sollicitudinibus (ipsa est enim renunciatio) precibus vacet et orationi. Preces sunt, rogare Dominum: oratio est et loqui cum rogas: ipsa est enim oratio, preces cum oratione. Sed quae illa erit oratio? aliquid petens, an nihil? Quid est quod petat ille, qui iam fidelis effectus Deum rogat? Quam igitur habebit orationem aut petitionem, quippe cum renunciaverit omnibus mundanis? Ipse monuit ut oremus et precemur cum bona gratia; ut omnibus nobis oratio in precibus gratiarum actio sit, ut gratias agamus; quod consequuti tantum donum, Dei pietate, simus. Hoc enim ait " cum bona gratia „. Bona autem adiecit, ne inviti faciamus, sed vere gratias agamus, et bonas gratias deinde adiunxit. Quoniam oratio est in precibus, quae potest esse de bona gratia, potest de petitione. Supra cum dixisset " cum bona gratia „ adiunxit " petitiones, inquit, uostrae innotescant penes Deum „. Cuius (a) autem non est honesta? Et caelestia ipsa illa quae promittuntur petat ut impleantur. Qui petit, utique talia petit quae iam fidelem petere iustum est. Ipsa enim cum cogitamus petenda, quae volumus innotescere penes Deum, necessario talia sunt quae conveniant fideli etiam caelestia speranti et divina omnia. Haec, inquit, idest petitiones vestrae innotescant penes Deum.

" Et pax Dei, quae habet (b) omnem intellectum, custodiat corda vestra „. v. 7.
Hoc praemium erit si ita precemur, ita oremus ut cum bona gratia oremus; et ita petitiones habeamus, ut innotescant penes Deum. Hoc ita est, erit, inquit, pax Dei quae custodiat corda vestra: quae pax Dei habet omnem intellectum. Vehementer et acute hoc positum: etenim cum pax Dei venerit in nos, Deum intellegemus: nihil dissonum, nihil discrepans, nihil per argumenta litigiosum, nihil quod recipiat quaestionem, ut nobis contingit in mundanis: sed ita aperta omnia sunt, cum pacem Dei habeamus uti omnis intellectus nobiscum sit: pacis enim est iam quiescere, iam securitatem habere. Quum (c) Deus pacem committit cordibus nostris, iam omnis intellectus nobiscum est. Qui enim Deum intellegit, omnia intellegit: cum Deum intellegit, custodiuntur corda eius qui intellegit. " Item corpora vestra in Iesu Christo „. Ecce et hic significatio est de resurrectione: et hoc quoque praemium positum vel adnunciatum his qui ita rogant, et ita precantur cum bona gratia, ut habeant Dei pacem, et corpora in Iesu Christo. Dixit enim dè corde, de intellectu, quod custodientur cum pax data est: nunc de ipsis illis, idest de corpore de anima; corpora, inquit, vestra in Iesu Christo: in ipsius enim maiestate et virtute corpora nostra sunt, quae cum eius adventu resurgent, reviviscent, merita accipient: quae omnia erunt nobis inte-

(a) Codd. vetustior cuius vel quis; alii quid. (b) Ita codd. (c) Codd. quem.

gra, si illa praecepta servemus, in Christo unum sentientes, gaudentes, modesti, nihil sollicitudinis habentes; in omni precatione et oratione, cum bona gratia, petitiones nostras penes Deum notas facientes.

v. 8. " De cetero, fratres, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque
v. 9. " amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus, haec cogita-
" te; quae et didicistis, et accepistis, et audistis etiam in me; haec agite, et
" Deus pacis erit vobiscum (a) ". Docuit preces quales habeamus, idest cum bona gratia, item quemadmodum petitiones: deinde quae pax, idest quod beneficium a Deo nobis detur; sic agendum, et rogandum ut custodiatur intellectus noster et corda nostra, et sint omnia corpora nostra in Christo Iesu. Haec cum ita sint, de cetero, inquit, fratres, haec cogitate. Quid est de cetero? postquam correcti estis, sublata iam omni discordia et errato, quoniam unum sentitis; de cetero sic sentite: quaecumque sint vera, haec accipiatis et cogitetis. Quae autem illa vera sunt? quae in evangelio ponuntur, Christus Iesus Dei filius, et cetera quae saepe diximus. Cum autem vera cogitatis, sequuntur ut casta sint: non enim corrumpitur quod verum est: hoc enim castum est: quod non corrumpitur, verum est. Deinde quae vere casta sunt, haec et iusta sunt: iustificantur enim sanctificatione a Deo. Omnia quae iusta, quae casta, quae vera sunt, quae sancta sunt, iam et amabilia, iam et bonae famae. Quis enim sanctum non amet? quis non bene de eo loquatur ac sentiat? Haec ergo, inquit, cogitate quae ad bonam pertineant famam: utique amabilia sint, et habeant charitatem, neque habeant discordiam. Omne enim amabile, concordiam habet: item quae bonae famae sunt, non habent invidiam et in concordia sunt. Ex quibus omnibus superiora ad ipsam veram virtutem pertinent, posteriora ad fructum virtutis. Nam virtutis est amare vera, casta, iusta, sancta. Fructus virtutis amabilia et bonae famae. Idcirco duo ista posuit quae subiunxit: si qua virtus, si qua laus. Vim rerum diligenter attendit. Etenim cum gratia Dei fiant omnia; ipse enim per spiritum suum missum in nos et gubernat (b) et regit, ut nihil in nobis sit; ita ait, si qua virtus. Et rursus si virtus, quae in nobis est, non ex nobis est, sed ex Deo, ne laus quidem nostra: et idcirco " si qua laus ". Verumtamen quoniam videtur vel virtus nostra vel laus; unde dixit ibi (c), haec inquit omnia cogitate. Utique quae illa sunt? quae didicistis, me scilicet docente, et accepistis, et audistis, et vidistis in me. Perfectum primo posuit " didicistis ". Unde autem didicistis? Causae subiunctae, accepistis. Rursusque ipsum accipere unde audistis et vidistis? ex me vidistis in me: ut non monitor solum Paulus sit, sed etiam praebeat exemplum quemadmodum vera sequantur, quemadmodum casta, quemadmodum reliqua. Haec, inquit, agite. Supra dixit, haec cogitate; nunc adicit, haec agite; ut non so-

(a) Codd. *nobiscum*; sed iidem infra recte *vobiscum*. (b) Codd. *gubernabat*. (c) Codd. *sibi*.

lum ex cogitatione sint ista bona, sed etiam in actu. Deinde adiunxit praemium sicuti supra " et Deus pacis erit vobiscum ",: quod maxime necessarium Philippensibus praemium, ut nulla sit discordia, unum sentiant omnes, sit pax in eorum ecclesia: et Deus pacis qui est pater, et eius filius Iesus dominus noster, omni animae in Deum conversae pacem praestans: hoc est quod ait " pax vobiscum ".

" Gratulatus sum autem vehementer in Domino quod tandem aliquan- V. 10.
" do refloruistis, ut et pro me sapiatis in quo et ante sapiebatis ". Ut in
errorem lapsi Philippenses fuerant docti in evangelio ab apostolo Paulo; sed
nunc admoniti, reversi sunt in pristinam intellegentiam ut credant in evan-
gelio quemadmodum adnunciatur. Et refloruistis, inquit; idest ad florem reversi
estis: ideo in Domino gratulatus sum, et vehementer gratulatus: et hoc est
quod ait, ut pro me sapiatis: idest ut ego quemadmodum vos docui, sapia-
tis: coeperant enim aliter sapere. Quod autem ait " ut pro me sapiatis " quia
intellegentia vestra et sapientia quae fuerat una pro me non erat: nunc au-
tem cum sapitis quemadmodum docui, et evangelium tradidi, pro me sapitis;
idest prodesse mihi potest, quoniam vos docui. Et quid illud est, in quo et
ante sapiebatis, nunc refloruistis et idem sapientes pro me iam sapitis? " Oc- V. 11.
" cupati eratis autem. Non propter penuriam dico ". Si hic sensus superiori iungitur, quia dictum supra est, etiam pro me sapiatis, idest ut de me cogitetis, erit intellectus ut ea quae mihi sunt necessaria, mittatis; sed etiam misistis; et ideo dictum sit, gratulatus sum autem in Domino quod tandem aliquando refloruistis, et abundare coepit fructus ex operatione vestra. Sic enim postea dicit, et coepistis pro me sapere: in quo est et illud, in quo et ante sapiebatis, ut mihi necessaria mitteretis: et hoc est quod sequitur. Quo modo sapiebant? Ante occupati erant, ante in his operibus. Quod quidem Paulus " non " ideo, inquit, dico propter penuriam ". Non enim quod volo (a) pro me sapiatis aut in quo et ante sapiebatis, et in quo occupati eratis ut mihi mitteretis, aut quod nunc volo ut mittatis, propter penuriam dico. Sic enim et postea ait " non quia exquiro abundantiam in oratione ". Non ergo propter inopiam istud quaero, sed ut fructus sit abundans in oratione vestra, cum haec omnia pro me curatis et sapitis: ita est enim curam gerere; non quia egeo. Nam, et abundo, inquit; quippe sufficiens mihi sum: sic enim subiungit: " et ego enim " didici, in quibus sum, sufficiens esse ". Novi sensus (b) hic est: novi, inquit, sufficiens esse, in quibus sum: didici enim ego ut contentus sim quae habeo; et in quibus sim mihi ipsi sufficiens: non enim ad sumptus tantum hoc referendum, sed curam et cogitationem et orationem exhibere debent pro Paulo: ut hoc sit ad omnia referendum; ut et pro me sapiatis, in quo et sapuistis.

(a) Codd. *voco*. (b) Codd. pro *sensus* habent *se risus*.

Generaliter ergo ut vel necessaria, vel ut oratio et cura Philippensibus pro
Paulo habeatur. Denique non ad fortunas tantum vel ad necessaria quaeque
v. 12. posuit etiam hoc " et humiliari novi et abundare: et de virtutibus, et humilia-
ri novi et abundare in omnia, in eodem modo: idest praebere omnes virtutes.
" Et in omnibus institutus sum ". Idest ad omnia adsuefactus, et ferre sitim,
famem, frigus; et rursus in abundantia laetari. Sic et de virtutibus, et de
laboribus, in omnibus, inquit, institutus sum; et satiari, et famem sustinere
institutus sum, inquit, et copia satiari, et rursus famem sustinere. Item ipsa
duo repetit, et abundare, et egere in omnibus possum. Dicendo in omnibus,
non ad necessaria victus nostri diximus, sed ad omnia quae in actu sunt,
labores virtutesque, referenda sunt ista. Ita se institutum dixit, ut possit et
abundare et egere in omnibus. Novum est quod ait in omnibus egere pos-
sum: idest tolero cum in omnibus egeo, idest egens fuero.
v. 13. Atque ut verum, et nihilominus ex disciplina dicat evangelica, adiungit: " per
" eum qui me confortat ". Quod genus vitae semper et habendum et tenendum,
ut et nos laboremus, et nostri instituti sit omnia ista gerere, complere, ferre, to-
lerare: ita tamen ut hoc credamus, quia nos ad omnia ista fortes Deus fecit. Cum
enim dixerit, in omnibus egere possum, et famem sustinere, revocavit virtutem
suam ad Deum " per eum qui me confortat ". Ita et vos, et omnes qui in Deum
fidem habent, credant certe quae sint, se posse fortes fieri, et in egestate,
et in ceteris laboribus. Deus enim numquam deest his, qui eum diligunt, qui
v. 14. in eum fidem habent et spem. " Sane bene fecistis quod tribulationi meae
" communicastis ". Idest participes fuistis vel subvenistis mihi in tribulatione
ut est communicatio, pari modo iungi mysterio: qui autem compatitur cum
v. 15. altero, et subvenit alteri. " Scitis autem etiam vos, Philippenses, quoniam
" per initia evangelii cum a Macedonia profectus sum, nulla mihi ecclesia
" communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos tantummodo ". Hic a-
perte exposuit, ut supra dictum est; tribulationi meae communicastis, idest
auxilium et praesidium dedistis, dando mihi necessaria. Denique hoc adiun-
git: scitis, inquit, Philippenses; et vos quoque scitis, quoniam in principio
evangelii, quando profectus sum in Macedoniam, per omnes ecclesias evan-
gelizavi; sed nulla mihi, inquit, communicavit. Ubi autem communicavit?
in ratione, inquit, dati et accepti: idest in sumptibus, quod est datum et
acceptum: nam qui dat (a), habet rationem cum eo qui accipit: et qui ac-
cipit, habet rationem cum eo qui dat, quantum dedit, quantumque accepit
ille qui accepit. Non quo et ipse dederit aliquid, qui accepit; sed cum mu-
nus dat, ratio dati est et accepti. Quid enim est in quo Paulus de pecu-
nia daret? Sed quoniam ratio dati et accepti est in pecunia inter eos qui

(a) Codd. *quidam pro qui dat.*

dant, et eos qui accipiunt, ideo sic iunctum. Non enim pecunia accipitur
pro evangelio, ut ratio dati sit in pecunia; at longe aliter.
Vos, inquit, tantummodo communicastis. Denique subiungit illos dedis- v. 16.
se " propterea quod in Thessalonicam semel et bis misistis ea quae mihi ne-
„ cessaria fuerant „. Apertissime declaravit quid sit quod communicavistis (a),
et quomodo ratio sit dati et accepti. Vos, inquit, tantummodo in Thessalo-
nicam semel et bis misistis ea quae mihi necessaria fuerunt. " Non quia re- v. 17.
„ quiro datum; sed exquiro fructum abundantem in oratione vestra „. Non
egeo, inquit, neque ista necessaria exquiro, sed tantum benivolentiae vos u-
sum habere debetis, ut mihi fructus vestrae benivolentiae sit, quod in be-
nivolentia abundatis; idest ut cum orationem de vobis habeo, sit mihi fruc-
tus benivolentiae vestrae. Cum vel Deum pro vobis rogo, vel Deo pro vo-
bis gratias ago, est mihi fructus circa orationem, quae pro vobis est, dum
abundare vos intellego et esse benivolos. " Habeo enim omnia et abundo „. v. 18.
Ideo, inquit, non requiro datum; nam omnia habeo: et multi habent om-
nia, sed non abundant: vere enim possumus adhuc velle si non abundemus,
sed habeamus. Qui abundat, et habet et plusquam necesse est habet. Su-
pra enim dixit, quae mihi necessaria fuerunt misistis; nunc haec, inquit, ego
habeo et abundo. Denique persequitur ut ostendat abundantiam " repletus
„ sum cum accepi quae per Epaphroditum misistis „. Ne illud quod abundat a-
lienum sit, dicit et ipsorum esse quia miserunt " repletus sum, inquit, cum
„ accepi ea quae per Epaphroditum misistis, odorem suavitatis, sacrificium ac-
„ ceptum, sanctum, gratum Deo „. Si supra nihil aliud de eo quod datur expe-
tere se dixit nisi fructum abundantem, ita et hic cum repletum se dicit,
et accepisse quae missa sunt; non in his, quae missa sunt, gaudeo et reple-
tus sum; sed in eo quod habuistis voluntatem curamque mittendi; quae est
benivolentia, et fructus abundantiae; unde ordo mihi suavitatis est, vos tales
esse; et sacrificium sanctum gratum Deo, libenter facere quae facias; curam ge-
rere, praestare quod praestandum est alteri ad necessitates: hoc est ipsum sa-
crificium et sanctum et acceptum et gratum Deo, ipsa benivolentia.
" Deus autem meus impleat omne desiderium secundum divitias suas in glo- v. 19.
„ ria in Christo Iesu. Deo autem et patri nostro gloria in saecula saeculorum „. 20.
Quoniam et rectos opera ipsa, et bonos ex voluntate quod libenter mittant et cu-
ram gerant sacrificium esse hoc optimum Deo dixit et odorem suavitatis. Iam
ad referendam gratiam optat, votum facit, ut Deus (sed apostoli sit Deus)
Deus, inquit, meus; ne commune sit cum ceteris; impleat omne, inquit,
desiderium vestrum, et impleat secundum divitias suas. Idest cum vos non
expetieritis quae mundi sunt, sed ea quae Deus de divitiis suis largitur et

(a) Codd. *communicavi ratio.*

dat, idest quae caelestia sunt, quae divina; ipsae sunt enim divitiae Dei. Denique adiunxit " gloria in Christo Iesu „ ut hae sint divitiae, quae sunt in Christo Iesu, idest vita aeterna, santificatio. Adiunxit autem, quod cum religione semper adiungitur, et devotione et obsequio: Deo, inquit, gloria, Deo patri; et Deo, inquit, nostro, scilicet Iesu Christo (1) patri nostro: sit illi gloria aeterna, quod est in saecula saeculorum.

Finit epistula. Inde monitis praeceptis quae ad recte vivendum, sequuntur salutationes. Primo salutat ipse, vel salutari suo nomine alteros mandat.
v. 21. Quos tamen alteros? " Salutate omnes sanctos in Christo Iesu „. Sanctos in Chri-
v. 22. sto Iesu, an in Christo Iesu salutate? " Salutant vos qui mecum sunt fratres. Non, inquit, solus saluto vel mando ut salutetis, sed salutant vos et fratres. Adiecit " qui mecum sunt „. Hoc de plebe et de omni christiano, qui secum sit, accipi voluit. Denique aliud: " salutant vos universi sancti „ quos utique accepta fide sanctificavit: " praecipue autem qui sunt ex Caesaris domo „: ipsi vos praecipue salutant, qui sunt de domo Caesaris. Et virtutem evangelii ostendit, quod de domo Caesaris crediderunt multi: qui utique erecti esse debuerant, et nihil aliud quam de Caesare cogitare: et rursus humilitatem ipsorum, qui et humiles sint et hospitales, et omnes fratres salutent alibi positos. Quod autem dixit " praecipue „ intellegi licet illos operam dare ut placeant
v. 23. in obsequio, et idcirco extra ceteros dixerit quod ipsi salutant. " Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro „. Qui ita sensit de Philippensibus ut illos non quomodo in ceteris epistulis rectum sentire, neque a pseudoapostolis seductos esse accepit, sed tantum exhortativa epistula scripta et in prece. " Gratia, inquit, domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro „. Si enim spiritus inest, recte sentiunt. Quid ergo preces agunt apostoli? Ut gratia domini Iesu Christi sit cum spiritu illorum in Christo Iesu. Amen.

VICTORINI COMMENTARIUM

IN EPISTULAM PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES

EXPLICIT.

(1) Nota testimonium de Iesu Christi divinitate; et recole comment. ad Galat. p. 2.

VICTORINI PHILOSOPHI

IN EPISTULAM PAULI AD EPHESIOS

LIBER PRIMUS INCIPIT.

Epistula ad Ephesios summam illam tenet, quae totius disciplinae semper esse debet, scilicet ut habeant cognitionem theologiae, idest Dei Christi, mysterii ipsius et adventus, et ceterorum quae ad eam cognitionem pertinent. Item praecepta vivendi Christianis vel omnibus vel singulis convenientia continet; quid dominum apud servum, apud patrem quid filium, quid maritum apud uxorem, oporteat facere. Haec igitur cum duo sint, principio de theologia disponemus universa: deinde de vitae genere et praeceptis ad vivendum. Sane materia illa est similiter, quae in omnibus custoditur; quod etiam Ephesii a pseudoapostolis depravati videbantur iudaismum iungere christianae disciplinae. Monendi igitur modo et corrigendi, epistula ista conscripta est; ut illa quae sunt illis male insinuata, corrigant emendent; et quod ante illis traditum est, custodiant, atque in eodem perseverent. Summa igitur in principio ista est: Christum Dei filium, et ante mundum fuisse, et semper esse, et ipsum venisse, et in eo spem positam esse; et eius promissa, Dei promissa esse. Quod si ita est, iudaica disciplina longe discreta est, aliter accepta, aliter insinuata, aliter intellecta, sicuti frequenter diximus, et nunc exponimus. Non ergo adiungenda est vel scientiae divinae vel vivendi operibus et actibus.

Sumit ergo initium Christum, ut insinuet et eum se evangelizare profiteatur, et quod in ipso uno sit spes. In quo principio secundum consuetudinem suam apostolum se Iesu Christi dicit, ut ad Romanos: " Paulus servus „ Christi Iesu. „ Secundo adiunxit " vocatus apostolus „ utique vocatus a Christo; et cum praedestinatus in evangelium Dei, a Christo praedestinatus; olim praedestinatus; et si olim, ergo olim Christus; hoc enim Iudaei negant. Eodem modo ad Corinthios " Paulus vocatus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, quae est Christus: voluntas enim Dei, Christus est; quia ea facit quae Deus vult. Ergo Christi apostolus et vocatus a Christo: haec est enim voluntas Dei. Eodem modo et in secunda: " Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei „. Nunc quoque iisdem verbis: " Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei „. Sed haec cum dicit " sanctis qui sunt fidelibus Ephesi „ quid adiungitur? " in Christo Iesu „. Ita omnibus modis confirmat omnem virtutem et ev- CAP. I. V. 1.

angelii et intellegentiae in Christo Iesu consistere, et inde liberationem et promissa et aeternam vitam. Eodem modo et in ceteris, ut post dicemus.

" Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei ". Christus enim Iesus in corpore, ipse autem in spiritu voluntas Dei est. Cum ergo elegit Iesus Christus et apostolum Paulum fecit, per spiritum elegit, qui est voluntas Dei, vel poteutia agendi quae velit: vult autem Christus quae Deus vult. Intellegamus igitur, ut saepe diximus, Deum esse ipsam potentiam, magnitudinem, substantiam plenitudinis totius; Christum vero idest λόγον eum, qui in Christo fuit, Dei voluutatem. Et hoc si penitus aliqui (a) ac diligenter attendat, inveniet inseparabilia esse Deum et eius voluntatem, et tamen quasi separabilia. Aliud enim Deus, aliud voluntas, iuncta tamen et cohaerentia, et numquam discreta inter se sunt, et Deus et Dei voluntas. Sic fit ut sola voluntas sciat, quid Deus velit et cogitet. Significat ergo paternam potentiam volnntas Dei, et in patre posita; et rursus ipsa patria potentia in filio; quia filius volnntatem Dei facit. Simul et hoc adtentius videndum, quomodo filius sit, et quomodo pater. Non enim generatione mota, sed (si similitudo capienda est) quasi quodam partu mentis, cogitatione prorumpit velle conceptum et effunditur. Etenim cogitationes animae, quasi filii sunt animae. Porro cum Deus universali cogitatione unam voluntatem habeat, idcirco unus est filius et unicus. Non enim cogitavit prius aliquid, et postea aliud vel diversum, non modo contrarium. Unde unus Deus, unus Christus; idest unus pater, unus filius. Sed ut diximus, haec semper voluntas a Deo, et in Deo est potentia, et ipsa Dei, et patris virtute plena et ipsa existens, et ipsa quae huc venerit in muudum saepe alio atque alio modo; et nunc in carne, quam sibi potentia sua formavit; et mysterium propter mundum et animas, quae in mundo trahebantur, implevit. Scribit igitur Paulus " sanctis, inquit, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Iesu ". Constrinxit illos et ligavit ad religionem ceteramque vivendi legem, quod et sanctos illos appellavit et fideles in Christo, inquit, Iesu. In aliis epistulis cum ad ecclesiam et ad populum scribit, non adponit " sanctis et fidelibus "; at vero nunc, quia illos ad legem nominis tenere cupiebat, ne novum aliud quod extra nomen esset adiungerent, quoniam sanctificati iam sunt hoc nomine, et fideles in Christo sunt; idcirco eo ipso quod illos in Christo sanctos et fideles nominavit, ostendit illos nihil aliud sentire debere, nisi Iesum Christum, cuius nomine sancti sunt et fideles.

v. 2. " Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et domino Iesu Christo ". Duo sunt quae maxime et contentiones tollunt et praeceptionem Dei tradunt, gratia et pax. Quoniam igitur isti errore tenebantur (b), idcirco optata est illis gratia, idest ut Deum noverint, et plene Deum et Christum se-

(a) Ita codd. pro *aliquis*. (b) Codd. *tenebant*.

quantur, et in Christo omnia collocent, nihilque aliud admittant: si quidem iudaismus non eodem modo est, ut non Christum laceret: non enim legem, sed intellegentiam vivendi acceptam a Iudaeis repudiat, sicut post docebimus. Ergo gratia vobis, inquit, ut intellegatis Deum, et secundum Dei praecepta vivatis. Adiunxit " et pax a Deo ,,: quia qui dissentit, utique discordat: ergo et pax a Deo vobis, cum Deo patre, inquit, nostro. Vide quantum gratiae datur a Deo, quae optata est Ephesiis: siquidem Deus pater est noster. Deinde adiunxit (unum est enim sicuti supra diximus) " et domino nostro Iesu Christo ,,. Ille enim Deus est, hic enim Dei potentia est; ille pater, hic filius. Maxime omnis Dei gratia et potentia in Christo Iesu est. Per illum enim cum impletum sit mysterium salvationis, in ipso est omnis salvatio. Nam et ante Christum idem Dei filius, idest λόγος, idest Christus, et fuit, et semper est, et erit, et per ipsum condita sunt omnia. Sed idem ipse in Christo fuit, idest (a) Iesu; et tum subvenit saluti omnium hominum Deum cognoscentium et praecepta sua servantium.

" Benedictus est (b) pater domini nostri Iesu Christi ,,. Magnificum argumentum v. 3.
sumit, ut exponat per Christum omnia facta, et potentiam mysterii. Id ergo iunxit ut quantum nobis praestiterit Christus, idest Deus per Christum, cognoscerent homines, et magis Ephesii: quo cognito, a Christi nomine non recederent. Etenim supra dixit " gratia vobis et pax a Deo patre nostro ,,. Et cum dixisset " et domino Iesu Christo ,, quid subiungit? benedictus est pater domini nostri Iesu Christi. Iam ergo si Deus et pater noster est, quanti sumus, et quanti gratiam accepimus? siquidem Christo cogniti sumus, et fratres Christi facti: siquidem unum Deum patrem habemus. Sed haec omnia non nisi per Christum. Denique sic subiungit, quia per Christum et nos Deum patrem habemus. " Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo Iesu. " Ergo nos filii efficimur sed in Christo filii; idest si Christum fateamur, si illum sequamur, si ipsum concipiamus animo, si eius administrationem, qua complevit universa, et intellegamus et veneremur: et ipsum sequentes genere vivendi per praecepta data, filii efficimur. Ergo benedictus est pater. Quoniam et noster et Christi, adiunxit " pater domini nostri Iesu Christi ,,.

" Deinde subiunxit causam, quomodo benedictus " qui nos, inquit, benedixit in omni benedictione spiritali in caelestibus ,,. Hic hominum miserandus error adtendat: benedictos nos dixit et in omni benedictione benedictos: ergo nihil mali pati debet qui benedictus est. Sed quid (c) adiunxit? idest in omni benedictione spiritali, non carnali. Quod siquid hic in mundo patimur malorum, si quid etiam extra, non adscribamus Deo, sed nobis magis. Tunc

(a) Codd. *id.* (b) Ita codd. est, non *Deus.* (c) Codd. cum pro *quid.*

enim benedictionem consequimur si spiritales simus, et spiritaliter sapiamus, et spiritalia bona quaeramus. Et potest quidem fieri ut haec omnia sentiamus; nec obsit, si haec et alia sentientes, patiamur tamen aliquid adversi in mundo. Namque multi spiritaliter agentes, spiritaliter viventes, multa sustinent adversa, ut Paulus, ut Petrus, ut ceteri. Verum ubi est illa benedictio, quae nos benedictos facit? Dei benedictio: non spiritali tantum benedictione, sed in caelestibus, idest cum ex hoc mundo exierimus. Ergo ferenda sunt omnia, quia quae nobis promittuntur ex Dei benedictione, et spiritalia sunt et in caelestibus sunt, idest extra mundum, supra caelos. Et haec tamen omnia, sicuti dicit, in Iesu Christo: ipse est enim spiritus. Et spiritalia cum promittuntur, in Christo promittuntur: et nos tunc consequemur spiritalia, si Christum sequemur.

v. 4. " Ita ut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti ". De divinitate tractatus est, et mysterii totius brevis explicatio, in quo ponuntur haec; quod ante mundum Christus, et quod mundus factus, et quod ante mundum animae (1), et quod Dei dispositione mundus, et quod Dei dispositione animae vel in mundum venerint, vel de mundo liberentur: sitque voluntas Dei omne quod geritur, et quod praemium sit secundum Christum viventibus, ut et peccata donentur, et participatio sit nobis gloriae Dei; de qua et in aliis epistulis tractavimus. Simulque hic tangitur quae summa quae causa sit totius mysterii; vel mundum factum esse, vel in Christo mundum, aut a Christo mundum factum: vel animas in mundum missas, vel ante mundum animas, et rursus de mundo animas liberatas: quae quidem occulta, vera tamen et plena sunt. Quare summa concluditur, quod Christo operante, et per Christum, et in Christo, omnia reconciliantur Deo quae et in caelis sunt et in terra, in Christo tamen: ut omnibus ad plenitudinem redactis, omnia in omnibus unum essent: et id tamen fieret per plenitudinem temporis; nihil enim immaturum, nihil non ordinatum, sed plenitudine temporum gestum est, ut suo loco docebimus. Ad quam plenitudinem specialiter descendens apostolus, iungit etiam Ephesios evocatos esse, ut et ipsi in plenitudine sint; ut ex hoc eos hortetur ac moneat debere servari fidem, et in Christum, et in Deum fidem, uti nihil aliud sentiant, nisi omne mysterium, et per Christum et in Christo a Deo perfectum. Quod si ita est, nihil adiungant, nihilque existiment esse faciendum: corrigantque illud, quod iudaismum associaverant disciplinae purae simplici de fide in Christum et salvatione et liberatione per Christum et ex Dei voluntate.

Primum igitur consideremus quod ita locutus est " elegit Deus nos " u-

(1) Opinio per se falsa, quamquam ab aliis quoque nonnullis recitata. Verumtamen Victorinus p. 94. subtilitate quadam philosophica declarat, quanam ratione animae videantur multo ante corpora extitisse.

tique iam eum essemus (1) elegit; et elegit in Christo: ergo et nos, et Christus ante. Et quid est ante? utique ex aeterno. Hoc enim dixit ante constitutionem mundi: elegit, inquit, ante constitutionem mundi: non elegit nisi de his qui erant: et deinde tum dixit in Christo, idest in ipso: ergo et Christus fuerat, et nos in Christo. Neque enim fieri potest ut Christus fuerit, et nos non fuerimus. Si elegit nos in ipso Christo, ergo spiritales fuimus, si in Christo fuimus: et si fuimus in Christo et spiritales fuimus; fuimus autem, ut postea subiungit, ante constitutionem mundi; quid est causae ut huc veniremus, et cur constitueretur mundus? si Christus omnia, quae et in aeternis sunt et in mundo, ipse per Dei voluntatem fecit omnia, et omnia in ipso fuerunt; et fuerunt utique substantialiter, iam non vi nec potentia qua futura erant, sed qua iam fuerant. Ergo erant omnia in Christo. An cur constitutus, an cur in mundum plurima huc venerunt, animis et ceteris huiusmodi potentiis in Christo ut dixi positis, perfectio quaedam minor est? nisi omnia, quae esse possunt, experiantur, cognoscant: et sic quid sequendum, quid eligendum sit, videant, et sequantur in spiritu utique, qui Christus est: sicut vi et sua potentia animae non hoc ipsum sunt quod spiritus, sed sunt ut recipere spiritum possint: non tamen in eo (a) quod animae sunt, iam spiritus sunt (2).

Quoniam igitur talis natura animarum est, uti si integre et perfectis omnibus se agat; idest si et se noverit, et Deum sciat, et ea quae sunt aliena ita discat, ut repudiet ut excludat, merito fit perfecta; et perfecta cum fuerit, repudiatis alienis, cognito Deo, scientiam plenam cum receperit universitatis, continuo efficitur spiritalis. Sic etiam et homo, et omne quod homo est. Cum autem secundum intellectum potens anima sit, falli autem intellectus potest; nisi sciat etiam id quod imitatur intellectum; non tamen est intellectus si in (b) hoc quod fallit, quod mentitur, ac decipit, animadvertat anima, cognoscat, et repudiet, et fugiat quasi hostem et deceptorem, facile se et virtutem suam tenebit, et cognoscet, et erit plena et perfecta in Christo, idest spiritalis. Quid est autem quod faciat similitudinem intellegentiae, et decipiat tamen sensum, qui non est nisi in mundanis et in materie (c) quam ὕλην Graeci vocant? carnalibus enim, et foraminibus (d), et sentiendi virtutibus, quasi quidam intellectus nascitur fallax et multiplici fuco decipiens integram intellegentiam et laedens quodam modo per imagines veritatem. Cum sit igitur animae naturale (e), ut intellegendi quidem potens sit, intellegentia tamen facile labi et cadere in vicinam virtutem possit, atque imaginem intellegendi, idest sensum, qui in mundo ex natura totus est, ut hoc caperet, neque aliquando

(a) Codd. *quo*. (b) Codd. *in qua*. (c) Ita codd.; at infra *materia*. (d) Ita codd. (e) Codd. *anima naturali*.

(1) Nempe in cogitatione Dei, ut dicit inferius loc. cit. Victorinus.

(2) Distinctio haec declarabitur mox.

caperetur; opera Dei et voluntate mundus factus est, et omnia composita sunt in materia: quibus anima detenta cognosceret, et qui sunt sensus, et quantum valeant: dataque lex a Deo est et monitiones, ut cognosceretur Deus, et cognosceretur quod Dei non est; sed tantum victae animae sensualibus potentiis, nihil nisi mundum, materiam, et carnem, et corpus in sensu haberent; et haec vera sola crederent; neque idoneae essent ad vincenda et rumpenda vincula quae animam continerent Dei potentia et voluntate; ut eas liberaret a sensibus et a fallaci mundo misit filium suum dominum nostrum salvatorem Christum spiritum sanctum, uti mysterio patefacto doceret primum quid pater esset; deinde quid esset spiritus, et quid spiritaliter vivere, et quid anima sequeretur, et quid esset alienum, sicuti docui. Haec est enim virtus Christiani, discernere ista et separare, quae sunt aeterna, quae mortalia, quae ad perniciem ducant, quae ad salutem.

Ergo mysterio quod hic implevit, et carne, et cruce, et morte, et resurrectione, subventum est animis: etsi in Christo fides sumatur, ille suscipit huiusmodi animas et adiuvat et liberat. Christum enim credere, et in Christum fidem sumere, iam spiritaliter sentire, et iam tolli a desideriis carnalibus et materialibus: et ex hoc veluti cognatio intellegendi nos iungit et sociat Christo: et dum Christo sociaverit, inquit, et Deo. Per Christum enim Deo iungimur, neque spes ulla salutis nostrae nisi Christum credere. Hoc est spiritaliter iam sentire, et capere sensum, et mundi et materiae motibus non exagitari: quibus omnibus homo totus in spiritu vero est, et ex hoc iam in Christo est vita: cum autem in Christo vita est, iam mysterio acto a Christo recipimur, et per Christum in numerum filiorum suscipimur a Deo, spiritales facti, ut nos quoque de mundo resurgamus et de morte per Dei voluntatem, sed in Christo tamen. Hoc enim et nunc, et saepe et ubique praecipitur, ut in Christo tota sit vita nostra, tota spes, totus intellegendi labor. Omnis enim ratio aeternitatis nostrae et gloriae et salvationis, et Christus est, et in Christo est, si proicientes omnia spiritaliterque sentientes, separemus a nobis mundanas cogitationes, mundanos adfectus, carnalia quodammodo desideria, carnales dignitates, carnales potestates, et mundi etiam velle potentias vel dignitates. Omne enim quidquid mundanum est, licet caeleste sit in mundo etiam vel aetherium vel quodlibet aliud divinum nominatur secundum mundum et aeternum, sed secundum mundum tamen, neque divinum est neque aeternum est; etenim materiale: et quicquid materiale est, et temporale est et caducum et corruptibile.

Ergo si omissis omnibus mundanis, sicuti dixi, in Christo tota intellegentia sit, et de Christo tota intellegentia nostra sit, et propterea per Christum de Deo. Unde spiritales, ut dixi, facti resurgimus, et Deo per Christum iungimur,

fitque per omnia plenitudo ; quae plenitudo nihil aliud est, quam quod omne quod eius est, ipsius sit : unde cum animae gradu progressionis ex ipso, cum ipsius essent, tamen quia quadam longinquitate ab ipso minore luce fulgebant et minore lumine non ita perfectae fuerant, idest quia labi ab intellegentia veri poterant in ea quae verisimilia erant, et a verisimilibus in falsa, idest in ea quae sensus sunt ; sunt autem ea, quae dixi, vel mundus vel materia vel omnia in mundo. Haec nesciendo anima minus perfecta esset, et tali natura permaneret, si ista veniens cognosceret et contemneret : et ut perfecta ab eo quo capi poterat, adque integra redderetur, fecit Deus mundum ad cognitionem sensuum, uti quia magnis illecebris sensuum captae animae iam illam virtutem luminis sui perdiderant. Quippe caro factae et carnalia sentientes, mysterium per salvatorem completum est, uti et discerent homines parentem suum, et ad virtutem intellegendi, contemptis sensibus et calcatis et contritis omnibus, pervenirent : et sic perfectione per omnia completa, et in omnibus secundum Christum et per Christum et in Christo unum fierent universa : et sic plenitudo illa, sicuti supra dixi, perfecta ex omnibus redderetur.

Haec in his sermonibus ita tractantur uti doceantur universa facta, et per Christum facta, et Dei per Christum in voluntate completa : ita ut elegit nos, benedixit nos in ipso. Unde id probas? quia benedixit nos ita ut, inquit, elegit. Quando autem elegit? ante constitutionem mundi. Quando autem benedixit nos? quando ad fidem accessimus cognovimusque mysterium : ita ut elegit nos in ipso ante constitutionem ut essemus sancti. Admoneo, ut saepe admonui, salutem nostram atque omnem aeternitatem in Christo esse et per Christum ; animasque nostras et ante mundi constitutionem fuisse, quippe cum sua substantia in aeternis semper extiterint (1). Has igitur Deus ante mundi constitutionem praedestinavit et elegit ut santificarentur : idest acceptio spirituum confirmaretur, depositis omnibus vitiis, quae in eas incidere possent, spiritus fierent. Cum enim natura sint aliud, in sensum, qui mundi et mundanorum totus est, labi possint et rursus excitata virtute naturali, et Deum noverint, et Deo vicinae sint, et Deo veluti filii exsistant. ; ante constitutionem mundi Deus constituit illas atque elegit ut sanctae fierent, et sanctificarentur ; mundusque propter eas est constitutus ; ut intellectum verum susciperent mundanis omnibus per sensum, qui deceptor verae intellegentiae et integritatis ac veritatis. In adversis enim probatur iustus, et in tenebris lumen, et in falso veritas : unde in mundo facile Deum cognoscerent, et per Christum idest per spiritum spiritaliter intellegendo spiritus fierent : hoc est enim santificari. Praedestinavit igitur Deus

(1) Adhuc inculcat Victorinus praeexistentiam aeternam animarum ; quem errorem vix aut ne vix quidem purgat mox, cum animas extitisse ait in Dei cogitatione. Aliud enim est praevidere rem futuram, aliud illam existere. Est autem doctrina christiana creari a Deo singulas animas, cum in genitorum nuper hominum corpora immittuntur. Legesis collect. vat. T. I. p. 81. sqq.

ut essemus sancti. Praedestinavit ergo non est nisi eorum quae sunt, ut quasi ordo quidam sit effectus. Videris enim quomodo quis accipiat. Iam enim substantialiter fuerant, sicuti et ego iudico et credo: sive non fuerant eo modo, quemadmodum credo, in sua substantia vel existentia. Etenim cum in Dei cogitatione fuerant, cogitatio Dei quoniam non nihil est, sed est certa existentia, necessario concedendum est ut animae fuerint in vera rectaque existentia. Etenim nostra cogitatio quasi inanis est; *non* (a) ita et Dei: quamquam sapientium ratione etiam nostrae cogitationes, non nisi existentiae sunt substantialiter rerum. Sed de his ac de eodem tractatu alias et pluribus explicavimus.

v. 4. " Et immaculati ". Vides igitur quantum adiiciatur et quid habeat im-
maculatio non ut essemus inquid (b), sed ut essemus sancti; neque ut es-
semus; sed ut essemus immaculati. Ergo macula res adiecta est substantiae.
Fuit ergo substantia, sed potuit macula contingere. Hoc praedestinavit Deus
ut essemus immaculati. Licet enim nondum maculasset nos mundus, tamen quo-
niam natura tali fuimus, ut in maculam cadere possemus, idcirco praedesti-
navit nos Deus, ut cum in maculam incidissemus, essemus immaculati per eius
gratiam, idest per Christum. Cognoscendo enim Christum, et cognoscendo in
mundo, et cognoscendo in sensibus, et cognoscendo in eo quod adversum
est, et cognoscendo in tenebris, tunc verum lumen accipimus, tunc Chri-
stum, idest spiritum, sumimus: et tunc reiectis corporeis maculis, idest sensi-
bus carnalibus, existimus immaculati et sumus sancti. " Coram ipso in caritate,
v. 5. " praedestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum se-
6. " cundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae ". Et quid,
et quibus, et quare, et per quem, quid etiam praestat, ut filiorum adoptio-
nem habere videatur de nobis, quod magnum, et praecipuum et vix votis
nostris optabile est ut adoptati filii videamur. Quibus autem praestat? animis scilicet longe a virtute Dei positis, quippe qui cadere in vitia possint; quippe cum maculas recipiant. Per quem autem praestat? per Iesum Christum atque in ipsum. Quare autem vel propter quid? in laudem, inquid, gloriae suae. Gratiae, idest ut cum magnum beneficium dat, praecipuam gloriam Deus ex hoc potentiae suae ostendat, quando nos tales et in vitiis (c) positos et peccatis carnalibus, et obligatos, non solum liberat, et donatis peccatis vacuos a criminibus reddit, sed etiam adoptat ut filios. Haec igitur est laus gloriae, et gratiae eius: gloriae, quod tantum potest: gratiae, quod haec nobis praestat.

Quod autem dixit " in adoptionem filiorum " plene, certe, proprie: namque filius Christus, et vere filius Christus, et vere filius, sicuti saepe docui, cum imago Dei est. Cum autem longe a Dei imagine sint animae;

(a) Videbatur mihi prorsus addendum *non*. (b) Ita codd. antiquo more pro *inquit*. (c) Codd. *invitus*.

et rursum accipiant animae longe positae spiritum; spiritus autem filius; fiunt loco filii animae; et cum loco filii efficiuntur animae, in adoptionem filiorum animae iure susceptae esse dicuntur, per Deum tamen Christum, idest per spiritum, qui est vere filius, et solus filius. Si ergo verus et solus, cum recipimus Christum, idest spiritum, adoptati filii sumus, non filii; per
virtutem enim Filii, nos efficimur filii: et haec est adoptatio, " in qua gra- v. 6.
,, tificavit nos in dilecto filio suo ,,: idest gratiam nobis praestitit: hoc enim est gratificavit. Sed ubique firmat, et quae sit gratia, et per quem gratia:
nam et per quem gratia est subiungit, in dilecto filio suo. Aeque gratiam v. 7.
subiungit " in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum ,,. Haec enim gratia est ut in Christo per eius sanguinem habeamus redemptionem, et remissionem peccatorum, ut et remittantur nobis peccata nostra per id quod lege crucifixus est. Hoc est enim per sanguinem ipsius et ipse nos redemit a morte, idest a carnalibus cogitationibus et cupiditatibus, et suos fecit servos, idest sibi servire, quod est spiritaliter iam vivere: item (a) nihil carnaliter agere, nihilque sensu sentire, sed totos verti ad Deum et mundana omnia calcare, et originem nostram repetere: hoc est enim redimi, a captivitate liberari. Porro captivitas non est nisi ab origine libertatis in captivitatem duci. Ergo fuimus liberi, idest ante mundum: sed mundus nos captivos fecit; natura enim tali fuimus ut caderemus et capi possemus: sed haec captivitas ad utilitatem nostram provenit: nam cognitis omnibus servitutis malis et captivitatis, redempti a Christo sumus: idest ad naturam illam pristinam quae nobis a Deo erat, reducti, spiritaliter iam vivimus: et ex hoc spiritus sumus, et propterea Dei filii, sed per adoptionem, remissis scilicet omnibus peccatis nostris: non enim virtute nostra ad spiritum reversi sumus, et per sanguinem Christi spiritum accepimus. Ergo remittuntur nobis peccata et donantur per Dei gratiam; non nostra virtute ea deponimus; solumque hoc virtutis nostrae, Christum credere, ac propter Christum spiritaliter vivere: ipse vero remittit peccata, ipse redimit nos, et gratiam Dei commendat, ut aeternitatem et sanctitatem immaculati iam habere possimus.

" Secundum divitias gratiae eius, qua abundavit in nobis in omni sapientia et prudentia ,,. Deus pater est ab ipso enim veluti fonte orta sunt v. 8.
omnia. Quomodo orta, magnus intellectus et magna doctrina est: est tamen certa confessio, a Deo omnia. Porro autem omnia, et ea quae summa sunt, et ea quae infirma, et ea quae non aeterna, et cetera huiusmodi. Cum enim omnia dico, intellegenda et diversa, et contraria, et repugnantia; et omnia denique utique sunt quae, vel quomodo, vel qualiacumque sunt; quae cum ista sunt, manent tamen, et in suo modo, et in substantia, et in sua re, et sua qualitate.

(a) Cod. idem.

Igitur et cum angeli, et daemones, et materia, et elementa, et animae ceteraque huiusmodi omnia quaeque sunt, habeant naturam suam, communem procreationis habent vim virtutemque et conditione sua manentia, animae tamen quae utique et ipsae inter omnia vi sua valent, non in eo perseverant, ut extiterunt atque substantiam sortitae sunt, sed Dei potentia in meliorem substantiam provehuntur: et ex animis cum animae sint, spiritus fiunt (a). Ergo istae Dei divitiae in nos collatae ut amplius efficiamur quam esse coepimus atque extitimus, ceteris conditione sua manentibus, ut suam substantiam suamque qualitatem, ut sunt orta, custodiant. Gratia magnifica Dei, Dei magnae divitiae cum animis praestat hoc munus ut ad adoptionem veniant filiorum Dei, per Iesum tamen Christum, idest per spiritum spiritalia sentientes, ut spiritus sint. Istae sunt divitiae eius, et eius gratiae, qua abundavit in nos. Merito ergo abundavit in nos: nam angelus in eo quod est angelus, manebit; itemque cetera, sive in materia, sive in luminaribus, sive in ceteris huiusmodi rebus; quae omnia sunt a Deo parata atque conservata. Anima tamen inter omnia plus a Deo meruit, et maximum munus, et magnas divitias, cum cognoscendo Deum, Dei tamen voluntate infusa sibi per Christum Iesum, meretur ut inter filios accepta Deo vicina sit; et filio, idest Iesu Christo, per ipsum Christum tamen, veluti coheres aeternitatis et maiestatis et potentiae effecta, meretur filii nomen et potestatem. Abundavit ergo, inquid, in nos. Quomodo autem abundavit? omni sapientia et prudentia. Vere enim omnis haec sapientia est et prudentia, Christum cognoscere; per Christum, Deum et intellegere et videre: reliqua enim vel mundana sapientia licet: alia huiusmodi, extra mundum licet. Sine Christo tamen, vana et misera sapientia est, et omnis prudentia; illa scilicet ratione, quia qui Christum cognoscit, qui Christum accipit, spiritus fit: spiritalia omnia agendo, inter filios adoptionis suscipitur, et quodammodo et ipse existit. Hae igitur in nos abundavit Deus gratia, et omni sapientia, et omni prudentia; ut genus, sapientia; ut species, prudentia.

v. 9. "Ut nobis notum faceret mysterium voluntatis suae „. Nobis utrum hominibus? anne nobis christianis qui legem accepimus? Nos enim intellegimus mysterium voluntatis Dei, quo superabundavit gratia eius in nos, ut divitias eius cognosceremus per sanguinem Christi, et per remissionem peccatorum. Quam quidem voluntatem, sicut dicit, mysterium prudentiae, vel mysterium voluntatis in Christo Iesu. Sic enim subiicit "secundum voluntatem quam proposuit in illo „. Non enim solum voluntatem licet, sed in illo licet propositam voluntatem. Omnia enim per illum, et nihil omnia, nihilque et in mysterio quod factum sit non per Iesum Christum: et mundus, et in mundo, et liberatio nostra, et causa om-

v. 10. nium, in Christo sunt, et Christus sunt. "Et haec est voluntas Dei quam pro„posuit in illo in dispensatione plenitudinis temporum „. Ostendit ordine cuncta disposita, ut dispensatio fieret. Item omnia veluti erogarentur; quidquid

(a) Codd. *sint*.

enim fiet, ordinatum est: ut fiat, sine dubio dispensandum est: mundus au-
tem et omnia in mundo disposita sunt, et sic fiunt et quae sit summa dis-
pensationis, utique apparet per singula quae fiunt. Haec est autem plenitudo
temporum, cum suis quibusque temporibus pervenitur ad summam, quae con-
ficitur ex omnibus, scilicet liberatio nostra et animarum omnium, caeles-
tium scilicet: sed id ut (1) plenitudine temporum, cum implentur tempora, dum
fiunt ista quae de Deo disposita sunt in Christo. " Et per Christum restaura- V. 10.
" re omnia in Christo et quae in caelis sunt, et quae super terram sunt in
" ipso ". Non enim omnia restaurantur quae in Christo sunt, et ea ipsa quae in
caelis sunt, et ea quae supra terras sunt; sed in Christo quae sunt: sunt enim
et alia atque aliena. Quaecumque ergo in Christo sunt, haec restaurantur
et resurgunt, quae in caelis sunt, sive in terra. Ipse enim salus, ipse reno-
vatio, ipse aeternitas: in quo et sortem consecuti sumus. Quod oportebat,
adiunxit. Non enim omnes simul, sicubi et alio loco dictum: Christus primum;
deinde nos; deinde ceteri. Hoc est ergo quod ait " sortem consecuti sumus, V. 11.
" praedestinati utique secundum propositum eius ": id est quis quo tempo-
re, et ut supra diximus; et ad perfectionem utique praedestinati iam esse-
mus. Nihil enim est, quod fit, quod non a Deo praedestinatum sit, et ante
quodammodo factum. Nunc sensibiliter fiunt quae spiritaliter a Deo sunt con-
stituta.

" Qui universa operatur secundum consilium voluntatis suae ". Qui utique universa Deus, inquit, operatur: etenim Christus Dei virtute operatur; et cum operator ipse sit, tamen Deus per ipsum operatur: ergo Deus operatur, et operatur universa. Omnis motus, et omnium rerum motus, non nisi a Deo, et per Deum. Itaque operatio cum motus sit, a Deo operatio est, quia est motus operatio. Reliqua etenim torpent, ignava sunt, vitiosa, pigra. Denique ut in motum veniant, Dei operatio est, per Iesum scilicet Christum. Ergo Deus est qui universa operatur, et operatur secundum consilium voluntatis suae. Hoc interest ergo, quod cum Deus operatur, et Christus operatur, Christus operatur ex Dei voluntate; Deus operatur secundum consilium voluntatis suae: etenim Christus voluntas Dei est. Aliis libris quid sit voluntas Dei, et quid Deus sit, idem ne an aliud sit; unum, an et aliud, et cetera huiusmodi, et explicasse nos puto et satisfecisse. Hic enim contenti esse simplici expositione debemus, metu hoc et religione retinentes, quod Dei voluntas est Christus, quod Dei voluntas est motus, quod Deus omnia operatur, quia Deus motus, et Dei voluntas est motus, et Deus sit.

" Ut simus in laudem gloriae ipsius ". Si enim in ipsum credimus, atque V. 12.
spiritales efficimur sequendo Christum, erimus in laudem gloriae ipsius Dei " qui

(1) Ita codd. Et quidem obscurissimi ferreique Victorini iamdiu me taedet.

„ ante speravimus in Christo „. Ordinem dedit. Tunc erimus in laudem gloriae ipsius, cum speraverimus in Christo: vel illi erimus in laudem gloriae ipsius qui ante speravimus in Christo. Prius est ergo sperare in Christo, idest Christum sequi, et credere omnia compleri posse a Christo promissa; et sic erit consequens, ut simus in laudem gloriae Dei: quia, ut saepe dixi, per Christum aeternitas pariter, quae nobis salus est, et Dei gloria est; unde laus
v. 13. erit gloriae eius. " In quo et nos, audito verbo veritatis evangelii salutis „ vestrae „. Descendit, ne generaliter illud atque non commode vel utiliter tractasse videretur, et aliorum istud esset beneficium, non et eorum ad quos loquitur. Adiunxit speciale, scilicet quod ad Ephesios epistulam mittit: hoc, inquit, etiam vestrum est; nam et vos in hoc estis. Quid est autem " in „ quo et vos „? in Christo scilicet. Quid autem in Christo? quod audito verbo veritatis evangelii salutis vestrae, fidem sequuti estis iam in Christo. " In quo „ credentes signati estis spiritu promissionis sancto „. Ipsa ratio exhortationis, plerumque mysterium; credere in Christum, credere evangelio, hoc est verbo veritatis, inquit: in hoc, et vos credentes signati estis spiritu promissionis sancto: ut iam et vos spiritum recceperitis sanctum promissionis Christi. Sed quoniam velut aliud est spiritus sanctus, aliud Christus, tamen consummatio et perfectio et plena liberatio, spiritus sanctus est. Signati estis, inquit, in spiritu sancto promissionis circa ea quae promissa sunt: quoniam
v. 14. nobis spiritus sanctus promissus est et datus: et de eo sic subiungit: " qui „ est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem adoptionis, in laudem gloriae „ ipsius „. Qui spiritus, inquit, pignus est hereditatis nostrae: ipsum enim nobis misit quasi pignus, hereditatem nos adepturos esse caelestium et aeternitatis et gloriae Dei. Hoc enim dictum in redemptionem adoptionis, ut nos redimamur ab istis mundanis terrenisque et corporalibus et carnalibus malis; et redimamur in adoptionem, et filii existamus, quaerentes magis gloriam Dei. Et gratia est quae meritum nostrum: ultra enim meritum munus magnum, quod accipitur: gloria eius est qui praestitit, non eius qui accepit.

v. 15. " Ideo et ego audita fide vestra in domino Iesu Christo „. Specialiter descendit (a) ad exhortationem Ephesiorum, simulque cum illa admonitione, ne aliter sentiant. Urbano dicendi genere " audita, inquit, vestra fide in domino Iesu Christo „. Haec enim summa rerum est, haec virtus, hoc mysterium, ut fides in Christum Iesum sit. Quae res etiam illud necessario habet ut diligantur omnes sancti qui fidem in Christum sumpserunt et sanctificati sunt. Ita is, qui fidelis in Christum est, diligit sanctos, idest sanctificatos ex fide Christi et mysterio baptismi. Ergo et ego audita fide Christi et myste-

(a) Codd. *descendi*.

rio baptismi; ergo et ego (a) audita fide vestra, vos diligo: audita etiam
dilectione vestra, dilectione in sanctos, operam dabo, ut gratias agam Deo
pro vobis. " Non cessabo gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in v. 16.
orationibus meis ". Omnis oratio quam agimus ad Deum, aut de eo agimus
quod accepimus, aut de eo ut accipiamus aliquid. Et quoniam omnis, qui
orationem facit, primo pro se facit, deinde (b) pro his, quos amat, sic ait Paulus
" in oratione memoriam, inquit, vestri facio. Ergo est principalis oratio,
primo pro me, deinde etiam pro vobis. Et illam duplicem causam supponit,
gratias agens pro vobis. Hoc de praeterito est. Sed adiunxit " Deus do-
" mini nostri Iesu Christi, pater gloriae det vobis spiritum sapientiae ". Hoc igi- v. 17.
tur de futuro est, orationem facere cum aliqua petitione, ut quum in Christum
creditis, agam pro vobis gratias Deo: rursusque orem et memoriam
vestri faciam in orationibus meis, ut Deus (qui Deus? ne aberrent, ne
suspicentur alia, vel gentilia, vel Iudaeorum) Deus, inquit, domini nostri
Iesu Christi pater, qui est pater gloriae. Potest ergo separatum videri, ut
Deus domini nostri Iesu Christi: ipse est enim Deus Christi: ergo et dominus
noster est; quia dominus noster, est Christus; et is Deus noster,
qui est Deus domini nostri Iesu Christi, qui longe separatus est a Deo Iudaeorum;
is ipse, qui et pater est gloriae. Ergo facio orationem, ut Deus det
vobis spiritum sapientiae, ut sapiatis, et quod verum est intellegatis. Et
hic et plurimis in locis satis confirmatum satisque certum et demonstratur
et ostenditur, quod ut sapiamus atque intellegamus et verum intellegamus,
spiritus nobis a Deo datur, sed spiritus sapientiae.

Denique adiungit, non nostrum probans esse quod intellegimus, vel intellegere
nitimur. Quid enim ait? " et revelationis in agnitione eius, inluminatos o-
" culos cordis vestri, ut det vobis spiritum sapientiae et revelationis ". Spiritus v. 18.
sapientiae est ut ipse nos spiritus faciat sapere, et in nobis sit, et quasi nos ipsi per
nosmet ipsos sapiamus, cum spiritus nos faciat sapere. Porro spiritus revelationis,
ut reveletur nobis quasi extra nos, quod intellegamus, et quod accipiamus
et sequamur. Ita aliquo modo aliud spiritus est sapientiae, aliud spiritus revelationis.
Sciamus igitur quasi duobus modis nos ad veritatem et ad mysterium
plenissimum pervenire, vel dum ipsi intellegimus Deum, et scientiam
de divinis comprehendimus, vel dum revelatio quaedam est, id est
quasi extrinsecus admonitio, quae nobis ostendit Deum et omnia divina. Est
quidem apud quosdam praecipuum et magnum, et quasi vero vicinum, revelatione
aliquid percipere; sed aut simile, aut paravit (c) simile magis et certum.
Cum autem nos sapientiam accipimus, ut nostro ingenio, et ut vere
dicam, et quemadmodum etiam hic positum est spiritu divino, quae sunt di-

(a) Ita repetitur in codd. (b) Codd. *de his* pro *deinde*. (c) Ita codd.

vina capiamus, inter nos scilicet et nobiscum tractatum iam habentes, et ut fas est dicere, iam quasi spiritu existente. Oro igitur, ut det nobis spiritum sapientiae et revelationis. Circa quam rem, subiunxit; scilicet in agnitione eius, ut haec sit sapientia, et per haec revelatio, id est ut Deum cognoscamus, habeamusque illuminatos oculos cordis circa Dei cognitionem. Hoc, inquit, precor vobis, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis. Deum cognoscere, magnum quidem praemium; verumtamen nescio quod parvum homini praemium, nisi ipse aliquid consequatur, atque aliquo modo se melior fiat. Ergo peto, inquit, ut spiritus vobis detur sapientiae et revelationis in agnitione eius, et oculos habeatis cordis vestri illuminatos.

Sed quoniam, ut disi, agnitio Dei magna quidem, parva tamen apud nos, nisi exinde aliquid capiamus, adiunxit, in ipsa Dei agnitione quid magis intellegatis; ut " sciatis, inquit, quae sit spes vocationis eius ". Primum quam spem habeamus vocati: deinde quas divitias consequamur, et divitias gloriae; quae sunt divitiae gloriae hereditatis eius, ut et gloriam eius consequamur et hereditatem, ut inter filios numeremur. Cum enim in adoptionem nos recipiat pietas Dei, in adoptionem filiorum suorum, heredesque simus; heredes autem, non ut in mundanis est, eo pereunte cuius quis heres est, quod nefas intellectu et dictu est; sed ut in his, de bonis, ut qui heredes sunt habeamur; ut quibus bonis Deus utitur, iisdem et nos bonis utamur, simus in gloria, simus aeterni. Haec est hereditas. Nam et cum Christo coheredes sumus, et Christus Deus est: ergo cum Deo heredes divitiarum gloriae eius sumus. Sed haec omnia sunt in sanctis, idest in his qui sanctificati sunt mysterio, Christi nomine. Probatissimum hoc ergo peto ut illuminemini, et sciatis hoc magnum beneficium, ut imploret et roget, ut nobis adventet spiritus, qui nos hoc doceat. Et nos quidem pro nobis frequenter hoc petimus: verum non parvum beneficium praestat ille qui iam emeritus Domini et sanctificatus est. Idem ipsum rogat nobis provenire quod nos
V. 19. cupimus et rogamus. Hoc ergo Ephesiis se (a) praestare Paulus commemorat. " Et
20. " quae sit sublimitas magnitudinis virtutis eius in vos qui credidistis secun-
" dum operationem potestatis virtutis eius, quam operatus est in Christo ". Hoc,
inquit, in orationibus meis peto, ut det vobis spiritum sapientiae et revelationis: item peto ut sciatis quae sit spes vocationis, quae divitiae; et item ut sciatis quae sit sublimitas. Exponit ipsam sublimitatem: "magnitudinis " inquit. Sed quae est ista magnitudo? virtutis adiecit. Item quae est ista virtus? quae est in vobis, aut in vos, quod vobis illam praestat. Quae est autem ipsa virtus quam vobis praestat? ut credatis in eum et credatis secundum operationem

(a) Codd. *Ephesii ipse.*

potestatis virtutis eius. Multa autem operatio est virtutis Dei: etenim quidquid per Christum factum est, quasi operatio Christi est, ut mundus et omnia quae et per eum facta sunt. Tamen operatio Dei vera certa simulque magnifica, quam operatus est in Christo.

Subiungit autem quae sit illa operatio Dei quam operatus in Christo est v. 21.
" suscitans illum a mortuis, et constituens illum in dextera in caelis, supra
" omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne
" nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo sed etiam in futuro: et v. 22.
" omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem ec- 23.
" clesiam, quae est corpus illius plenitudo eius (a), qui omnia in omnibus
" adimpletur ". Secundum, inquit, operationem potestatis virtutis Dei vos credidistis. Est autem operatio virtutis Dei. Quamquam in principio illa sit misisse Christum, vel illa propter animas subiectum mundum fecisse; quoniam hoc et altum et reconditum ab his rebus quae aperte manifestae sunt; quippe quae gestae (b) sunt, et gestae nuper, et ante oculos adhuc versantur. Inde sumit expositionem virtutis Dei, quam operatus est in Christo. Quae illa est? ex resuscitatione a mortuis. Cum enim resuscitavit a mortuis Christum, quam utique vidimus, magna utique operatio est potestatis virtutis Dei. Deinde haec quae consecuta sunt postea quam suscitavit a mortuis, constituit illum in dextera sua in caelis. Magnum utique hoc, tantum honorem dedisse, tantam maiestatem, ut et in caelis eum constitueret, et in dextera sua constitueret. Parum hoc est: supra omnem, inquit, principatum; ut nullus alius princeps, sive mundanus sive supra mundum, nonnisi inferior Christo sit. Et supra omnem, inquit, potestatem, et supra omnem virtutem, supra omnem dominationem, et supra omne nomen. Quod nomen? vel in terra, id est in saeculo, nominatum; vel in hoc mundo, vel etiam in futuro. Item quid est quod praestitit? quod omnia subiecit pedibus eius, et quod ipsum dedit caput esse supra omnem ecclesiam: quam quidem definit, ut intellegamus quid sit ecclesia quae corpus est illius; id est quae membra omnia sunt Christi, ecclesia est; quia ipsa plenitudo eius, qui omnia in omnibus adempletur.

Haec ergo cum praestiterit Deus tanta et tam magnifica Christo, et impleverit circa Christum quem resuscitavit, magna utique operatio potestatis virtutis eius est, quam (c) est operatus in Christo. Quoniam sensus apparet, et summa dictionis, nunc singula retractemus. " Suscitans illum a mortuis " quod palam gestum, quodque omnibus testimoniis clarum est, Deus Christum Iesum, qui fuit in carne, mortuum et in cruce sublatum resuscitavit tertio die a mortuis. Licet simplici intellectu mysterii ratio sit magnifica, tamen suscitatum esse a mortuis, nihil egisse mortem illam, quam homines sustinent,

(a) Codd. *et*. (b) Codd. *egestae*. (c) Codd. *quae*.

vel per violentiam, vel] per corporis necessitatem, Deum hoc sustulisse, ut mors non valeret, magna utique virtus Dei, magna potestas, magna operatio. Sed quoniam saepe vel quid sit Christus, vel quid sit in carne illum esse, vel quid sit in crucem illum sublatum esse, vel quid sit resuscitatum esse, saepius diximus, hoc breviter admonemus: nam mysterii plenioris ratio, et a nobis in his libris saepe tractata est, et alibi plenius explicata. Per Christum, idest per spiritum recreatas animas et liberatas esse, ut in suam originem reverterentur, et peccata tollerentur, in quae lapsae animae fuerant. Quoniam autem homines vivere non poterant per carnis imbecillitatem, missus est Christus, idest spiritus, et intellegentia, et revelationum, omnium divinarum rerum, et vitae aeternae spiritus, ut per eius mysterium, et per corporalem mortem resuscitatae animae ad virtutem caelestem redirent: simulque passus mortem crucis Christus, et resuscitationem a patre suscipiens, imaginem per mysterium praeberet animis omnibus ad resuscitationem. Verum haec, ut dixit, et aliquo tempore.

" Et constituens illum in dextera sua in caelis „. Quoniam Christus Dei motus est; motus autem in operatione est; operatio vero motus semper in dextera est; idcirco Christus in dextera Dei est constitutus (1) supra omnem principatum et potestatem. Primus enim motus omnium, motus est Christi. Principatus vero et potestates et virtutes et dominationes motus sunt rerum agendarum, sive in divinis sive in saecularibus. Sed cum fons sit et origo et principale omne quod movetur, idcirco supra omnem principatum positus est Christus, ut supra omnem potestatem. Aliud autem principatus est, aliud potestas: principatus in actu est, potestas in virtute qua esse potest, non qua iam est, sed qua aliquid esse potest. Cum autem Christus ipsa origo est omnium, et in eo est quod potentia est, supra omnem est potestatem. Itemque cum fons sit omnium actuum; actus autem est principatus; supra omnem principatum est. Item quoniam sive cum est, et potest esse aliud ad ipsum, potentia est, et potest ante quam actio est, esse supra omnem actionem; in his omnibus vel in principatu, vel in potestate virtus est; idest et ante actum; ut possit esse et ipse principatus. Idcirco quoniam supra haec omnia est Christus, et est supra omnem virtutem, inde quoniam omnes illae potestates vel mundanae vel caelestes vel ultra in aeternis, vel omnes principatus, vel omnes virtutes quae dominationem tenent circa unam quaeque (2) enim dominantur. Fons autem Christus est omnium: exinde enim omnia, quippe qui pater totius motus est; et haec omnia motus sunt; etiam supra dominationem omnem Christus est.

(1) Adnotemus ingeniosam Victorini interpretationem.

(2) Ita prorsus legitur in codd.

" Et omne nomen ". Omnia quidem nomina a posterioribus inventa sunt, et maxime ab his qui in mundo sunt, vel hominibus, vel angelis, vel potestatibus. Etenim aeterna illa omnia, res ipsae sunt, et potentiae viventes, aeternae, intellegentes, quae substantialiter cognoscuntur (a). Nullum igitur ibi nomen est, sed nomina illis addita nostro vocabulo sunt, vel nostra lingua, vel ut dixi angelorum, eorum tamen qui in mundo sunt. Porro autem cum ille Christus spiritus divinus et sanctus et Dei filius haec nomina a nobis accipiat, ultra est tamen quam haec omnia vocabula viderentur imposita. Et quidem quodam loco tetigimus quod nomen omne post genitum est, et est in ipsis nominibus nomen principale, quod vere supra omnia nomina est, et unde omnia nomina sunt, quod graece ὢν dicitur (1). At vero Christus et supra ipsum ὢν est: ergo et supra omnia nomina. Sed illud ὢν in aeternis est; et si in aeternis est, et Christus supra ὢν est, merito dictum supra omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Acrius et acutius: nomina enim iam facta omnia sunt, quae per intellectum fingi potuerunt ad expressionem earum rerum quas (b) intellegentes cepimus. Sed quoniam multa futura sunt nova, et in illo saeculo magis nova, quod saeculum futurum est, cum indicabuntur omnia; quibus utique rebus nondum cognitis, nomina nondum a nobis imposita sunt; neque enim possunt; quippe cum nota non sint; supra ipsa quoque nomina quae futura sunt praepositus est Christus: ita et in rebus primus ac summus, quando supra omnes potestates, principatus, et reliqua. Est supra omnia nomina, quando et in hoc saeculo nullum nomen ei merito applicari possit, et omnia quae futura sunt nomina, intra eius sunt vel appellationem vel substantiam, vel quamlibet de eo pronuntiationem, et effationem (c).

" Et omnia subiecit pedibus eius ". Multis et variis modis una virtus intellegitur, quae Christus est, sive motus, sive verbum, sive Christus primus universalis, per quem omnia fiunt, facta sunt, futura sunt. Merito ergo omnia subiecit Deus sub pedibus eius. Etenim progressio a Deo Christus, et per cuncta progressio Christus est, et omnia quae provenerunt, et quae redeunt in Deum, ipsius potentia redeunt. Item (d) ergo omnia actione subiecta sunt sub pedes eius. " Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam. Multi ecclesiam, omnes animas dicunt. Ergo Christus, qui spiritus est, per quem animae Deum cognoscunt et spiritales efficiuntur, et liberantur a qualitate animae, ut iam non temptentur, neque ut labantur, quippe spiritales factae per spiritum Christum, in quem credentes, spiritaliter sentiunt, et sic in Dei

(a) Codd. *cognoscentes*. (b) Codd. *quae*. Nisi mavis referre ad nomina. (c) Ita codd. (d) Codd. *idem*, ut alibi.

(1) Exod. III. 14.

cognitionem veniunt. Hoc modo Christus caput est super omnem ecclesiam, quae est corpus illius. Ecclesia omnis, item omnis anima, sed salvanda, et inde substantiam habens de aeternis, per quam vigent omnia; et sic omnes animae per Christum sicuti frequenter diximus. Ergo omne corpus Christi anima est omnis quam ecclesiam nominavit. " Plenitudo eius ,, idest ipsa ecclesia, quae corpus est illius. Plenitudo est eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Christus plenitudo est, qui omnis plenitudo adimpletur. Omne autem quod adimpletur, exinanitur: Christus autem et exinanitus est, vel ipse se exinanivit, et rursus recuperatis omnibus per mysterium salvatisque animis universis, adimpletur in omnibus. Ideo ergo plenitudo est. Sed sic locutus est Paulus, ut diceret ecclesiam corpus eius esse; cuius (a) plenitudo est, inquit: et plenitudo eius est, qui omnia in omnibus adimpletur. De duobus his verbis, plenitudine et capacitate, in aliis libris a me distinctius et plenius explicatum est. Quemadmodum Deus plenitudo tantum (b), quemadmodum Christus, et capacitas et plenitudo. Haec omnia ad magnificentiam Christi et ad potentiam dicta hoc agunt, hoc probant, nihil ultra accipiendum, nihil extra sentiendum; ac propterea errare Ephesios, si quid praeterea adiungant, et ex doctrina vel Iudaeorum vel mundana adsocient: unde ad eosdem nunc redit, atque admonet, iam in Christum receptos, et Christum recipientes, nihil aliud quam plenitudinem Christi (c) accipere debere.

CAP. II. " Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquan-
v. 1. ,, do ambulastis secundum saeculum huius mundi, secundum principem potestatis
2. ,, aëris, spiritus qui operatur in filiis diffidentiae ,,. Totus hic sensus iungendus est, et de Ephesiis quod in peccatis fuerint; et de se ipso quod Paulus in desideriis carnis et in consiliis carnalibus fuerit. His, inquam, omnibus, iungendum est illud quod Deus, qui dives est in misericordia, salvos omnes fecerit, et ipsum Paulum, et Ephesios. Sic enim concludit, cuius gratia estis salvi facti, cum ambularetis mortui delictis; et vos cum ambulaveritis mortui delictis et peccatis vestris. Frequenter monui, mortem duplici modo accipi, illam unam notam, cum fine vivendi in mundo anima separatur a corpore; aliam, cum in ipso corpore constituta, desideria carnis agit atque in peccatis vivit. Vos, inquit, cum essetis mortui: et designavit mortis genus, delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum huius mundi. Ostendit quae sunt peccata, scilicet desideria in mundo, de mundo, divitiarum, vel voluntatis vel scientiae mundanae, vel religionis de mundo, et cetera huius mundi quae animam perdunt errantem a scientia veritatis. Quod autem dixit saeculum huius mundi, sunt enim et superiora, et illa saecula aeterna, quae quomodo intellegantur, et quam sig-

(a) Codd. *cuiusque*. (b) In codd. repetitur *plenitudo*. (c) Codd. *plenitudine Christum*.

nificantiam habeant, aliis a me libris est replicatum. Saeculum huius mundi autem omnis regio mundana, vel omnis mundus, in mundo motus rerum tempus faciens et involvens. Non eodem modo saeculum in aeternis est: esse autem aeternorum saecula, etiam Paulus declaravit, et omnes prophetae: siquidem dicitur et frequenter dicitur " benedictus Deus in saecula saeculorum „. Etenim saeculum finitur; saecula autem saeculorum, et de aeternis et in aeternum sunt.

" Secundum principem potestatis aëris, spiritus qui nunc operatur in fi„ liis diffidentiae (a) „. Qui ambulat secundum saeculum huius mundi, ambulat secundum principem potestatis aëris, qui est spiritus filiorum diffidentiae (b). Cum duo sint lux et tenebrae, veritas et falsitas, bonum et malitia, non ita ut ex aequo sint; neque enim fas est aliquid Deo vel per contrarium comparari. Sic accipiamus et spiritus, unum fidei, alterum diffidentiae. Spiritus satanas et eius diabolus hic substantiam de aëre habet, idest de hyle atque materia, et potestatem in ipsa materia, vel in eos qui materialiter sentiunt. Est ergo ille princeps eius potestatis quae in aëre est, idest in materia: qui princeps spiritus est, sed ut dixi materiae; et in materiis nunc operatur, in filiis diffidentiae: idest eorum animos tenet, et ibi dominatur. Ergo qui vivit secundum saeculum huius mundi, vivit secundum principem potestatis aëris spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae. Est autem lectio duplex, spiritus operantis, et spiritus qui nunc operatur. Aëris autem vel principem vel spiritum materiae nos quidem diximus: ratio tamen vehemens illa est quod ipse est inter elementa princeps, aër scilicet. Nam et ignis aër agitatus est, et aqua aër humectus est, terra aër siccus et solidus: qui si omnia secum habeat, ipse est chaos, idest tenebrae, et materia tenebrarum. Ignis autem purior aër et caelum est, qui est aër agitatione succussus (c). Nam cum poëta (1) ventorum describeret potestatem, qua possent omnia confundere nisi regerentur, in aërem dixit cuncta converti, si venti habeant liberam potestatem.

Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Horum separatio singulorum, mundi dispositio: sicut Moyses docuit, qui separavit aquas in principio per Dei verbum; separavit et terram, separavit et spiritum. Ergo merito materiae spiritus, aëris spiritus dicitur.

" In quibus et nos omnes aliquando conversati sumus „. Ne iniuriam v. 3.
Ephesiis faceret, quia dixerat " cum essetis mortui delictis ac peccatis,

(a) Codd. *differentiae*. (b) Rursus codd. *differentiae*. Sed tamen ante et post scribitur *diffidentiae*. (c) Codd. *successus*.

(1) Virgil. aen. I. 58.

secundum spiritum aëris ambulantes; adiunxit etiam se et ceteros; ut aliquando conversati omnes sint secundum hanc vitam, quam subiungit " in desideriis „ carnis nostrae, facientes voluntatem carnis nostrae et consiliorum „. Haec sunt circa quae habet princeps potestatis aëris operationem, sed in filios diffidentes, ut desideria carnis habeant, faciant carnis voluntatem, et consilia carnis: quae qui abiecerit, iam Deum et cognoscit, et sequitur; nihil de carnis operibus cogitans. " Et eramus naturales filii irae, sicut et ceteri „. Quoniam et consiliis carnis et ex desideriis viventes (a); eramus, inquit, filii irae naturales; idest secundum naturam carnis geniti et materiae: ipsa enim natura est. Non enim divinam naturam dicimus, sed eam quae mundana est: et ubicumque nasci est, ibi natura dicitur. Ergo in superioribus, quia ingenita sunt omnia, cum dicuntur quaedam genita, quodam mysterio intelleguntur genita, non eo modo quemadmodum in mundo: ubi enim est natura, ibi (b) generatio: generatio autem est, cum ab eo quod non fuit, aliquid esse incipit; aut ab eo quod aliter fuit, aliud esse incipit; sicut de semine homo, vel virgulta alia de semine, ceteraque alia animalia. At vero in aeternis, quoniam quaecumque illa divina sunt, quasi quadam discretione apparere incipiunt, ideo veluti generata dicuntur: quum tamen eadem virtute sint, et eadem substantia qua fuerunt, idcirco ut generata non sunt. Neque enim cum Deus omnia fecerit natura, non ea quae aeterna fecit ex aeternis, ut habuit; sed tantummodo veluti separavit, et singula constituit: quae quanta et qualia sint, aliis libris intellegimus. Nunc vel Christum vel angelos vel animas ceteraque omnia, quae aeterna sunt, in aeternis quasi genita accipimus, cum longe aliter generatio sit, quae in mundo est. Ergo eramus, inquit, naturales filii; idest per naturam facti. Sed filii cuius? non Dei, sed irae: ipse enim adversarius, qui est ira, nos ex materia sibi vindicaverat. Sic, inquit, eramus nos filii irae, sicut ceteri. Sunt enim proprie filii irae, qui ex hoc mundo: sicut de quibus dixit " sicut ceteri „ ut nos qui ex illo mundo sumus male viventes; idest secundum carnem viveremus, quasi filii irae; quemadmodum vivunt filii irae; hoc est sicut ceteri.

v. 4. " Deus autem, qui dives est et in misericordia, propter multam charitatem suam miseratus est nos „. Vere enim divitiae magnae sunt Dei circa misericordiam. Cum enim nos peccatis nostris alienos fecissemus (c) a Deo, cum essemus ex superiori mundo, ille gratia sua donans peccata, indulgens etiam delictis, nos sibi redemit per filium suum; cui cum non pepercit ut nos liberaret, magnae sine dubio sunt eius divitiae, magna etiam charitas. Quantum enim est amoris eius in nos, cum filium suum propter nos exinanivit
v. 5. ut nos redimeret passione sua? Haec igitur charitas. " Et cum mortui esse-

(a) Codd. viventibus. (b) Codd. ubi. (c) Codd. fecisset.

„ mus peccatis, convivificavit nos in Christo „. Quia charitas Dei, inquit, manet. Haec, inqnit, est charitas; hae sunt divitiae; nt cum substantia ex aeternis nobis esset, et cum mortui essemus peccatis, redimeret nos per passionem Christi, et salvos faceret. Quoniam autem passio Christi, mortificatio est peccatorum; resurrectio autem Christi, resurrectio est nostra; ait " con„ vivificavit nos in Christo „ idest ad vitam aeternam restituit; sed per Christum " cuius gratia estis salvi facti „. Conclusit quod maxime necessarium et ad omnes et ad Ephesios fuit, ut nihil extra Christum accipiamus; siquidem eius gratia salvi sumus. Ergo et vos, Ephesii, gratia Christi salvi facti, nihil extra accipere, nihil *externum* in religione et fide habere debetis.

" Et simul suscitavit, et simul collocavit in caelis „. Hoc sanctum plenumque v. 6.
mysterium est, ut fidem habeamns in Christo, non nos nunc mereri sascitationem
vel regna caelestia; sed cum Christus suscitatus, tunc nos suscitatos. Hoc enim
ait " simul sascitavit „. Item " et simul collocavit in caelestibus „. Cum enim
collocavit Christum, simul collocavit etiam eos, qui in Christo sunt et erunt. " In v. 7.
„ caelestibus, ut ostenderet in saecnlis snpervenientibus superabundantes divi-
„ tias gloriae suae, in bonitate super nos, in Christo „. Non enim nobis reddidit
meritum: quippe cum non hoc meritis nos accipimus, sed Dei gratia et bo-
nitate. Suscitavit ergo nos simul in Christo causa bonitatis suae, et gratia
quae est in Christo, ut ostenderet futuris saeculis et snpervenientibus divi-
tias suas. Quas divitias? gratiam bonitatis super nos. Sed omnia haec, nt saepe
monet et ego insinuo, in Christo. Ibi (a) est enim omne mysterium resurrec-
tionis et nostrae et omnium. Per Christum enim reconciliantur omnia: ipse
enim ianua est, ipse resurrectio, ipse vita, et ad patrem via. " Nam gratia v. 8.
salvati estis per fidem „. Explicavit aperte, quod a nobis fides debeatur: tan-
tum autem debetur, ut credamus in Christo. Quod si ita, solum hoc nostrum
est; non merito nostro salvi sumus, sed Dei gratia. Denique sic adiungit
" et hoc non ex vobis; Dei donum est: non ex operibus, nequis forte glo- v. 9.
„ rietur „. Quod salvi sumus, gratia, inquit, Dei est: ita et vos, Ephesii, quod
salvi estis, non ex vobis; Dei donum est: neque ex operibns vestris, sed Dei gratia
est, et Dei donum est, non meritum nostrum (b). Aliud esse opera, aliud meritum
nostrum: unde separavit " non ex vobis „ dicendo " non ex operibus „: praeter opera etenim, quae quotidie praebenda sunt in officiis in pauperes, et cetera benefacta. Sed etiam cum esse possit meritum ex officio et religione, ex castitate et abstinentia; non enim neque operibus vestris potest (c). Opera ista sunt. Ideo utrumque conclusit "non ex vobis, neque ex operibus„ et adiecit "nequis glorietur„. Nescio quomodo enim qui operibus suis redditum meritum putat, suum vult esse, non praestantis: et haec iactatio est.

(a) Codd. *ubi*. (b) Codd. *merito nostro*. (c) Ita codd.

v. 10. " Ipsius enim figmentum sumus creati in Christo ". Ipse mysterio quo-
dam nos finxit et formavit in Christo, ut cum illo resurgeremus, cum illo
heredes esse possemus, credentes in Christo. " In opera bona quae paravit
" Deus ". Paravit, creavit, formavit in Christo Deus opera (a), inquit, bona:
scilicet quae futura sunt, an haec quae nunc hic agimus? Sed et sive quae
futura sunt intellegamus, sive quae nunc sunt, bona utique sunt, testes in
Christo sunt. Et videri potest de praesentibus dixisse operibus: quippe
v. 11. cum ita subiungit " ut in illis ambulemus: memores in ipsis, inquit, operi-
bus ": ut iam eodem modo vivamus, et eadem opera faciamus, quae bona
sunt. Quippe iam figmento suo Deus nos creavit in Christo, ut simus memo-
res: ac propterea fidem servantes, in ipsis iam operibus ambulemus. " Et vos
qui aliquando eratis gentes in carne ". Utique quia dixit " ambulemus " adiecit
" et vos utique ambuletis in bonis operibus quae paravit Deus ". Vos, inquit;
qui aliquando eratis gentes in carne, idest gentiliter sentiebatis; et propterea
carnaliter, idest carnis desideria facientes. Cui contrarium illud est, esse in
Christo, idest spiritaliter vivere, et omnia secundum spiritum cogitare. Hoc fre-
quenter exposui. Utique illud est, de Deo cogitare, in Deo sperare, habere
ad Deum animum, tendere ad patrem, cognoscere viam aeternitatis nostrae Chris-
tum, credere per eius resurrectionem nos resurrexisse.

" Qui dicimini praeputium ab ea quae dicitur circumcisio in carne manu
facta ". Vos, inquit, eratis gentes in carne dicti (b) ab his qui circumcisi sunt,
idest Iudaeis, quae circumcisio manu facta est. Ab hac igitur circumcisione,
idest a Iudaeis, vos dicimini praeputium; idest qui circumcisi non estis. Cum
autem dixit, quod circumcisio quae manu facta est, vos praeputium nominat;
intellegi voluit, non esse a Deo datam circumcisionem (1), quae manu facta est;
sed esse alteram circumcisionem quae mentis est, et desideriorum omnium, et
peccatorum omnium, ut vere mundum a se circumcidat, et separet desideria
carnis universa. Quid enim prodest carnem circumcidere, cum magis vitium om-
ne per animos crescat ex carne? Illa igitur, quae ex carne peccata sunt,
circumcidenda sunt: et haec circumcisio non manu facta erit, sed anima et
spiritu. Hoc autem ideo dictum, ne pudeat illos quod praeputium dicuntur:
non enim aut hoc (c) extra religionem Dei est, aut vere dicitur; quippe cum
a Iudaeis, cum dicatur idem ab ea circumcisione, quae manu facta est: cum
melior sit et verior circumcisio, quam fecerit anima et spiritus, circumcidens
carnis omnia peccata. " Quoniam eratis illo tempore sine Christo ". Cum enim
v. 12. gentes eratis, utique sine Christo eratis: itaque semper Christus: sed qui-
cumque receperit Christum, in eum sumpserit fidem; tunc quasi circumcisus

(a) Codd. *in opera*. (b) Codd. *qui pro dicti*. (c) Codd. *ex hoc*.

(1) Nempe sermonem non esse de illa vetere circumcisione.

est, et tunc erit in circumcisione, sed non manu facta. Ergo ideo praeputinm eratis, quoniam non eratis cum Christo. Et hoc adinngit, non eratis veri Iudaei " alienati a conversatione Israel ". Vera enim eius conversatio, si secundnm spiritnm sentiamus, et secundum spiritum vivamus, et Christo circumcidamur a carnalibus desideriis.

" Et hospites testamentorum, promissionis eorum spem non habentes, " et sine Deo in hoc mundo ". Hoc est, gentes eratis; et quia nihil agebatis cum Christo, et eratis sine Christo; idcirco, inquit, non eratis in conversatione Israel; idcirco hospites eratis testamentorum, idest alienati testamento. Quid est testamentum? a promissione testamentorum; hoc est promissionis eorum quae Deus promiserat per testamenta sua, idest per prophetas, spem non habentes: scilicet promissionis eorum spem non habentes. Cum enim essetis sine Christo non vobis promittebatis spem promissionis eorum testamentorum: quippe cum ab his hospites essetis et alieni; et essetis sine Deo, idest sine Christo. Sic enim dixit " cum essetis sine Christo ". Ecce et hic Deum Christum appellavit (1). Deinde potest intellegi sine Deo, quia ex Christo Deus est. Eratis autem in hoc mundo sine Deo. Sine Deo vivit, et hospes est a promissis testamentorum, et v. 13.
alius a vero Israel, cui caelum et regna caelorum promissa sunt in aeterna vita et Dei (a) gloria. " Nunc autem in Christo vos, qui aliquando longe eratis, facti estis prope in sanguine Christi ". Omnis oratio, quae exhortationem tenet, post generalem disputationem revocat sententiam ad eos ad qnos epistulam scribit, ad Ephesios scilicet. Ergo, inquit, vos quoque qui aliquando longe eratis, idest gentiles, nunc autem in Christo facti estis quemadmodum prope in sangnine Christi: quoniam non opera nostra, neqne Ephesii sua prope sint, et in Christo sint; sed sanguine, inquit, Christi.

Et exponit quid illud est qnia per sanguinem Christi in Christo sumus, v. 14.
per fidem tamen. " Ipse est enim pax nostra ". Per mysterinm etenim eius reconciliati Deo sumns etiam non alieni neque adversarii. Cum enim alios colebamus, et idolis serviebamus, quasi bellum habebamus cum patre, idest cnm Deo. At medius Christus mysterio suo et passione reconciliavit nos in se. Ergo pax nostra, qui fecit ntraque unum; et medinm parietem materiae solvens, inimicitias in carne sua. "Legem mandatorum, in decretis eva- v. 15.
cuans ". Pax, inquit, nostra Christus est: qnem et alibi mediatorem appellat. Ipse enim se interposuit inter divisa regna, cum animae a Dei fonte natae, in hoc mundo teneantur vel tenerentur: ut intercederet medius paries, quasi saeps ac materia, per inlecebras carnis et mundanas cnpiditates. Christus mysterio suo et carne et passione et disciplina medinm istum parietem solvit, idest vincens

(a) Codd. *Deo.*

(1) Nota rursus praeclarum Victorini de Christo Deo testimonium; et recole p. 2.

carnem et vincendam docens, et mundi cupiditates solvens ac solvendas docens, medium parietem sustulit: in carne tamen, inquit, sua inimicitias utique solvens. Ergo non nostri laboris est, quod saepe moneo, ut nos solvamus; sed sola fides in Christum nobis salus est. Ille enim solvit omnes inimicitias in carne sua. Item solvit et legem mandatorum, in decretis evacuans eam, ut non per opera neque per sabbata. Ipsa enim decreta sunt in lege ipsaque mandata: nunc (a), inquam, huiusmodi praecepta observationum, quae carnaliter intellecta sunt, evacuavit Christus. Quibus evacuatis, medium quod intercesserat, sublatum est: nec animae iam impediuntur quasi obiecto mundo, idest cupiditatibus mundanis, et intellectibus, et desideriis scilicet carnalibus, ne videant Deum, cognoscant, sequantur, etiam cum eo iuncta sint. Hoc enim docet " ut duo conderet in semetipso, in uno novo homine faciens pacem ". Dixi quos duo; animas, et superiora illa, aeterna scilicet et spiritalia. Quum (b) ipse salvator, qui spiritus est et sanctus spiritus, in animas descendit, iunxit duo superiora spiritalia, et animas spiritales esse fecit, et condidit in semetipso in uno, inquit, novo homine. Novus autem qui est homo? spiritalis: vetus enim animalis est, et exinde carnalis.

" Faciens, inquit, pacem ": idest discissis et separatis et pugnantibus, idest animis ad terrena dilapsis et terrena sequentibus, et idcirco repugnantibus his quae caelestia sunt et spiritalia; pacem, inquit, fecit; dum reconciliavit spiritalia et Deum; ut iam unum animo sentiant, unum colant,
v. 16. unum sint, scilicet spiritales. " Et ut exhiberet et reconciliaret ambos in uno " corpore Deo ". Iungens, inquit, ut diximus et animas et spiritum, pacem fecit: ut exhiberet coniunctos duos illos quondam separatos, et reconciliaret Deo. " In uno, inquit, corpore idest; ut ipsa anima iam spiritus cum esset, et ipse spiritus cum iam animam sibi vindicaret, esset unum corpus, quod fuerat antea separatum. Sed hic corpus accipiamus item copulationem, ut substantiam unam; quod est caeleste corpus et in aeternis. Corpus quomodo dictum est? de domino nostro Iesu Christo; quod corporalis substantia est Christus corporalisque maiestas. " Per carnem interficiens inimici" tias in semetipso ". Hoc autem est mysterium crucis, ut in poenam tollerentur omnia, quae inimica sunt animis et spiritui nostro; idest desideria mundana, carnis cupiditates, ipsaque caro quodammodo corrupta atque vitiosa. Per carnem ergo Christus interfecit inimicitias, idest omnia adversa animis. Et ubi interfecit? in semetipso. Ideo enim adsumpsit carnem, ut in semetipso vinceret carnem; et sic per carnem carni prodesset, interficiendo corruptionem carnis; et per resurrectionem, adsumendo puram atque aeternam carnem atque omne corpus deitatis; cum omnia spiritus fiant, sicut multis locis et Paulus

(a) Codd. *non, inquam, per huiusmodi* etc. (b) Codd. *quo*.

docet, et res ipsa manifestata est. In quo etiam illud, quod ubique ostendamus
velim, quia dominus noster Iesus Christus istam ipsam quodammodo carnis et
mundi pugnam vicit, superavit. Nostrum paene iam nihil est, nisi solum cre-
dere qui superavit omnia. Haec est enim plena salvatio, Christum haec vicisse,
Christum ideo in cruce sublatum esse, Christum ideo resurrexisse, ut nobis in
eum credentibus salus, aeternitas, et caelorum gloria pararetur.

" Et veniens evangelizavit pacem nobis qui longe, et pacem his qui iuxta. „ v. 17.
Omnem actum et advantum domini Salvatoris per ea quae geruntur et gerenda
sunt, exprimit. Adventus enim Domini evangelizavit pacem, idest ut reconciliaren-
tur homines, totusque mundus per animas in Deum respiciens, nihil adversi (a)
sentiret, haberet pacem. Quod autem dixit quod Deus, idest Salvator, veniens ev-
angelizavit; omne quidquid bene est et bonum pronunciat, evangelium dicitur.
Deum enim nuntiare, et Deus ut cognoscatur docere, et in Deum conver-
sionem nuntiare, evangelizare est: et hoc est evangelizare pacem, ut non dis-
cordantibus animis et errore depravatis, dum servimus vel hylicis potestati-
bus, bellum quodammodo geramus in Deum. Hoc est, inquam, pacem evange-
lizare. Rursus quod dixit " et qui longe, et his qui iuxta „ ad id referendum
quod est Iudaeis et gentibus. Namque iuxta sunt Iudaei scilicet, longe autem
gentes. At vero quoniam ipse Salvator accepit evangelium ut in gentes pro-
nunciaret Deum, primo illud posuit; ut vere etiam Christus adveniens his pro-
nunciaret pacem, qui longe sunt, idest gentibus sicut multis rebus ostendi-
tur. Nam et meliores filii dicuntur qui ex gentibus ad credulitatem veniunt
quam ex Iudaeis. Verumtamen ne et illis negaretur, adiunctum " et his qui
iuxta sunt „.

" Quoniam per ipsum accessum habemus, utrique in uno spiritu ad v. 18.
patrem „. Utrique, ut dixi, et Iudaei et gentes per ipsum Christum habemus ac-
cessum ad patrem. Sed quomodo? in uno spiritu enim, qui Christus est: dum
in ipsum credimus, in nos inlabitur, et Deum sentimus, et Deum cognoscimus,
et Deum colimus. Ergo in ipso spiritu ad patrem ut venire possimus, per
Christum utrique venire poterimus. Itaque Iudaei nisi per Christum ad pa-
trem venire possunt; quemadmodum et gentes nullo alio extrinsecus vel
idolo, vel potentia, vel qualibet, ut ipsi nominant, maiestate. " Ergo iam non v. 19.
„ estis hospites et incolae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei „. Con-
cludit ad speciem, Ephesiorum scilicet, quod non sint etiam alieni neque in-
colae neque hospites. Qui enim peregrinantur a Deo, quoniam in Dei operibus
manent, idest in mundo, hospites et incolae sunt ut possint esse domestici,
Etenim si et daemonibus immolabunt (b), postea credentes et sequentes Deum, sunt
domestici, sed in mundo. Nunc autem qui non credunt, ii hospites sunt et
incolae. Porro quod concludit ad Ephesios, si qui Deum crediderit, et per

(a) Codd. *adversis*. (b) Codd. *indicabunt*.

Christum se ad Deum pertinere cognoverit, neque hospes neque incola est; estis ergo, inquit, Ephesii, cives sanctorum et domestici Dei. In unam enim civitatem, idest aeternam illam superiorum divitiarum, quam Hierusalem vocant, conveniunt omnes, et sunt cives sanctorum et Dei domestici: quoniam in eadem civitate Deus veluti rector et dominus et princeps est. Iidem ergo domestici Dei.

Quid autem intellegamus cives sanctorum? quasi aliud erunt isti qui cives dicuntur, et aliud sunt sancti. Quod si ita est, qui sunt sancti, et qui cives? intellegendum puto sanctos posuisse apostolos et prophetas et ceteros, qui Deum aut passi sunt aut viderunt; hoc est qui inhabitante in se spiritu, divina locuti sunt, aut praesentem aliquo modo viderunt: aliquo modo dixi, vel per carnem, vel per spiritum, ut Abraham, ut apostolus, ut ceteri hii per carnem et per spiritum, ut omnes apostoli: hi ergo sancti sunt. Qui autem credunt in Christum sine horum aliquo, cives
v. 20. sunt sanctorum et domestici Dei. " Superaedificati supra fundamentum apostolorum ". Satis ipse declaravit, aliud esse sanctos, aliud cives: siquidem superaedificatos dixit istos supra fundamentum apostolorum. Item ut praecepta vel observare debeant, vel ad Dei cognitionem, vel ad cultum ac religionem. Iesus Christus, et praecepta eius, fundamenta sunt apostolorum: quae fundamenta superaedificationem habent iam ex vita et ex moribus et ex genere vivendi et disciplina. Primum tamen fundamentum est ad vitam: cetera, ad exornandum et exaedificandum. Primum, inquit, fundamentum est Christum credere, et in eo spem habere, et in Deum fidem mittere. Hoc autem docent apostoli; et hoc est fundamentum etiam prophetarum: bono or-
v. 21. dine, secundum illud quod supra divisi, ut sanctos dicerem et eos qui viderunt et eos qui spiritum toleraverunt (a). Viderunt enim apostoli, spiritum habuerunt prophetae. Secundum igitur praecepta apostolorum et prophetarum (quae praecepta Christi) est adnunciatio, et est fundamentum totius aeternitatis et spei.

" Superaedificati estis, inquit, in ipso angulari lapide Iesu Christo ". Omnis medietas inter duo semper posita. Haec, duo aut iungit aut separat. Sed ubi separatio est animis, ibi (b) mundus φραγμὸς dicitur, id est maceria. Ubi autem iunctio animis, Christus est, et lapis dicitur angularis, quoniam vere angularis lapis: et is est qui in primo collocatus est: vere angulo fundamentum positum, duobus lateribus iungit. Hunc lapidem ἀκρογωνιαῖον appellavit: non enim tantum angularis, sed qui primus et summus est, unde incipit fundamentum anguli, qui duo iungit et copulat et unum reddit. Etenim duo, sicuti diximus, vel superiores animas, quae etiam cum Christo fuerunt; et istas quae hic sunt sanctae, et mysteriis Christum habentes;

(a) Ita codd. (b) Codd. *ut* pro *ibi*.

vel ipsas illas omnes Christi animas, etiam gentium animas, quae iunguntur illo
angulari lapide Iesu Christo. " In quo structura compacta in templum sanctum v. 21.
in Domino ,, Omnes enim animae collectae, omnesque homines spiritales (a) reddi-
ti per Christum struuntur, ubi Deus inhabitet, quasi templum sanctum; ut
cum in omnibus inest Christus, et cum est in Christo Deus, omnes templum
sint per Christum Dei. " In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in v. 22.
,, spiritu ,, Ut saepe docui, ad speciem, idest ad Ephesios, rem vocat, ut et
ipsi aedificati in eodem angulo sint, idest in spiritu Christi, ut et ipsi habita-
culum sint Dei. Magna autem moderatione, ut exhortatio fieret: non enim
iam factos dicit, sed adhuc aedificari: deest enim illis; et idcirco admonet
et hortatur. Et cum illos habitaculum Dei in spiritu dicat, utique quid agit
aliud, nisi ut aliud quodlibet excludat ex animis, solumque Christum ibi ani-
mas coaedificare adhuc dicat, ut templum fiant Dei?

" Huius rei gratia ego Paulus vinctus Christi pro vobis gentibus: si CAP. III.
,, tamen audistis dispositionem Dei gratiae ,, Supererat ut cum de rebus v. 1.
locutus esset, quod spes omnis in Christo, sic et spiritu coaedificentur om- 2.
nes, ut sint habitaculum Dei; supererat, inquam, ut id doceret quis ipse
esset; an ipse impleret coaedificationem per evangelium, daretque rationem
auctoritatis suae ut ei crederetur. Hoc igitur adiungit " huius inquid (b)
gratia ,, idest ut habitaculum Dei in spiritu aedificemini. Non enim tantum
Ephesiis istud, sed omnibus dictum audiatis. Denique pro vobis, inquit,
gentibus vinctus Christi Paulus; vinctus, aut adsociatus ad evangelium
Christi, aut qui multos labores et poenas toleravi, et pro vobis tolerem,
adnuntians Christum: et sim vinctus Christi; qui adnunciando Christum,
vinciar; sed propter vos. Id ut probare videretur, se pro gentibus vinc-
tum esse Christi, adiecit mysterii erga se habiti (c) fidem. " Si tamen, in-
quit, audistis dispensationem Dei gratiae ,, Idest si est cognitum vobis quae
gratia disposita sit, idest quomodo per me evangelium ordinatum sit, ut ad-
nuncietur Deus per Christum, et Christi virtus, quae virtus Dei est. " Quae
,, data est mihi in vos secundum revelationem ,, Etenim, sicut ipse v. 3.
Paulus multis locis memorat, non ab hominibus, neque per homines my-
sterium accepit aut didicit, sed revelata illi cuncta sunt. Hoc enim
dixit, gratiam sibi datam; sed per revelationem. Quo in loco intel-
legi licet christianum ex revelatione fieri posse, et maxime fieri. Electus
quidem est, et vas electionis dictus est Paulus; verumtamen quia Dei
potentia omnibus modis gratiam suam ministrat; intellegamus esse istam le-
gitimam mandatorum Salvatoris disciplinam, uti renascatur homo per spiri-

(a) Codd. *spiritaliter*. (b) Ita cod. prisco scribendi more. (c) Codd. *habenti*.

tum et aquam, et sic Christi spiritum recipiat. Sed id et ab hominibus et per homines. Istud vero quod Paulo proveuit (quamquam hoc, ut aestimatio nostra est, meruit solns) tamen, ut dixi, revelatio Dei eiusmodi aut alio simili modo per Dei gratiam fieri potest. Unde non est abnegandus a Christi gratia, cui revelatio per Christi gratiam data sit, ut spiritu compleretur; et Christi cognitione per revelationem habita, deserviret.

v. 4. "Notum mihi factum est mysterium, sicut ante scripsi iu modico; pront „ potuistis legentes (a) intellegere prudentiam meam in mysterio Christi „. Et hic quoque admoneo revelationibus posse cognitum esse mysterium Christi: et licet circa Paulum ex electione Domini videatur impletum, tamen quoniam electio Domiui libera est, etiam circa alios potest ut non ab hominibus neque per homines fiat cognitio verae plenaeque deitatis. Magna quidem et unica dignatio, et fortassis ex parte quod fiat hodie, concedatur. Etenim cum ipse dixerit, si propheta aliquis et de eodem alius sibi revelatum dixerit, sedeat et cognoscat qui prophetat, ut audiatur is qui sibi revelatum dicit; ergo et revelari potest; et quod parte, eodem modo etiam in toto. Etenim mysterium Domini et Dei voluntas in omni potentiam suam extendit: et illum posse omnia, et velle quae potest, accipere debemus; et haec alterius quaestionis siut. Nunc revelatum sibi mysterium ostendit (b); cum dixit Paulus id se scripsisse Ephesiis, idest ipsum mysterium; non revelationem, sed quod revelatum est, hoc est mysterium. Scripsi, inquit, sed immo dico; et ut potuistis, inquit, legentes intellegere, in quantum potuistis prudentiam meam; in mysterio Christi prudentiam. Scientiam posuit non illam quae praevidet sua potentia quae sunt, quae futura sunt ratiocinando invenit et comprehendit: at hic scientiam, prudentiam nominavit. Non enim per prudentiam consecutus; sed postea quam consecutus est, habere coepit prudentiam. Denique prudentiam, inquit, in mysterio Christi; idest in eo quod percepi, quod mihi revelatum est, quod mihi notum factum est; id est in eo (c), quod doctus sit prudentia, in eo quod sibi revelatum est vel memoria, vel scientia, vel intellegentia. Hae enim sunt partes prudentiae: ita et locus prudentiae est, et tamen non per prudentiam mysterium consequi possumus, sed per revelationem.

v. 5. "Quod aliis generationibus non fuit notum filiis hominum „. Potest hoc ad prudentiam argumentum esse, uti Deo revelatum illi sit, quia prudens erat et percipere poterat revelationem, mysterium; et solus meruit propter prudentiam mysterium nosse, quod aliis generationibus notum non fuit filiis hominum. Quid est aliis generationibus? idest ante mea tempora (d). Generationes enim, sicuti in evangelio lectum est, quasi per homines tempora. Nulli, inquit, eorum qui ante me in generatione fuerunt filii hominum; nulli, inquit, notum fuit de myste-

(a) Codd. *intellegentes*; sed recte infra *legentes*. (b) Codd. *et nos pro ostendit*. (c) Codd. *factum quae est autem in eo*. (d) Codd. *ante meis temporibus*.

rio. Quod sit mysterium, quod revelatum sibi et notum factum Paulus dicit, saepe locuti sumus. Adiiciendo autem " filiis hominum „ ostendit fortasse mysterium illud ante quam Paulo revelatum est, fieri potuisse ut revelatum sit angelis; idest non filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis eius apostolis. Plene mysterii concordiam quod unum sit atque idem, quod sibi revelatum est et apostolis, docet. Ne discordet et non idem videatur esse per praesentiam Christi traditum apostolis, quod ipse sibi per revelationem traditum dixit; coniungit id sibi revelatum quod sanctis apostolis. Parum est: adiicit " et prophetis in spiritu „. Acute et vehementer: etenim propheta qui mysterium locutus est, in spiritu illi revelatum est; mysterium ipse non scivit. Quia dixit filiis hominum revelatum non fuisse neque notum mysterium; fuit autem notum et prophetis, qui filii hominum sunt; adiunxit notum, sed in spiritu; idest cum afflati spiritu mysterium loquerentur.

Ipsis tamen non notum fuit esse " gentes coheredes et concorporales v. 6.
„ et participes promissionis eius in Christo per evangelium „. Hoc est quod sibi mysterium notum factum esse dixit, simulque etiam sanctis apostolis et prophetis in spiritu, quod et gentes coheredes sunt in Christo et concorporales, idest eiusdem quasi corporis: quod saepe ita memorat ut omnes animae sanctae et liberatae (a), et Christi spiritu iunctae, unum corpus esse dicantur. Exinde ergo participes promissionis eius in Christo sunt etiam gentes. Non enim solus Israël, sed et gentes, quae in Christo per evangelium concorporatae fuerunt, participes promissionis; quod aeternam gloriam merebuntur, quod vitam, quod remissionem peccatorum, et cetera, quae et Deus et Salvator promisit se sequentibus. Ergo omnes per evangelium promissionis participes in Christo sunt.
" Cuius factus sum ego minister secundum donum operationis Dei, quae da- v. 7.
„ ta mihi est secundum operationes virtutis eius „. Minister, inquit, sum evangelii factus ipsius, per quod in Christo participes promissionis et gentes et Israël sumus: cuius evangelii ego minister; factus autem dono gratiae Dei. Ubique enim non nos meritis nostris hoc accipere, sed gratia Dei, memorat Paulus; ut dantis sit, non accipientis, quidquid gratiae datur. Quod autem adiunxit " secundum operationem virtutis eius „ et hoc quoque Deo tribuit; ut siquid ego operer, virtus Dei sit. Non enim in me mea virtus operatur, sed Dei. Quomodo autem utrumque iungat et quid sequatur, perspiciendum diligenter
est. Adiungit enim: " mihi minimo omnium sanctorum data est haec gratia „. Si v. 8.
operatio iam agentis est, et secundum operationem data est gratia, meritum est prius operantis, et sic gratia. Sed supra dixit, secundum donum gratiae Dei datam esse hanc gratiam, ut minister esset evangelii: soli vero posterius data est, qua nunc operatur, et operatur virtute Dei, et dicitur " propter operationem virtutis Dei data est gratia „. Quid igitur? operatio ante gratiam

(a) Codd. *libertas*.

data est? an postea gratia data? Sed cum dicitur operationem virtutis Dei esse, iam data est gratia. Rursusque cum dicitur, secundum Dei gratiam factum ministrum esse Paulum, ante operationem intellegimus datum donum, ut minister esset; et donum Dei (a) esse gratiam quod minister est. Iam ex accepta gratiâ ministri cum operetur; et illa gratia est, ut operatio eius ex virtute Dei sit. Ita ut minister esset, donum Dei fuit; ut esset operatio Dei virtus in eo, gratia Dei fuit. Mihi igitur omnium sanctorum minimo haec data est, inquit, gratia. Quae illa gratia? secundum operationem virtutis eius inter gentes evangelizare.

Quid autem evangelizare, subicit: non apostolorum minimo, sed sanctorum, inquit. Sancti enim, et fide et spiritu sancti, sunt apostoli, quibus mandatum est evangelium. " Incomprehensibiles divitias Christi ,,. Quae enim aut divitiae tales esse possunt, aut quemadmodum comprehendi divitiae, quae sunt Christi, quae nos faciant Dei filios, aeternam vitam tribuant, corruptionem omnem auferant, mortem ipsam interficiant, in caelis esse faciant, peccata donent omnia? Ergo magnae divitiae, et in tollendis malis indulgentia peccatorum, et in dandis bonis, et tantis bonis, quae supra dixi, et alia talia.
v. 9. " Et illuminare omnes quae sit dispositio mysterii ,,. Ordo: data est mihi gratia inter gentes evangelizare et illuminare omnes. In qua re illuminare? quid sit dispositio mysterii; ut non solum mysterium evagelizent sed et illumineut, idest aperiant quae sit dispositio mysterii. Quod autem dixit " illuminare omnes ,, tenuit et Israël et gentes. Accepit enim sine dubio in gentes evangelium; sed et Iudaei illuminari possunt, si sequantur, si obediant. Quid autem sit dispositio mysterii, exponendum est; quoniam illuminare se dixit Paulus. Sed id in sequentibus declaravit " absconditi a saeculis in Deo ,,. Data mihi, inquit, inter gentes est gratia, omnes illuminare quae sit dispositio mysterii. Cuius mysterii? quod absconditum est, inquit, a saeculis in Deo.

Quid est a saeculis, et quid in Deo; quid est absconditum, et quomodo absconditum; breviter explicemus. A Deo, qui pater est primus, genitus est Christus qui est lumen ex lumine; et Deus ex Deo (1), qui Iesus est, qui Deus ex Deo est (2). Nemo me velut alterum Deum dicere existimet; sed ita ordo loquendi flagitat. In hoc, inquam, Christo, qui Deus ex Deo est, omnia perfecta sunt, et per ipsum omnia; sed quod nunc necessarium est, in ipso omnia. Sic enim dictum, et per ipsum, et in ipso. Si igitur in ipso omnia, quamquam per ipsum omnia, sed Deus in ipso omnia (3); etiam hoc mysterium est, et in ipso absconditum. Absconditum autem quibus? a

(a) Codd. *Deus*.

(1) Respicit Victorinus ad symboli nicaeni verba. Et quidem, puero vel adulescentulo Victorino, celebrabatur magnum illud Nicaeae pro Christi divinitate concilium.

(2) Atqui hoc iam dixeras, Victorine mi.

(3) Ita prorsus est in codd.

saeculis. Christus enim unigenitus Dei filius, et ab ipso reliqua creata sunt: id est per ipsum Dei opera in ipso operante per ipsum. Omnia saecula igitur posteriora Christo; quippe a Christo facta. Nihil igitur ante Christum, nec superiora ante Christum. Nullo temporis exordio Christus natus ex Deo. His igitur saeculis, item ab his in Deo mysterium absconditum est, ut suis temporibus reveletur, Dei filium Christum venire, carnem inducre, succurrere, liberare hominem, donare peccata, in aeterna et caelestia tollere, iustificare, et glorificare, et cetera quae subiungit. In quo igitur mysterium hoc absconditum est? in Deo. In quo Deo? qui universa creavit. Si enim per ipsum revelatum est mysterium in ipso absconditum; fuit autem absconditum ante quam veniret, revelatum est postea quam venit. Quis iste est? qui universa, inquit, creavit. Ergo creator licet Deus accipiatur, sed per Christum tamen creator Deus. Creator enim non convenit Deo (1), sed convenit Christo, et sic per Christum Deo. Ille enim genuit Christum: Christus creavit omnia ipso Deo operante et per se creante. Ita unum est quod creata sunt omnia, et ab uno creata sunt. Si quidem Dei patris opera per Christum creata sunt omnia.

" Ut innotesceret principibus et potestatibus in caelestibus per ecclesiam V. 10.
„ multiformis sapientia Dei „ Hoc est mysterium quod absconditum in Deo, id est in Christo, quod postea revelatum est non animis (a) sed hominibus, neque tantum hominibus sed omnibus principibus et potestatibus in caelestibus, et revelatum est per ecclesiam, quod scilicet per mysterium sapientia Dei est. Cum autem dixit " principibus et potestatibus in caelestibus „ intellegi licet illis revelatum non esse, quae adversae sunt: in caelestibus enim, inquit. Et quod dixit per ecclesiam, idest per membra Dei omnia, per membra Christi, et per omnem animam mysteriis eius indutam (b), et in ipsum spem habentem. Ita quantum homini datum sit, intellegi licet. Siquidem non principes et potestates in caelestibus, ipsi sapientiam Dei hominibus declarant; sed per ecclesiam, idest per eos qui membra sunt Christi, sanctificatione in fide, potestates et principes in caelestibus sapientiam Dei cognoscunt editam esse per hominem. Discere et noscere (c) etiam principibus mundi et potestatibus sapientiam Dei, facilis erit agnitio, si ubi homo sit, et ubi habeat principium didicerint, cognoverint, per prophetam Ezechielem cum loquitur de cherubin; in quo visio est, quemadmodum locus ipse certam expositionem desiderat. Breviter ergo mysterii omnes partes, quas nos supra diximus, tetigit dicendo " multiformis sapientia Dei „: vel quod filium misit, vel quod

(a) Ita codd. Num pro *angelis*? (b) Malim *imbutam*. (c) Codd. *notescere*.

(1) Quis sic loquitur, ut heic Victorinus? Deo certe convenit creatoris appellatio. Ceteroquin cur creatio de filio Deo saepius quam de patre Deo praedicetur; seu potius cur pater per filium creare dicatur, subtiliter disputat Photius a me nuper editus amphiloch. 188. Coll. vat. T. I. p. 328. sqq.

tanta maiestas servi formam suscepit, vel quod tanta signa facta sunt, vel quod promissa tanta sunt, indulgentia peccatis, et promissio caelorum. Item aeterna vita et glorificatio et hereditas simul cum eodem Christo, et eiusdem post mortem resurrectio, et ipsa mors, et cetera huiusmodi, multiformis est sapientia Dei.

v. 11. " Secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Iesu do-„ mino nostro „. Ex hoc apparet quid sit in Deo absconditum esse mysterium, siquidem adiunxit " secundum praefinitionem saeculorum „. Certis etenim saeculis determinatis atque conclusis apparere mysterium per praesentiam Domini, in quo absconditum mysterium fuit. Per ipsum enim revelari debuerit in quo absconditum fuit. Hoc enim adiunxit " quam definitionem sae-„ culorum fecit in Christo Iesu domino nostro „. Quo tempore appareret, quo tem-

v. 12. pore revelaretur mysterium, quo salus et liberatio ostenderetur. In quo habemus libertatem et aditum in confidentia per fidem ipsius „. Licet in mysterio praesentiae domini nostri Iesu Christi et redemptio facta sit et salus data, summa tamen, et vere (si attendamus) haec summa sola est, certe maxima, quod libertas nobis data est. Etenim pressi captivitate non valebamus per legem resistere, sicut ipse dicit quod nostra infirmitas corpore resistere non valeret. Venit igitur ut vinceret carnem, et mortem per mortem: qua victa, fecit possibile nobis esse, quod impossibile credebamus. Data ergo libertas est, et datus ad confidentiam aditus per fidem ipsius, hoc est cum fidem in ipsum habemus. Monui, et saepe monui, eam esse ianuam liberationis nostrae, si in Christum credamus: mysterium enim eius liberavit nos, si eum sequamur. Tunc enim proderit nobis eius mors et eius resurrectio, si fidem in eum habeamus; quod omnia propter nos et fecit et passus est. Confidamus ergo, sicuti subiungit.

v. 13. " Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis; „ quae est gloria vestra „. Exhortationem quam debet omnibus, ut eos confirmatos redderet, in se revocavit. Propter hanc, inquit, causam scilicet quia mihi minimo omnium sanctorum data est haec gratia inter gentes evangelizare, et cetera; propter quod, id est propter istam causam, peto ne deficiatis in tribulationibus meis. Multum enim qui Paulum sequuntur fatigari possent in fide, cum audirent eumdem Paulum tribulationes sustinere. Si enim ille qui praedicat, qui evangelizat, qui a Deo electus est, multa tolerat, fatigatur periculis, laboribus multisque aliis tribulationibus; multum, inquam, deterrentur illi qui eum sequuntur, et fidem paene non integram incipiunt habere, quod quasi et ipsi periclitari possint et graviter laborare; si quidem ille qui evangelizat et praedicat, est tantae gratiae (a) in tribulationibus. Sit ergo peto, inquit, propter id quod

(a) Ita codd.

mihi revelatum est, ut non vos deficiatis in tribulationibus meis: quas tamen tribulationes non meo merito patior, neque mea causa; sed quoniam vos vel infirmi in fide estis, vel adhuc trepidatis, et nescio quomodo alia adiungitis. Idcirco ego tribulationes sustineo, volens vos ad disciplinam veram observationemque revocare, ut a Christo ne recedatis, nihil ad Christum adiungatis, solam spem de Christo habeatis. Haec non est gloria vestra; mea, inquit. Ergo tribulationes quoniam pro vobis sunt; gloria, inquit, vestra est, ut ad gloriam me laborante, operante, per tribulationes exercitato, ad gloriam vestram venire possitis.

" Huius rei gratia flecto genua ad patrem domini nostri Iesu Christi ,, v. 14.
Cuius rei gratia scilicet tribulationes pro vobis sustineo. Huius rei gratia
flecto genua; id est plene rogo, et rogo patrem domini, patrem domini (a)
nostri Iesu Christi. Omnis quidem operatio per Christum et omnis actio;
sed quoniam, ut saepe monuimus, ministeriorum spiritus Christi est; quippe
ipse ministerium Dei est, et omnia Deus per ipsum; idcirco ad patrem,
inquit, flecto genua. Ipse enim rogandus, uti misereatur, et subveniat, fidem
nostram dirigat, operetur in Christo nobis, ut ipsum Christum sequamur,
atque in eum fidem habentes ad promissa pervenire possimus. Precum
autem et rogationis plenus habitus, genua flectere. Non solum enim animo
flectere nos debemus in preces, sed etiam corpore nulla parte altiore simus,
vel imagine altitudinis, vel quod superbiam (b) habere videamur (1).
Denique alio loco: servavit sibi Deus tot milia hominum qui non flexere
genua ante Baal (2). " Ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nomina- v. 15.
tur ,,. Scilicet ex patre Deo, et patre domini nostri Iesu Christi: ipse
enim pater, ipse primus pater, et ab ipso quicumque pater est, pater est
nominatus. Et tamen hoc vocabulum vel potestas a primo Deo patre, velut
a fonte, defluxit. Nam et Christus pater omnium, quae creata sunt:
per Christum enim creata sunt omnia. Item et in mysteriis pater (3). Et Paulus
quodammodo pater: siquidem dixit filii mei estis: ego, inquit, in Christo
Iesu per evangelium vos genui. Denique paternitas in caelis Christus
est: in terra paternitas, vel apostoli, vel quicumque evangelizat, vel qui
tradit mysterium. His enim modis atque aliis multis filii dicuntur qui fidem
accipiunt, et illi patres qui tradunt. Paternitas igitur omnis a Deo patre
proficiscitur.
" Ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute confortari per v. 16.
17.

(a) Ita repetit more suo Victorinus. (b) Codd. *superbiae*.

(1) Notemus Victorini doctrinam de orantium corporali habitu.

(2) III. Reg. XIX. 18; ad Rom. XI. 4.

(3) Nempe qui initiat, pater dicitur initiati. Recole nostrum p. 37.

" spiritum suum, in interiore homine habitare Christum per fidem in cor-
" dibus vestris ". Quas preces habeat pro Ephesiis, expressit; ut det, vobis, inquit, divitias gloriae: easque divitias ostendit gloriam Dei, virtute confortari per spiritum suum, uti fortes adversum carnem et carnis desideria sint, et adversum potestates huius mundi iniquissimas; quod fit et quod provenit per spiritum Dei. Quemadmodum autem per spiritum Dei confortantur, idest fortes redduntur? in interiore homine, inquit, habitare Christum. Christus enim in homine interiore, idest in anima, cum habitare coeperit, fortes virtute per spiritum redduntur homines: expelluntur enim omnia quae adversa sunt. Quomodo autem habitet Christus in interiore homine, subiecit " per fidem, inquit, in cordibus vestris ". Ergo facilis et magnifica res est: facilis in eo quod fides sola implet tantum munus et tantum beneficium, ut in cordibus nostris Christus habitet. Quo habitante quid consequimur? ut fortiores simus per spiritum, et sic habeamus divitias gloriae Dei, et fortes redditi nihil periculi sustineamus, contemnamus mundum, vincamus omnes iniquissimas potestates. Hae sunt divitiae Dei. Speremus etiam gloriam et repromissionem " in veritate radicati et fundati ". Maximum praeceptum hoc, et ubique a Paulo positum, et a me in admonitione saepius constitutum: quia firmitas et firmamentum, et totus animae ad aeternitatem status, in veritate est, de qua saepe dixi: quae et in Deum et in Christum est charitas, et circa homines. Haec radicatam efficit fidem nostram et fundatam.

v. 18. " Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et
19. " longitudo et altitudo et profundum. Scire etiam supereminentem scien-
" tiae charitatem Iesu Christi ". Precum suarum, ut dixi, summam exposuit; quod roget Deum ut Ephesii consequantur. In quo non Ephesiis tantum hoc accipiendum est precari Paulum, quam omnibus qui in Christum credunt. Praeter igitur ista, quae supra diximus; precatur et rogat, ut Ephesiis tribuat Deus, illud quoque quod est maximum uti scientiam consequantur, altitudinem, profunditatem. Precatur etiam ut consequantur Ephesii charitatem Christi; quae charitas supra scientiam praevalet et supereminet, plusque ad salutem proficit, et ad aeternitatem (1) animis, si aliqui (a) charitatem in Christum suscipiat. Ita cum docuerit (b) tria perfectionem christianitatis implere, fidem, scientiam, charitatem; omnia breviter hic complexus est; atque in precibus se habere declaravit, ut Ephesiis haec Deus praestet. Nam de fide sic locutus est: ut habeatis, inquit, in interiore homine Christum habitantem per fidem in cordibus vestris. Item de scientia sic locutus est: ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis latitudinem,

(a) Ita codd. pro *aliquis*, antiquo more. (b) Codd. *docuerim*.

(1) Scilicet beatam.

longitudinem, altitudinem, profunditatem. Item de charitate sic adiungit: scire etiam supereminentem scientiae charitatem. Et tria posuit: et ordinem, et quid magis valeret ostendit. Tria sunt, fides, scientia, charitas. Ordo est, ut prior fides sit: qui enim credit, is ad scientiam venit. Sic enim dictum est: si credideritis, tunc intellegetis. Post scientiam praeponitur omnibus charitas Christi: sola enim charitas in Christum et (a) desiderium, et amor, et adfectus et cupiditas, elevat et liberat animas. Ergo supereminet charitas scientiam.

Quod autem quattuor posuit, quae scientia debeat comprehendere; naturaliter quidem tria sunt: uam mensura corporis habet tria, longum, latum, altum. Altum autem tam in superius quam in inferius est. Longum est quod producitur quasi contra nos. Latum quod iuxta uos per utraque latera tenditur. Altum, ut dixi, quod ad superiora pertinet et ad inferiora. Hic igitur composuit altitudinem et profunditatem. Ipsum quod nos altum diximus, in duo divisit; ut altum diceret quod in superioribus, et profundum quod in inferioribus. Ita altum dividens, duo collocavit, et facta sunt quattuor, quae tria sunt per naturam. Ergo haec veluti mensura corporeae intellegentiae homini interiori insinuanda et perspicienda est, ut circa Deum haec animadvertantur. Cum enim Deus per omnia et in omnibus sit, et sit omnia, et ex quo sunt omnia, et per quem sunt omnia, et super omnia, illic est scientiae labor animadvertere et scire quae sit longitudo, quae latitudo, quae profunditas. Quae omnia quemadmodum sint vel intellegi possint secundum partitionem istam, et intellegi in Deo, altior aliusque tractatus est. Denique precatur, ut Ephesii haec intellegant: et ne desperatio sit quod ista intellegi minime possint, adiunxit: ut comprehendere possitis, inquit, cum sanctis. Ergo sancti comprehendunt, et exponi haec possunt. Sed hoc (b) ut dixi alterius est operis, et magnae atque arduae expositionis, scire supereminentem scientiae charitatem Christi. Adtendendum vehementer et acute, quod in precibus hoc oret Paulus, ut Ephesii hoc quoque sciant, quod charitas Christi superemineat omni scientiae. Hoc orat, inquam, sciant. Qui enim scit, quod supereminеat omni scientiae charitas, plene implet charitatem in Christum. Non igitur orat ut faciant, quia consequitur; sed orat, ut sciant. " Ut impleamini omni plenitudine Dei ". Omnia haec, quae pro Ephesiis orat Paulus, confortari in spiritu, confortari in interiore homine, et habitare Christum per fidem, et charitate radicari, comprehendere cum sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem, profundum; scire etiam quod supereminеat scientiae Christi charitas; haec est plenitudo Dei, quod Graeci πλήρωμα dicunt, idest perfectionem, cui nihil desit: quam plenitudinem Christus mysterio suo operatur, implet, et implevit; ut faciat illud " Deus in omnia et per omnia. Haec enim est plenitudo.

(a) Codd. *in* pro *et*. (b) Codd. *nunc*.

v. 20. " Ei autem qui potest super omnia facere abundantius quam petimus
" aut intellegimus, secundum virtutem quae operatur in me; ipsi gloria in
" Christo Iesu, et in ecclesia, et in omnes generationes saeculi saeculorum ".
Ordo sensus istius: ei autem gloria in Christo Iesu, et gloria in ecclesia, et
in omnes generationes in saecula saeculorum. Cui autem gloria? ei, inquit, qui
potest super omnia facere abundantius quam petimus aut intellegimus. Nos
enim pro vobis haec oramus, ut ista faciatis, et ista intellegatis. Si quis autem
plus poterit et abundantius poterit et supra haec omnia poterit, supra scili-
licet quam petimus aut intellegimus, illi gloria. Is autem qui supra et ab-
undantius supra poterit, utique poterit secundum virtutem quae operatur in
nobis, secundum virtutem scilicet Dei et Christi domini nostri: secundum eam
enim operor. Et ille igitur secundum eam virtutem operatur, quae est in no-
bis. Igitur ei, qui supra omnia haec potest facere abundantius quam petimus
aut intellegimus, gloria sit in Christo Iesu et in omnia saecula, et in omni ec-
clesia. Potest tamen hoc totum ad Deum referri. Ipse enim potest super-
abundantius ista facere. Et ipsi gloria.

CAP. IV. " Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis voca-
v. 1. " tione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine et patien-
tia ". Hic locus exhortationis est et admonitionis, simul cum precibus humi-
liter et commendatione, ut et ipsi tolerent, cum et ipsum videant patien-
ter multa tolerare. Ego, inquit, vos obsecro vinctus in Domino, ut cum mul-
ta tolerem (nam et vincula et varia toleravit et passus est); cum ergo,
inquit, vinctus in Domino sim, idest propter Dominum, ego ipse qui mo-
neo in multis patiens, moneo ut digne ambuletis ea scilicet vocatione qua
estis vocati. Saepe enim diximus vocari homines Dei gratia. Hac vocati iam
vos vocatione, quia iam Deum cognoscitis et Christum dominum, hac vocatione
v. 2. digne ambulate. Subiungit quemadmodum: " cum omni humilitate et man-
suetudine et patientia ". Et (a) tolerantiam multam ponit, ne efferantur, ne superbi
sint. Primo posita humilitas, deinde mansuetudo. Humilitas, animi deiectio est.
Frenum superbiae et immanitatis (b), mansuetudo est. At vero quae sequitur pa-
tientia, in eo quod tolerant, siquid adversi evenerit. In prioribus, ne verean-
tur (c) pati, duo posita, humilitas et mansuetudo. In his quae sequuntur, si pas-
si fuerint, quales sint patientiâ, inquit. Deinde quod subiungit " cum omni
magnaniminitate ". Haec enim magnanimitas in hoc est, ut non solum patienter
feras (d), sed erecto animo semper sis. Denique hoc subiungit, ut si passus
fueris patienter, et magnanimiter feras " sufferentes omnia quaecumque accide-

(a) Codd. *ad*. (b) Codd. *illa humilitas animi deiectio est fera superbia et immanitate*. (c) Codd. *mereantur*. (d) Codd. *efferas*.

„ riut , portantes invicem in charitate „. Potest et ad " sufferentes invicem in charitate „ referri. Potest tamen integer esse sensus qui sequitur " solliciti servandae v. 3.
„ unitatis spiritus in vinculo pacis „. Ut spiritus unitatem servetis, aut unum spiritum servetis servandae pacis et in vinculo pacis, hortor vos ut solliciti sitis. Dat tamen rationes quare unitatis spiritus in vinculo solliciti esse debent:
" unum corpus inquit et unus spiritus „. Quia unum corpus est tota ecclesia et v. 4.
unus spiritus. " Ita ut et vocati estis in una spe vocationis vestrae „. Et hoc argumentum est ad unitatem spiritus servandam in vinculo pacis, quod ita et isti vocati in una spe: non enim diversam spem habent, sed unam omnes, qui vocati sunt, promissorum Dei. Quae autem promissa sunt, notum est omnibus.

" Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et pater v. 5.
„ omnium, qui supra omnia, et per omnes in omnibus nobis „. Late patet, et 6.
simplex tamen est iste tractatus; unus Dominus, id est Christus; una fides, utique in Christum, et in Deum; unum baptisma; non enim aliter ab aliis; neque si aliter ab aliis, baptisma; sed illud baptisma, quod in Deum patrem et in dominum nostrum Iesum Christum filium et spiritum sanctum datur. Aliter ergo datum baptisma non est. Ergo unum baptisma, unus Deus: quoniam etsi et filius Deus tamen, quia in filio Deus, et pater Deus, unus Deus. Item quia in Deo filius, unus ergo Deus. Qui Deus? pater, inquit, Deus; quia ipse est per omnia, et ipse est in omnibus, et supra omnes: ergo unus Deus, qui pater est omnium, qui supra omnes, et per omnes, et in omnibus nobis. Adtendamus autem ordinem diligenter connexum. Unus Dominus: ab ipso coepit, per quem incipit omnis christianitas, et ingressus ad liberationem. Cum enim Christum quis cognoverit, tunc sequitur ut in eum fides sit, et reliqua. Una in Christum fides; deinde consecratio eius. Unum baptisma; deinde coniunctio. Unus Deus, pater omnium, super omnia, per omnia, in omnibus. Quatuor posuit: est enim Deus, quia causa: pater omnium, quia ultra ipsum nihil: supra omnia, quia actio: per omnia, quia unitio et connexio in omnibus.

" Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram dona- v. 7.
„ tionis Christi „. Hoc adiecit: hinc enim potest impatientia nasci vel iniuria fieri. Et cum moneat humilitatem et patientiam et cetera, rationem dat ut unusquisque patiens esse debeat et magnanimus, quia secundum mensuram donationis Christi unicuique nostrum data est gratia. Cum igitur alia aliis data sit, neque invidendum est, neque negandum est; nec quod alius habet, dolendum; nec quod quisque habet, non dandum. Si donatio ergo Christi est secundum mensuram gratiae unicuique datae (a), omnes invicem nos chari-

(a) Codd. *gratia unicuique data.*

tate accipere debemus, et sufferre magnanimiter et patienter omnia cum
v. 8. mansuetudine cum humilitate. "Propter quod dicit ascendens in altitudinem, „ captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus „. Exemplum ad hoc datum est quia dixit secundum mensuram donationis Christi. Probat autem donationes esse Christi, dato exemplo de psalmo LXVII, in quo docet Christum Dominum nostrum Iesum in altitudinem ascendisse, et captivam duxisse captivitatem: idest illam, quae nos captivos fecit, captivitatem captivam fecisse, et illam oppressisse, et sic nobis dona dedisse. Ergo si data nobis dona sunt a Domino nostro, qui mysterio suo captivam captivitatem duxit, ascendit in altitudinem, liberatis nobis, et captiva facta captivitate, dedit dona hominibus: per quem gratiam eius consecuti, diversa ageremus, deifica omnia; sicut postea dicit, ut alii essent apostoli, alii evangelistae, alii prophetae, et reliqua. Haec ergo dona sunt. Cum autem a Christo haec gratia unicuique data sit secundum mensuram donationis eius, nemo alterius debet aut invidere gratiae aut suae; sed omnia paria (a) invicem dare et credere, et universa humiliter et cum mansuetudine et cum patientia et magnanimitate sufferre, conservandae *causa* unitatis in spiritu unitatis, in vinculo pacis; ut et concordiam habeamus, et pacem servemus, nulla discordia perturbante animos nostros.

EXPLICIT VICTORINI COMMENTARIUM

IN EPISTULAM PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS

LIB. I.

INCIPIT LIBER II.

(a) Cod. *patria*.

VICTORINI PHILOSOPHI

IN EPISTULAM PAULI AD EPHESIOS

LIBER SECUNDUS.

Oportet nunc interpretationem, qua nunc utimur, exequi atque complere in his verbis quae Paulus adiungit, et necessario adiungit, quia supra per exemplum docuit, quod ascendens in altitudinem, captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus. Propter hoc, inquam, exemplum tractat, quoniam qui ascendit utique descendit; quod quidem mysterium late patet, habetque alios in ista explicatione tractatus. Quid sit ascendere, et quemadmodum descenderit in inferiora terrae, et quemadmodum ascenderit super omnes caelos, (quod est vehementius) omni cura atque omni diligentia perspiciendum. Ascendit, inquit, ut impleret omnia. Quid est adventus, et quid est reditus? ut dixi, magnus iste tractatus est; magnusque etiam ille, quomodo implevit omnia, et magis rediens implevit omnia. Ac si complecti velim et enarrare, non sinit operis magnitudo ut in ista parte, qua commentationem simplicem facimus, pars ista ponatur. Arbitror de isto sensu istoque tractatu librum aliquem esse complendum, quem permissu Dei iam aggrediar (1), ut omnia necessaria ad istiusmodi intellegentiam liberi a necessitate interpretationis valeamus implere. Nunc igitur simpliciter admonendi modo ista breviterque dicemus.

" Quod autem ascendit, quid est nisi qui et descendit in inferiora terrae? Positum est in psalmo " ascendens altitudinem „ ex quo verbo capiamus intellegentiam quia is ascendit, qui descendit. Natura etenim rei sic se habet, ut ascendere in caelum non possit nisi qui inde descendit. Hoc circa caelestia: nam circa alia huiusmodi terrena potest aliquis ascendere, qui non descendit: sed in caelum atque in caelos nemo ascendit, nisi qui inde descendit. Sic enim Salvator in evangelio dixit: nisi quis renatus fuerit, non potest regnum Dei tenere. Deinde subiunxit; quoniam quod ex carne nascitur, caro est; quod autem ex spiritu nascitur, spiritus est „. Spiritus autem de supernis est; ergo spiritus ad superna redit. Nam et cum resurrectio fuerit, omnia spiritus erunt; et totus homo spiritus factus, in caelum ascendet, scilicet per spiritum. Ergo necessarium factum est ut qui ascendit CAP. IV. V. 9.

(1) Adnotemus promissum a Victorino opus, quod in editis non comparet.

in caelum, ipse sit qui descendit. Christus ergo, de quo dictum est, quia ascendit in caelum, intellegitur quod descenderit: et si descendit, utique in terrae inferiora descendit; non solum in terram, sed in inferiora terrae. Lectum est enim, quia in infernum descendit Salvator passione illa crucis, ut omnem animam liberaret, et ex omnibus locis redimeret membra sua.

v. 10. "Qui descendit, ipse est qui ascendit". Repetit ipsum sensum quia se invicem ligat, ut ille qui ascendit, descenderit: et rursus qui descendit, ascenderit. Sed ut superior sensus ostendit, quia cum descendit Dominus noster, in inferiora terrae descendit, rursus adiunxit, quia ipse est, qui ascendit sed ascendit super omnes caelos. Ita nihil vacuum Christo est: siquidem et descendit in inferiora terrae, et ascendit super caelos. Quos caelos? multi tres dicunt; alii plures; verum mihi sententia est, tres esse. Siquidem et ipse Paulus raptum se dicit super tertium caelum. Et sic etiam quidam docent supra terram esse aquas quasi primum caelum: deinde firmamentum ipsum, quod appellatur caelum: deinde rursus alias aquas, tertium caelum (1): de quo tractatu iam multa diximus in praeterito. Verum quid interest? Christus qui ascendit, super omnes caelos ascendit. Illic enim iam aeternitas est, et vita illa incorruptibilis, et omnia ex spiritu viventia. Haec autem alio modo se habebant usque in descensionem Christi: quae omnia, mysterio gesto, post passionem Christi in ascensionem salutem acceperunt, et perfecta sunt. Hoc est enim quod subiungit "ut impleret omnia", idest perfecta redderet et plena, ut nihil minus esset. Ergo passio illa Christi et resurrectio et ascensio, perfectio est omnium tam in mundo quae salvari possent, quam in aeternis, et super omnes caelos. Quod mysterium plenissime unius libri explicatione tractavimus. Aut numquid (a) hoc intellegimus, ut impleret omnia quae ei mandata sunt ut nihil ibi correxerit, nihil ibi perfectum reddiderit? sed ascendit supra caelos, ut omne mysterium impleret; et descendit, sed ut impleret maiestate scilicet et perfectione et Dei lumine et charitate. Descensus enim eius et ascensus illuminavit universa. Magis autem illuminavit, cum ascendit perfectus et sanctificatus a patre. Omnia sancta facit per reditum suum, et unde redit, et quousque redit.

v. 11. "Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas". Hinc incipit dona varia enumerare, de quibus supra dixit, quod

(a) Codd. *animum quid.*

(1) Notabilis haec Victorini doctrina. Quod autem ait se alibi de hac re scripsisse, intellige commentarium ab eo, ut puto, confectum in epistulam II. ad Corinthios, in qua Paulus dicitur raptus fuisse in tertium caelum.

dedit Deus dona hominibus, ut omnes habeant dona Dei, quod supra tractabat; et nullus alteri invideat. Sunt autem dona haec, apostoli, prophetae, evangelistae, pastores, magistri, ministri; quos omnes enumerat. In primo tamen apostolos posuit, deinde prophetas. Mirum autem videtur quod cum dictum sit usque ad Christum prophetas esse, ipse Christus scilicet fecerit et prophetas. Post apostolos posuit prophetas et evangelistas. Quid igitur intellegimus? prophetas non solos illos dici, qui spiritu Dei accepto, de Christo dixerunt et de eius adventu, de quibus recte dictum " usque ad Christum prophetae,,: quia cum venit ille, de quo prophetae erant, sine dubio iam quare prophetae sint, causa nulla est. Quos igitur prophetas intellegimus? quos Christi dono prophetas esse dicit; illos scilicet, qui de Deo tractant, et spiritu pleni divinam exponunt disciplinam. Hoc etiam in superioribus diximus. " Alios vero evangelistas, alios autem pastores et magistros, ad ,, consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis ,, Christi ,,. Loquendi de lege gratiae genera quinque sunt; loqui linguis, loqui revelatione, loqui scientia, loqui prophetia, loqui doctrina. Haec plene ad Corinthios in prima. Verum praeter haec, aliud est evangelistam esse, idest quae Christus fecerit narrare, et de Christo adnunciare ipsum colendum esse; hoc est enim evangelistam esse. Ergo fecit Christus dono suo evangelistas: fecit etiam et pastores et magistros, qui regunt ecclesiae populum. Qui administrant, pastores dixit: magistros vero, qui docent. Non enim pastores hic a pascendo, neque ad cibos referendum, sed ad gubernandum, ut pastores appellant episcopos; et ipse Christus pastor, quod oves aestimatae sunt animae. Magistros vero, ut diximus (quamquam etiam ipsi pastores, magistri pecoris dicantur, quasi praepositi) tamen doctores intellegamus magistros dictos.

Haec tamen omnia dixit, ideo dono Dei constituta ut consummatio sit V. 12.
sanctorum, idest perfectio. Sanctos saepe quid significet, docui, idest qui fidem acceperint et sanctificati spiritu sint. Hii ergo ut consummentur id est perficiantur, dono Christi instituta sunt huiusmodi et mysteria et ministeria, quibus perfectio et consummatio omnium sanctorum. Nam quia apostoli possunt agere et docere et evangelizare, verumtamen possunt et alii haec facere, et apostoli tamen non sunt; ergo separatum est quod apostoli alii sunt, alii prophetae, alii evangelistae, alii duces, atque doctores. Verum his omnibus perfectio fit consummatioque sanctorum, per ea quae ipsi agunt, et per ea quae alii agunt. Nam mysterium, id est quod nos facimus; aedificatio autem corporis Christi, id est quod circa alios facimus. Ergo illa omnia duabus de causis et duobus effectibus (a) instituta sunt per donum Christi,

(a) Codd. *et duo effectus*.

ut praesint mysteriis, ut ipsi agant, ut ministri sint, quod supra; et aedificent
corpus Christi, idest ecclesiam, et omnes animas ad fidem confirment: hoc
v. 13. est enim corpus Christi. " Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agni-
" tionem Christi, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ".
Pleno mysterio, quod factum sit, et propter quid factum sit, et quid futu-
rum sit (a), exposuit. Quid factum sit, quod descendit et ascendit Christus, et
quod ipse dedit apostolos et prophetas et ceteros. Deinde adiunxit propter
quam causam " ad consummationem, inquit, sanctorum ". Quid illa consummatio
est? quod subiecit, ut perfectis sanctis omnibus in unitatem fidei, et una fides
apud omnes sit, et in agnitionem Christi, ut omnes agnoscamus Christum:
ibi enim omnis est salus. Deinde quod futurum sit, ut occurramus et con-
curramus in virum perfectum: perfecta enim anima per fidem et per Chri-
stum cognitum, vir perfectus efficitur (b). Sic et propheta David de eadem
anima perfecta in primo psalmo posuit: beatus vir qui non abiit in consilio
impiorum. Et beatum inquid (c), et virum nominavit: Et haec est mensura
aetatis et plenitudinis Christi; collectis omnibus membris, et viro pleno red-
dito, in singulis omnis plenitudo redditur Christi.
v. 14. " Ut ultra non simus parvuli fluctuantes ". Cum enim non sumus per-
fecti, parvuli sumus: et cum parvuli eramus, fluctuabamus: cum autem fide
confirmamur, non fluctuamus. Cum cognoscimus Christum, viri efficimur. " Et
" iam non parvuli circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia homi-
" num, in astutia, ad remedium (1) erroris ". Cum enim perfecti non sumus, et
in fide labimur et vacillamus et multa nos perturbant; cum per doctrinas
plurimas discurrentes, vento intellegendi vario agitamur. Quae doctrina, nequi-
tia est hominum et calliditas et astutia, et quasi quaedam remedia erroris: ut
quod sentis, quasi quorumdam sapientium sensu et intellegentia sentire credas;
et sit erroris tui remedium intellectus alienus. Quae omnia dimittenda sunt, ut
his duabus rebus refecti simus, et virum compleamus, fide scilicet et agni-
tione Christi. Denique haec veluti duo scilicet fides Christi, idest in Chri-
stum, et agnitio Christi, beatum faciunt: qui vir beatus non fluctuat, non
circumfertur doctrina, in nequitia hominum. Haec ita tetigit beatus propheta
David in eodem primo psalmo: nam beatus, inquit, vir: quem nos dicimus
fieri fide et Christi cognitione; qui nescit doctrinas, nescit nequitiam et er-
rores: quos errores doctrinasque sic enumerat David dicendo: qui non abiit
in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pe-
stilentiae non sedit. In cathedra pestilentiae sedere, est docere haereticas di-

(a) Codd. *est*. (b) Codd. *efficiatur*. (c) Ita codd. *inquid*, prisco scripturae more.

(1) Notabilis Victorini lectio; quum in graeco ait ἐν τῇ κυβείᾳ vel κυκείᾳ; in vulgato autem latino *ad circumventionem*; quod vocabulum iam sic explicandum videtur ex Victorini magisterio, ut *circumventio erroris*, sit *remedium adversus errorem*.

sciplinas: abire in consilium impiorum, est in nequitia hominum versari: stare
in via peccatorum, est in astutia versari ad remedium erroris.
" Veritatem autem facientes in charitate, augeamus in ipsum omnia, v. 15.
" qui est caput Christus ". Exhortatio est, quia vult Ephesios in charitate esse, et omnia secundum veritatem agere, et magis cumulare quae agunt. Hoc est augeamus omnia, sed augeamus omnia in ipsum Christum, ut nihil extra agatur, nisi de confirmanda fide in Christum: qui Christus est, inquit, caput. Cum enim ex capite omnia membra regantur; et omnis ecclesia a Christo regitur; id est omnis anima sancta et fidelis. Ergo caput est Christus,
" ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subminis- v. 16.
" trationis, in mensura uniuscuiusque partis, incrementum corporis in aedificatio-
" nem sui in charitate ". Diximus quod caput est, ex quo connexum est omne corpus et compactum. Ergo si Christus caput est et principium et fons et unde omnia reguntur membra, quae sunt in corpore per omnem iuncturam; acute hic accipiendum, ut quomodo membra singula iunctura cohaerentia diversis in administrationibus totius corporis mensuram faciunt; sic et in ecclesia, singula quaeque membra ministeriorum circa sanctificationem mysterii, et circa fidem Christi, iuncturas praestant, et corpus suum in charitate constringunt atque aedificant: ita et membra nostra, veluti naturaliter nexa, atque amore genuino sibi cohaerentia, incrementum corpori praestant suis partibus: sic et omnia ministeria, quae sunt in ecclesia, corpus est (a) Christi, si se invicem in charitate diligant servientia capiti, idest Christo.
" Hoc ergo dico et testificor in Domino, ut non amplius ambuletis, v. 17.
" sicut et gentes ambulant ". Sicuti semper docui, exhortatio duplex est: et quid non faciendum, supra dixit; quid faciendum, nunc subiungit. Quid non faciendum; ne, inquit, ambuletis ut gentes. Hoc, inquit, dico et hoc testor, et testor in Domino, idest adhibeo testimonium Domini, quod moneo. Hic et terror est: exhortationi enim mixtus terror, persuasionem facilem facit. Cum autem dixit, ut non amplius ambuletis, ostendit illos diu ambulasse, et ita ut gentes vixisse. Quo autem modo ut gentes, ipse supponit:
" in vanitate mentis suae; obscurati intellectu, alienati a vita Dei, propter igno-
" rantiam quae est in ipsis, per caecitatem cordis eorum ". Expressit quae sit vi- v. 18.
ta gentium; ut vani sint, inquit, et mente non sapiant, et intellectum suum obscurent (b): *quod est* intellectu suo de Deo nihil cogitare, sensu duci et rebus in mundo. Namque si mundus tenebrae sunt, et de mundo quidquid intellegitur. Denique subiunctum " alienati a vita Dei " quae vita est Christianis cum Deum et colunt et intellegunt. Hoc dicit " a vita Dei " quae Deo debetur a nobis. Et subiungit propter intellegentiam: hinc enim alieni a vita Dei sumus, cum Deum igno-

(a) Ita codd. pro *sunt*. (b) Cod. *obscurum*.

ramus: cum autem cognoscimus, vitam Dei agimus, et vitam a Deo meremur illam, quae vere Dei vita est, quam nobis Christus pollicitus est. Haec autem, inquit, in ipsis per caecitatem cordis eorum: cum eorum cor caecatum est tenebris, cogitat et versatur in tenebris, et istam mundanam sapientiam quae tenebrarum sapientia est, aestimat esse sapientiam.

v. 19. Denique huiusmodi intellectum quae res consequatur, ostendit: " qui despe-
" rantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem omnis immunditiae
" et avaritiae ". De gentibus loquitur, quibus caecatum cor est, et nihil sperant,
idest mortales se et fatentur et probant; neque de aeternitate sua aliquid credunt:
ac propterea vitam mundi, quasi ea frui volentes, et rapiunt, et libidinose vi-
vunt, et cum impudicitia exercentes, ut credunt, voluptatem (a) habendi cupidi,
v. 20. et in usu vivendi ducti omnibus turpissimis voluptatibus. " Vos autem non ita
21. " didicistis Christum; si tamen audistis illum et in illo credidistis ". Con-
tra Ephesios docet non ita vivere ut gentes: quippe qui didicerint Christum:
quia Christus ut immortales nos faceret, egit mysterium, praesto in carne fuit,
docuit ut cognosceremus patrem, et in ipsum fidem haberemus, et est aeternitas nobis viventibus secundum eius mandata. Vos igitur non ita didicistis, ut gentes: quippe quia vos Christum audistis (si tamen audistis illum) idest intellexistis et credidistis. Hoc est enim quod adiunxit, qui in illum credidistis: quia, ut diximus et dicimus semper, credere in Christum, immortalitatem consequi est, et vitam aeternam mereri: ipse enim est vita, ipse lux, ipse aeternitas, ipse qui mortem vincit et vicit, et nobis vicit, per mysterium quod implevit.

v. 22. " Sicuti est veritas in Iesu; deponite vos secundum priorem conversa-
" tionem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris ". Ante Christi adventum error omnis et vana sapientia fuit, mundana haec, aeterna aestimare; secundum carnem vivere; hunc mundi regem, Deum credere. Hic vetus homo est. Hunc, inquit, deponite, sicut est veritas in Iesu; quoniam in aliis veritas non est. In Iesu autem veritas: quae Iesus docuit, ea vera sunt: et hic novus homo, secundum quem vivere debemus. Vetus ergo ille (b), et prior conversatio deponatur: etenim ille corrumpitur secundum desideria erroris. Totus enim ad corpus conversus corporea aestimabat omnia et carnalia. Hinc errores et quasi sapientia mundana, cum omnia quae in mundo sunt, non secundum spiritum fiant: ante Christi tamen ad-
ventum; nunc autem postea quam nos docuit illa aeterna, sapimus quae spi-
v. 23. ritalia sunt. Hic est, ut dixi, homo novus, qui sic vivit et sic sapit. " Re-
24. " novamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui se-
" cundum spiritum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis ". Ut dixi, novus homo est, qui secundum spiritum sapit. Hoc ait: " renovamini spiritu mentis ve-

(a) Codd. *voluptate*. (b) *Homo* scilicet.

strae „. Ita anima melior, pura, integra; mens vero fortior spiritus est (1). Re-
novamini ergo, inquid, spiritu mentis vestrae; et induite novum hominem, ut
iam secundum ipsum vivatis; qui spiritalis est, cum ex spiritu sapit; qui ipse
ille homo spiritalis secundum Deum creatus est, idest iuxta Deum: quomodo
dictum est, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Non au-
tem vultum Deus habet aut faciem (2): sed quemadmodum Deus spiritus est, ita
et nos secundum Deum creati sumus, ut secundum spiritum sapiamus; id-
est nihil carnaliter, nihil in mundo. Denique quid est secundum Domini creatum
esse hominem, ipse dixit " in sanctitate et iustitia et veritate „: id est ut sit
iustus, ut sit sanctus, sit et verus: etenim qui mundanum (a) sapit, secundum
carnem sapit: qui secundum carnem sapit, verum non sapit, neque iustum,
neque sanctum. Ergo quoniam spiritus sanctificat, spiritus vivificat et iustifi-
cat, spiritus qui vere est, et semper est, et magis solus est, ipse est ve-
ritas. Haec igitur omnia sic intellegentes, novum hominem induunt, renovati in
spiritu mentis suae.
" Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque v. 25.
„ cum proximo suo, quoniam sumus alter alterius membra „. Concludit exhorta-
tionem ad omnia superiora, quibus et divisas gratias docebat, *et* omnem homi-
nem tolerare debere alterum socium, et patientem esse cum omni magnani-
mitate, et sufferentes invicem in charitate. Ergo hic mendacium, inquit,
deponite: nemo alterum fallat: loquimini veritatem; et unusquisque cum pro-
ximo suo quod verum est agat, faciat, loquatur: nihil per fraudem, nihil
per fallaciam. Et qui dixit cum proximo suo, adiunxit quoniam sumus alter
alterius membra. Sic et supra unum corpus, et unus spiritus, et item reli-
qua. Ecclesia enim cum unum corpus sit, et omnes in ecclesia unum corpus
faciant, singuli partes sunt ecclesiae. Ergo alterius membrum est, et sic unum
corpus efficitur (b), ut ipse dicit, ecclesiae: cuius ecclesiae, idest omnium anima-
rum fidem habentium in Deum, huius inquam caput est Christus. Ergo nos cor-
pus sumus; et corporis singuli membra; ergo alter alterius membra sumus.
" Irascimini autem, et nolite peccare „. Subiungit monita quae multa sunt; v. 26.
sumens tamen ad exemplum (c), quod positum est in psalmo quarto, sumens initium
praeceptorum. Verum haec dividit, ut primum moneat ecclesiae hominem idest
christianum, quae agenda et quae non agenda: deinde moneat, quae viris a-
genda et uxoribus invicem; deinde quae patribus et filiis invicem; deinde
quae servis et dominis: postque exhortatio est, quae facienda generaliter om-
nibus. Verum ut se ordo contexerit, ita et nos locis singulis, et monita enume-

(a) Malim *mundum*. (b) Codd. *efficiatur*. (b) Codd. *ab exemplo*.

(1) Iam retro distinxit Victorinus animam a spiritu, secundum suam quandam subtilitatem.

(2) Hunc locum suum commemoravit Victorinus in comm. ad Philip. p. 60.

rabimus, et rationes singulis proprias intellectusque reddemus. Ac primo ecclesiastico viro christiano dat monita haec, ne irascatur; aut si iratus fuerit, ne peccet per iram. Deinde ne diu iram teneat, sed intra diem iram suam finiat. Deinde neque furto vivat et furtis operam det, sed magis manibus operetur ad victum, et inde etiam aliis in necessitate succurrat. Deinde ne malos sermones aliquos proferat, sed magis bonos; et aedificet alterum, et non alterum contristet: ut nulla in animo amaritudo sit: ut nulla ira, nulla indignatio, nullus clamor, nulla blasphemia: ut se invicem benigne ament; sint misericordes; peccata sibi invicem donent, sicuti Deus in Christo donavit nobis peccata; ut diligant se; ut pudici sint; ut ab omnibus mundi, et ab avaritia, et a turpitudine, a turpiloquio, a scurrilitate alieni sint; magis gratias agant: etenim tales mores, idest in vitiis et peccatis positi, regnum Christi non habebunt, neque hereditatem in regno Christi. Deinde monet ne ab aliis per sermones seducantur, idest vel ab haereticis, vel ab inreligiosis, vel ab his quos filios appellat temptationis et diffidentiae; quos terret, quod in illos ventura sit ira Dei. Deinde ne communicemus operibus malis infructuosis: magisque illos obiurgent, qui peccant et malis moribus vivunt, et manifestent eorum peccata; et vivant ut sapientes non ut imprudentes, vino abstineant, multo magis loquantur in spiritu, in psalmis, in hymnis canticis, et magis in corde ista fiant: Domino gratias agant, et agant pro omnibus in nomine Dei et domini nostri Iesu Christi: subiecti sibi sint invicem in timore Christi. Haec sunt omnia praecepta ecclesiastico viro data. Post subiungit quae sint observanda mulieribus, idest viris et uxoribus.

Nunc ad singula revertamur. Irascimini autem, et nolite peccare. Si Deus irascitur, sicuti dictum (1); revelatur enim ira Dei, ira de caelo, in omnem impietatem. Et item in multis locis. Recte ergo et homini datur ira (2), idest ut irascatur: sed peccat in ira, qui non ut corrigat, irascitur; sed ut puniat. Ergo "irascimini, et nolite peccare; sol non occidat super iracundiam vestram". Et modum irae, et tempus ostendit, intra diem conceptam iram debere deponi. Hoc imitantur multi praeceptum, et ponunt inter praecepta sua. Etenim si omnis dies habet curam suam et malitiam, sufficit sibi; de praeterito die nihil addi debet ad alterum (a) diem.
v. 27. Ergo "non occidat supra iracundiam vestram sol; neque locum detis diabolo": si enim manserit ira, invenit ille occasionem ut nos in peccata ducat, et faciamus aliquid non faciendum; quod est diaboli voluntate peccare. Ita os-

(a) Codd. *aeternum*.

(1) Ad Rom. I. 18.

(2) Legesis opusculum Lactantii de ira Dei.

tenditur ex hoc praecepto in nostra potestate esse, et irasci, et non irasci; et diabolo iracundiam immittere, sed occasionem habere ut cum nos irascimur aliquid nos faciat (1). Hoc in omnibus affectibus animae cogitandum, et in omni actu diaboli, nihil illum posse circa nos, nisi cum ipsi per nos ei occasionem damus. Ita et domini sumus nostrae voluntatis, et merita de bonis bona habemus, et poenas de malis actibus, quia nostro vitio fit diabolo occasio (2).

" Qui furabatur iam non furetur ,,. Non omnino peccare, peccatum V. 28.
est (3), sed in peccato perseverare: datur enim paenitentiae locus, datur correctioni. Ergo qui furabatur, iam non furetur. Non autem hoc ad hoc solum peccatum accipere debemus, sed ad omnia; ut qui in quocumque peccabat, iam non peccet. Omne enim peccatum cum committitur occulte, furtum est: sed cum sciat Deus omne quod geritur, non est peccandum, ut furari nos credamus peccata nostra; quippe cum omnia manifesta sint. " Magis autem laboret operando manibus suis ,,. Ex hoc intellegi licet, vere de simplici supra dixisse, ut nemo iam furetur, quando adiunxit " magis autem laboret operando manibus suis ,,. Qui enim laborat operando manibus, habet unde vivat: non ergo furetur. Animadvertamus praeterea quia simplex dictum est, cum manibus operantis laboramus; reliqua ex arte, ex ingenio, vel oratione, vel quolibet alio modo. Ubi non opera est manuum, magis furta sint, quam victus labore quaesitus; quod bonum est, ut habeat communicare necessitatem habenti; ut ex operibus per manus suas consequatur quod ipse habeat, et communicet ei qui habeat necessitatem; atque de suis operibus quod commodi consecutus fuerit, largiatur.

" Omnis sermo malus de ore vestro non procedat ,,. Et hoc praeceptum de eo V. 29.
est, quod non faciendum est. Monui autem, duo esse genera praeceptorum quid faciendum: nemo, inquit, proferat verbum ex malitia. Hinc enim magnum peccatum; sicuti dictum (4), non quod in os intrat, sed quod de ore exit, plurimum nocet. " Sed siquis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus,,. Ut
ille sermo exeat, qui est bonus. Qui est autem bonus sermo? ad aedificatio- V. 30.
nem fidei. Tunc enim audienti gratiam dabit, cum id quod loquitur, aedificat fidem. " Et nolite contristare spiritum sanctum Dei ,,: vel vestrum, qui est in vobis, vel qui est in altero; qui contristabitur malo sermone vestro. " Nolite, inquit, contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis ,,: in quo spiritu vos utique consignati estis signatione per spiritum sanctum: et ipsum nolite contristare, vel in vobis, cum malum sermonem dicitis, vel in audientibus. " In die redemptionis ,,. Ordo: consignati estis in die re-

(1) Ita legitur in codd.

(2) Insignis Victorini doctrina de humana libertate in diaboli tentationibus.

(3) Idest peccatum sine venia, peccatum quod reum perpetuum constituit hominem.

(4) Matth. XV. 11.

demptionis : per ipsum enim redemptio vestra facta est ; quae redemptio certum diem habet , scilicet Dei iudicii. Signati enim sumus in spiritu sancto , in die quo redimimur ac liberamur.

v. 31. " Omnis enim amaritudo et indignatio et clamor et blaspemia auferatur a „ vobis cum omni malitia „. Conclusit breviter quinque ; amaritudinem , iram , indignationem , clamorem , blasphemiam. Quamquam et subiunxerit genus " cum omni malitia „. Etenim amaritudo est et in invidendo , et in male loquendo , et in ceteris actionibus. Et item ira , animi motus est cum ulciscendi libidine atque puniendi. Indignatio est motus animi fervens et elatus ultra meritum. Clamor autem vox aliquo furore prolata. Blasphemia iam Deum laedens est in Deum emissa vel vox vel scelerata cogitatio. Haec , inquit , omnia auferantur a vobis : pro eo quod est , a vobis auferte : sed ita est et ipse sensus , auferatur a vobis : quod vere dixit " cum omni malitia „: quia fieri potest , quod quaedam sine malitia fiant , ut ignorantes in blasphemia simus , ignorantes clamemus , indignemur sine malitia. Haec omnia auferantur " cum omni mali-

v. 32. tia „. Sic enim , ut supra locuti sumus , irascimini , sed nolite peccare. " Estote „ autem invicem benigni „. Illa superiora , ut dixi , non facienda ; haec quae facienda : ut invicem benigni sitis ; non unus in alterum , sed singuli in singulos , ita omnes in omnes. " Et misericordes , donantes vobis invicem „. Et in superioribus invicem posuit , estote invicem benigni. Dixit etiam donantes vobis invicem ; unde et misericordes invicem audire debemus ; donantes autem scilicet peccata. Denique de peccatis hoc dictum esse ex eo declarat , quod subiunctum est " sicut et Deus in Christo donavit vobis „; utique peccata : in Christo autem , ut frequenter diximus , quia pro nobis Christus mortuus est : ergo in Christo donata sunt peccata nobis. Mysterium enim illud , ut frequenter diximus , pro peccatis nostris est : quia nos peccata vincere non poteramus , venit Dominus noster , qui peccatum vinceret , et sic peccata nostra nobis donaret , cum in ipsum credentes a peccatis liberamur.

CAP. V.
v. 1. " Estote ergo imitatores Dei , sicut filii Dei charissimi „. In hoc utique imitatores Dei , cum et vos peccata vestra invicem vobis donatis , ut Deus donavit in Christo nobis nostra peccata. Vivite ergo imitatores Dei , et sic vivite , ut filii Dei et filii charissimi. Etenim siquidem pro vobis filio suo non pepercit , et pro peccatis vestris cum peccato dedit , ut pecca-

v. 2. tum vinceret ; sicuti mysterium intellegitur. " Et ambulate in dilectione „. Magnum praeceptum et utique retinendum , omnia enim concludit ; et sufficit charitas , in qua lex tota est ; et totum mysterium christianitatis , dilectio et charitas. " Sicut et Christus dilexit vos „. Hoc est quod supra dictum " imitatores Dei „ ut et vos invicem diligatis vos , sicut et Christus dile-

xit vos. Quid est autem " dilexit et tradidit semetipsum pro vobis „? Eadem substantia, unum (a) et voluntate. Et item ego et pater unum sumus. Hic tradidit semetipsum pro vobis; idest pro alio, filio suo non pepercit; ut hoc modo etiam nos invicem pro vobis nostra demus; et usque ad hoc, idest iuxta passionem pro altero, invicem diligamus. " Et semetipsum tra- „ didit pro vobis oblationem et hostiam Deo in odore flagrantiae „. Obtulit se Deo, ut spiritus et hostia per hoc mysterium fierent omnia. Hic est enim odor bonae flagrantiae; cuius substantiam spiritus, odorem bonae flagrantiae esse dixit: de qua re est liber certus hoc exponens quid spiritus sit, et quam intellegentiam habeat, ut substautia eius possit intelligi (1).

" Impudicitia autem et omnis immunditia et avaritia nec nominetur inter vos v. 3.
sicut decet sanctos „. Haec quoque praecepta sunt de his quae non sunt facienda,
ut absit impudicitia, immunditia, avaritia; quae tria in tantum excludenda ab
animis sunt, ut nec vocabulum aut mentionem inter se habeant, maxime qui sanc-
ti sunt. Etenim ista et nominare peccatum est; quanto magis vel habere vel ad-
mittere? Hoc enim sanctorum exigit nomen et mens et conscientia, ut et lingua
pura sit. Nam si moribus qui (b) purus nominat vitia, habet tamen peccatum, cum
in eo quod loquitur, ostendit ipsa vitia se nosse. " Aut turpitudo, aut stultiloquium, v. 4.
„ aut scurrilitas „. Subiungit etiam alia tria, quae a superioribus distant. Namque
impudicitia longe aliud quam immunditia. Ubi pudor nullus, est impudicitia; non
continuo turpitudo: turpitudo enim est facinus atque peccatum; impudicitia vero,
cum pudor deest. Item immunditia, quae potest esse et in voce, et in vita, et in
moribus. Iamvero avaritia cupiditas est habendi. Longe igitur *distant* haec tria,
quae sequuntur, turpitudo, stultiloquium, etiam vane loqui. Licet cum non ob-
sit, loqueris; tamen si stultum sit, nec sapiat nec prosit, sanctis alienum est.
Itaque scurrilitas iocosa oratio, et alterum laedens ioci causa, ac propterea con-
tumeliosa. " Quae ad rem non pertinet „. Potest enim et scurrilitas increpationis
poni modo ex stultiloquio. Sed si ad rem pertineant, admittenda sunt ista. Illa
peccata sunt si fiant, cum ad rem non pertineant. Nam si vel moneant vel
corrigant, ad rem cum pertinent, complenda sunt. " Sed magis gratiarum
actio „. Dictis quae esse debeant, subiungit, quid magis esse debeat, idest istud
" gratias agamus „: non dubium quin Deo; quamquam et hominibus; et ideo
pure positum.

" Hoc enim scitote quod omnis impudicus aut immundus aut avarus quod v. 5.
„ est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei „.
Cum tria supradicta posuisset, tria subiunxisset, praeceptum hoc ita constrin-

(a) Codd. *utrum*. (b) Ita codd. cum tmesi pro *siqui*, vel *siquis*.

(1) Notemus opus a Victorino heic nominatum, vel suum vel alienum, de substantia spiritus.

git, ut doceat tria superiora gravissima esse. Quippe et cum ita sit locutus, ut illa tria nec nominentur inter sanctos. Ergo gravia. Quam (a) gravia? scitote, inquit, quod haec, nempe impudicitia, immunditia, avaritia, non habent hereditatem in regno Christi et Dei. Avaritiam autem idololatriam dixit, sive quia qui avarus est, servit idolis; credens sibi ab ipsis praestari quae in mundo sunt, in quo (b) avarus est. Etenim Deus, cum ea praestet quae in futuro sunt; qui avarus est, utique de praesenti vita avarus est; et propterea servit idolis. An ideo dictum, quod avaritia idolorum est servitus? quia cum unus sit Deus, avaritiae est multos colere, et alios adorare, et aliis servire velle. Hic igitur non habet hereditatem in regno Christi et Dei. Christus enim regnum habet in caelis: et qui sequitur Christum, habebit hereditatem in regno Christi. Regnum Christi, Dei regnum est. Nec in Dei ergo regno habet hereditatem, qui idolis servit.
v. 6. " Nemo vos seducat vanis sermonibus. Propter haec enim venit ira
" Dei in filios diffidentiae ". Et hoc quoque inter praecepta est, de quibus dixi vobis, quae non sint facienda. Multi enim sermonibus suis et mundi utilitatem suadent, et idolorum culturam, idest habendi cupiditatem. Verum hii vani sermones sunt. Quod autem dixit " propter haec " enim venit ira Dei " propter illud scilicet quod huiusmodi homines in regno Christi et Dei hereditatem non habent. Propter haec, inquit, habent etiam poenam, ut et bonis aeternae vitae careant, et in ipsos ira veniat. Quos illos (c) filios dixit diffidentiae? Multi enim vanum putantes esse (d), quod promittuntur regna in caelo; ut dicant, quis hominum ascendit in caelum? Diffidunt ergo et non credunt. Ergo in filios diffidentiae venit ira Dei. Diffidentia autem est ille diabolus, cui serviunt illi qui diffidunt, et idcirco filii
v. 7. eius sunt. " Nolite ergo effici participes eorum ". Cum generaliter supra tractaret,
redit ad praeceptum, et ad Ephesios, ut omni genere ab huiusmodi hominibus a-
v. 8. lieni sint, neque participent cum his. " Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem
" lux in Domino ". Ergo ut omni genere se separent a filiis diffidentiae, dicit quid fuerint antea cum gentiliter viverent. " Tenebrae, inquit, eratis ". Qui autem sequitur Christum, lux est: lucem enim accipit quicumque in Christo baptizatus fuerit. " Sicut filii lucis ambulate ". Ergo quoniam lux estis in Domino (non enim lux estis, sed in Domino lux estis); filii ergo et vos lucis cum estis, ita vivite, sicut vivere debent qui filii sunt lucis. Quid autem est vivere quasi filium lucis,
v. 9. ipse supponit: " nam fructus lucis in omni bonitate et iustitia et veritate
est ". Hoc est enim, et lucem esse, et filium lucis esse, bonitate praestare, praestare iustitia, praestare etiam veritate. Haec tria ipsa sunt lux: nam contra sunt tenebrae malitia, iniustitia, falsitas: quae omnia diabolo conve-

(a) Codd. *quod* pro *quam*. (b) Codd. *quae immundos in quae avarus etc*. (c) Ita codd. (d) Codd. *se*.

niunt: at vero haec lucis sunt, quia lux est Christus. Ergo et bonitas et
iustitia et veritas. His ergo moribus vivite.
" Probate autem quid sit quod placeat Deo; et nolite communicare ope- v. 10.
" ribus infructuosis tenebrarum ". Dixi quod per eadem praecepta se conver- 11.
tit, quae sequenda, et quae non sequenda; ut in bonitate vivatur et in iu-
stitia et in veritate. Item et hoc; ea, inquit, probate quae Deo placeant.
Deinde subiunxit, quae non sequenda: nolite, inquit, communicare operibus
infructuosis tenebrarum; *quae* sunt avaritia, impudicitia, et cetera huiusmo-
di, et idololatria: quae opera fructus non revocant: nihil enim consequitur,
qui haec adpetit; et idcirco fructus non habent; et ideo tenebrae sunt; quia
nihil lucis, nihil fructus, ostendunt. " Magis autem et obiurgate ". Ut non
solum nos a malis moribus separemus, nec communicemus operibus tene-
brarum infructuosis; sed etiam et obiurgemus et accusemus easdem operas,
hoc est eos homines qui ita vivunt. " Nam quae in occulto fiunt ab his, v. 12.
" turpe est etiam dicere ". Prope manifeste dixit quae ab his fiunt, quando
ostendit turpe esse illa dicere. Ergo nolite participare: ergo magis obiurgate.
" Omnia autem quae obiurgantur, a lumine manifestantur ". Quia praeceptum v. 13.
dedit ut et obiurgent male facientes, adiecit quantum sit munus obiurgatio: quo-
niam peccata illa in occulto, quasi lumine manifestantur cum obiurgantur. Is enim
qui obiurgat, ostendit quantum malum sit illud quod obiurgat: et dum os-
tendit, quasi illuminat malum: quod cum intellexerit ille qui admittit, discutit
tenebras et ad lumen accedit. " Omne enim quod manifestatur, lumen est ". Os-
tendit ipse, quod exposuimus. Intellectum enim quodcumque est, et manifestatur,
et lux est, et videtur, et apertum est. " Propter quod dicit: surge a mortuis, v. 14.
" et continges Christum ". Dedit exemplum quemadmodum qui obiurgatur in pec-
catis suis, lumen accipiat et intellegat se peccare: et cum intellegit se peccare, il-
luminatur, idest a mortuis resurgit; idest tenebras dimittit, et contingit Chri-
stum; idest lumen accipit, et incipit iam et peccata vitare, et spem habere
aeternae vitae.
" Videte (a) ergo quomodo caute ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapien- v. 15.
tes ". Uno praecepto utrumque conclusit; monens quemadmodum ambulent: non,
ut insipientes, sed ut sapientes; sapientia scilicet illa quae de Deo est, non
inquit, illa quae mundi est. " Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt ". Om- v. 16.
nes isti, qui in mundo dies sunt, mali sunt: mali enim, quod in ipsis est, no-
bis operantur: et omne quod bonum est, de futuro est. Hoc, inquit, tempus
redimamus; idest nostra virtute, patientia, obsequio, tempus nostrum faciamus
esse, et velut emamus illud laboribus atque patientia nostra. Tempus hoc, quod
adversus nos est, nostrum sit. Hoc est redimentes tempus. Ideo nolite effici im- v. 17.

(a) Codd. vide.

prudentes, sed intellegentes ,,. Eadem rursus admonitione monemur ad intellegen-
tiam mundi et mundanam. In quo eramus (a) imprudentes; sed simus (b) inquit,
intellegentes. Quid autem sit intellegentiam esse, sic subiunxit: " quae sit
,, voluntas Domini ,,. Ut hoc intellegamus quid Dominus voluerit, quid ve-
lit; idest nos cum integritate et iustitia et fide vivere, et in eo spem col-
locatam habere, nihilque aliud nisi de Deo cogitare. Haec, inquit, voluntas
est Domini.

v. 18. " Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria ,,. Et hoc est de non fa-
ciendis, ut plurimo vino utamur, quod inde multa vitia. Deinde subiungit
quid agendum: " sed implemini spiritu, loquentes vobis invicem ,,. Magnum
hoc praeceptum: etenim illa omnia in nostra sunt voluntate et in nostro la-
bore, non inebriari vino, non ambulare insipienter, tum quae supra dicta
sunt. Hoc vero ex Dei voluntate tantum intellegeretur, nisi hic admoneret no-
strae voluntatis esse impleri spiritu. Sic enim ab omnibus vitiis peccatisque
purgamus animam, si spiritu impleamur, ut nos nobis spiritum faciamus,
v. 19. et impleamur spiritu (c). " Loquentes vobis invicem in psalmis et hymnis et
,, canticis spiritalibus ,,. Ut sibi invicem loquantur nihil aliud quam psal-
mos, quam hymnos, quam cantica (d). Quae sit istorum differentia, certo
loco dicemus: omnia tamen Dei laude sonant, et in Deum spem homini ha-
bendam esse pronunciant. Haec enim vere, si ita sint, spiritalia erunt. Haec
igitur cantemus, et cantemus in cordibus; ut ipse subiungit, cantantes et
v. 20. psallentes. " Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine domini nostri Iesu
,, Christi, patri et Deo ,,. Cantantes (e), quae voce proferuntur: psallentes,
idest percutientes et moventes vel citharam vel cetera organa: quae et propheta
David ponit, in chordis et in cymbalis. Sed haec, inquit, in cordibus vestris
agentes gratias, et semper agentes, et agentes pro omnibus: non enim tantum pro
nobis, sed etiam pro aliis, quos correctos videmus. Et agamus gratias cui? patri et
Deo, sed patri et Deo in nomine Domini agamus gratias. Tunc enim gratias rec-
te agimus, si non nostro nomine, sed in nomine Christi Deo gratias agi-
mus. Necesse est enim, et de hoc ipso quod nos liberati sumus, et de eo
quod spiritum recipimus, agamus gratias Deo: sed tunc recte, si in nomine
Christi agimus Deo gratias.
v. 21. " Subiecti invicem in timore Christi ,,. Invicem, idest alter pro altero:
" in timore Christi ,, in eo quod timemus Christum: ut dictum timor Domini
v. 22. initium sensus (1). " Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino ,,. Etiam prae-
cepta dantur mulieribus, quid eas oporteat facere et quomodo. Nam quid eas opor-

(a) Codd. *erimus*. (b) Codd. *sumus*. (c) Codd. *in spiritu*; sed paulo ante *spiritu*. (d) Codd. *canticos*. (e) Ante *cantantes* est in codd. *ut haec omnia*.

(1) Psal. CX. 10.

teat facere, dixit " viris suis subditae sint „. Quomodo " sicut Domino „ vel
sicut Christo: ut ita sint illis viri, quasi earum Dominus. Denique ita esse,
rationem reddit " quoniam vir caput est uxoris, sicut et Christus caput est v. 23.
„ ecclesiae: ipse salvator corporis „. Sic etiam vir caput est uxoris. " Et ut v. 24.
„ ecclesia subdita est Christo; ita et mulieres subditae in omnibus „ modes-
tae ac moderatae in omnibus. " Viri diligite uxores vestras, sicut et Chri- v. 25.
„ stus dilexit ecclesiam, et semet ipsum tradidit pro illa, ut eam santifica- 26.
„ ret mundans in lavacro aquae in verbo (1) „. Transiit ad viros, ut pari
modo praeciperet viris quid agendum cum uxoribus. Diligite, inquit, uxo-
res vestras. Reddit rationem de eodem exemplo; sicut, inquit, Christus dile-
xit ecclesiam. Etenim caput est mulieris vir, et caput est ecclesiae Christus:
et sicut Christus tradidit semetipsum pro ecclesia ut eam santificaret, sic et
hic vir pro illa omnia patienter sustinere debet, ut eam santificet. Perse-
verat tamen quid praestiterit Christus ostendere, quod semetipsum tradidit,
ut mundaret in lavacro aquae et in verbo ecclesiam. Utique accipiamus ec-
clesiam, omnem fidelem, et omnem qui baptisma accepit: in fide adsumitur
scilicet et lavacro aquae et invocatione verbi. Haec ad virum circa uxorem
quemadmodum revocanda sint, parum clarum est: potuit tamen videri id
quod ad similitudinem dabat in parte superiore convenire, hac parte circa
mysterii narrationem esse completum. Verumtamen etiam hoc quoque si revo-
cemus ad viri patientiam, ut se tradat pro muliere, et omnia eius ferat
patiaturque etiam passiones tolerans, illa mundabitur lavacro et verbo; idest
habebit apud Dominum purificationem; cum illam puram reddit, et patien-
tia idoneam facit ut lavacro et verbo santificetur.

" Ut praeberet ipse sibi gloriosam ecclesiam „. Pro ecclesia, inquit, se de- v. 27.
dit Christus, ut gloriosam sibi faceret ecclesiam suam; etiam puram, et sine ma-
cula et sine ruga: haec enim afferunt deformitatem et maculam et rugam; quibus
cum caret corpus, viget, floret, decorum est. Sed praeter haec adiecit " aut ali-
quid eiusmodi „ idest siquid tale etiam est ut nomen habeat; " sed ut sit
sancta et immaculata „. Hoc egit Christus ut sit ecclesia et sancta et imma-
culata. Ita sancta in eo, idest quod lavacro aquae et verbo mundatur: im-
maculata, quod sine macula est et sine ruga. " Ita et viri debent diligere v. 28.
„ uxores suas sicut suum corpus „. Paria praecepta etiam viro dantur, ut uxores
suas diligant; ut suum, inquit, corpus. Sic enim et historia generationis os-
tendit, quod de viri costa femina effecta. Ergo sic uxorem diligat, quasi
suum corpus." Qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit „. Eadem repetit: si enim
ex corpore nostro uxor est, qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit.
Et sic postea subiungit exemplum: et erunt duo in carne una. " Nemo enim v. 29.

(1) Deest *vitae* apud Victorinum heic et infra.

umquam suam carnem odit, sed nutrit et fovet illam „. Confirmat, quod secun-
dum naturam est hic amor, ut carnem nostram diligamus. Si autem caro no-
stra femina est, et prima femina de carne viri, et sic femina ut eadem
uxor ipsius fuerit, cum nemo suam carnem oderit, sed magis nutriat et
foveat; debet ergo et uxorem sic diligere, ut suam carnem, sicut et Chri-
stus ecclesiam. Et circa virum eadem praecepta sunt, quae circa uxorem. Sic
enim data religio est atque formido, ut uxor viro serviat, quoniam vir uxo-
ris caput est, ut ecclesiae Christus: ita nunc et viro hoc praeceptum da-
tur, ut uxorem suam diligat, quemadmodum Christus ecclesiam.
v. 30. " Quoniam membra sumus corporis eius „. Et supra ita dictum quod eccle-
sia omnes sunt sancti fideles, quae membra sunt Christi, et fit unum corpus Chri-
sti ecclesia, cui caput est Christus. " De carne ipsius, et de ossibus eius „. Mem-
bra sumus, inquit, omnes de ipsius carne et de eius ossibus. Non ita hic acci-
piendum tamquam huius carnis, quam induit et in qua apparuit, nos partem ha-
beamus (a), et de eius ossibus, quae ossa fuerunt carnis eius, in qua Christus ap-
paruit: sed accipiamus deitatem totam eiusdem, quae est in spiritu, ubi in om-
nibus supra caelum et in caelestibus potentiam deitatis suae habet, circa
spiritum, circa mentem, quam νοῦν Graeci dicunt, et circa animam. Hic igi-
tur quoniam et nos haec eadem habemus, accipiendum ita est, quod mem-
bra sumus Christi, idest in substantia spiritali; et de carne eius, idest de
anima; et de ossibus, idest dico quod νοῦς dicitur graece. Omnia enim ista
virtute Dei in superioribus spiritus sunt; sicut et idem Paulus dicit in e-
pistula ad Thesalonicenses prima (1): ipse enim Deus pacis sanctificet vos per
omnia; ut (b) integer spiritus vester et anima et corpus servetur.
v. 31. " Propter hoc relinquet (c) homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori
„ suae, et erunt duo in carne una „. Hoc exemplum de genesi est, quo probatur
tantam esse debere charitatem, vel esse hominem ita charam habentem (2) uxorem
ut et patrem et matrem dereliquat, et haereat uxori, et sint duo in una carne.
Multis modis docet coniunctum virum uxori; et ponit ita esse debere, ut et vir
uxorem diligeret (d) et uxor virum. Hoc ita, ut res est simpliciter, sic et a no-
bis dictum et a Paulo: verumtamen in quo (e) aubiunctum est, ostendit altius pa-
v. 32. tere istam sententiam: adiungit enim " mysterium hoc magnum est: ego autem di-
„ co in Christo et in ecclesia „. Ultra quam simplicitas ipsa indicabat (f), esse ali-
quid Paulus ostendit, quando ait " mysterium hoc magnum est „ et tamen non appa-
ruit quid intellegi vellet: tantummodo aliam interpretationem ipse subiecit, ut
vir et uxor, hic (g) accipiatur interim Christus et ecclesia. Sed quoniam magnum

(a) Codd. *habere*. (b) Codd. *et*. (c) Codd. *relinquit*. (d) Codd. *liberet*. (e) Ita pro *in eo quod*. (f) Codd. *indi-
cabit*. (g) Codd. *hac* pro *hic*.

(1) Cap. V. 23.

(2) Notemus hellenismum ab εἶναι ἔχοντα.

mysterium dixit, altius intelligendum. Quid igitur nos suspicamur? Ego arbitror accipi istud, ut vir et uxor sint sibi invicem iuncti spiritus et anima. Hoc enim Adam et Eva; ut spiritus sit Christus, ecclesia sit anima. Sed hoc interpretatus est Paulus de ecclesia et de Christo intellegi debere, dummodo id ipsum spiritus sit et anima. Sed hoc facilius et quod ad populum bene perveniret. Ego, inquit, dico in Christo et in ecclesia: non autem dixit, Christus et ecclesia, sed in Christo et in ecclesia. Nam et Christus in membris suis ecclesiam habet, et ecclesia: in suis membris caput habet
Christum. Ergo in Christo ecclesia; in qualibet una carne duo sint. " Verum- v. 33.
„ tamen et vos singuli unusquisque uxorem suam diligat ut se „. Licet generaliter supra viris praecepta dederit de uxoribus, et mulieribus de viris; nunc specialiter ad Ephesios eadem praecepta convertit " et vos, inquit „. Hoc ideo quia per figuram exposuerat dictum esse mysterium magnum, quod in una carne ambo essent et uxor et vir. Et hoc intellegi voluit de ecclesia et de Christo. Ideo addidit " verumtamen „ ut, licet illud in veritate, hoc intellegi voluerit Christum et ecclesiam, ut in uno sint corpore; tamen, et vos hoc ipsum observate et imitamini, ut unusquisque uxorem suam diligat. Et item subiungit de uxoribus " mulier autem ut timeat virum „. Hic et amor est in timore, et servatus affectus est cum honore, ut viri uxores diligant, mulieres viros timeant.

Item transit ad personas alias filiorum et parentum. Postea adiuncte- CAP. VI.
rus servorum * * * (1) et doleant quantum praestent quemadmodum tamen V. 1.
magis implicent animum quam resolvant et intra mundum alligent, plenis rationibus exposui tradidi docui illic (2), ostendens usque ad caelum (a) nequitiam spiritalem mundanae potentiae maxime operari, cum miseris animis quod fiant
quasi quaedam nomina pollicetur (b). " Propter hoc accipite arma fidei ut possi- V. 11.
„ tis resistere in die malo „. His omnibus supra dictis cum insint magnae difficultates, et adversus rectores huius mundi et tenebrarum harum; et, quod est maius, adversum spiritalia nequitiae in caelis; his, inquam, omnibus resistere quoniam magnae est virtutis, subiiciendum fuit, quo id fieri posset " accipite, inquit, arma fidei „. Sola enim fides in Christo munit nos, uti non valeat circa nos istarum potestatum mundi ulla temptatio. Ita illud quod difficile videbatur resistere, facile factum est, si in potestate est unde resistamus: est autem in potestate; quippe fidem in Christum habere, et plenam fidem habere, nullus labor est, nulla est difficultas, animi tantum voluntas est commo-

(a) Ita codd. (b) Ita codd. Videtur autem oratio abrupta aut persequendale.

(1) Hoc in loco lacunam esse, nullus dubito; quamquam in codice nullum fit indicium; id quod etiam alibi observavimus.

(2) Divinandus locus est.

data (a) et credula. Ergo fit facile resistere his tot malis, si fidem habeamus. Sola sufficit, sola obsistit, sola munit; sed fides plena. Quamquam etiam ipse dixit: si ut granum sinapi, habeamus fidei granum, possumus et montibus imperare. Ergo fides sincera et pura, fides inquam in Christum, et fides in Deum, adversum tot illas potestates nobis arma praestabit. Sumite nunc, inquit, arma fidei, ut possitis resistere. Quando resistere? cum temptatio advenerit, cum aliquid vos temptare coeperit. Hoc est quod ait " in die malo ". Malus autem dies est cum temptamur.

v. 14. " Et omnibus effectis (b) stare; succincti lumbos vestros in veritate ". Scit se supra multa monuisse facienda; vel per singulas personas, ut dominis et servis, maritis et uxoribus, patribus et filiis; vel per ipsa quae agenda sunt, vel quae non agenda, ut nolite inebriari, et agite omnia in nomine Domini, et cetera supra dicta. Idcirco ait " et omnibus effectis " quae supra mandavi et praecepi; state, inquit, succincti lumbos vestros, idest parati et instructi. Omnis enim conatus aut ad lumbos, si labor fuerit, cadit; aut ut labor sit et conatus, ex lumbis nostris (c) est. Inde enim omnis virtus, et omnis materia ad sanguinem; hinc enerves, elumbes dicimus. Ergo ut fortitudo se praeparet et corporis et animi, " succincti lumbos, ait. State, inquit, in veritate: hoc enim, quod vos monemus, veritas est: reliqua autem in mundo, falsa sunt, quae de mundi sapientia docentur ac disputantur. " Et induti lorica iustitiae ". Adiungit alind praeceptum, praeter fidem, ut iustitiam servemus. Quamquam illud, quod supra dictum est, idest fides in Christum (d) caput est omnium: etenim iustitia non tantum valet quantum fides; etenim iustus ex fide vivit; tamen quia est et hic affectus implendus ut iustissimus; tunc enim fides nobis proderit, et tunc vera erit fides, si iustissimus; et iustitia proderit, si accedat fides. Ergo adiunxit post fidem " induite loricam institiae ". Supra arma, dixit, fidei induite loricam iustitiae: quoniam in armis tam illud intellegitur quod munit, quam etiam quod resistit et adversarium superat: in lorica autem nihil aliud sit quam ut muniamur; fides autem et resistit: et ideo dixit arma fidei. Quomodo autem resistit fides? scilicet si cum temptare hostis coeperit, non sequamur, et fide custodita in Deum atque in dominum Christum, a sententia non moveamur. Resistite ergo, ut resistit qui habet tela, gladios. Ergo arma, inquit, induite fidei, ut resistatis. At contra, iustitia tantummodo in factis est; non adversario resistit, sed ipsa se praestat bonam clementem. Ergo lorica, inquit, institiae; qua bonum sectatus, et bonam mentem
v. 15. et bonum cor ostendit.

" Et calciati pedes in praeparatione evangelii pacis " quoniam evan-

(a) Ita codd. (b) Ita codd. (c) Codd. *vestris*. (d) Codd. *ipsum*, pro *in Christum*.

gelium fertur, et per gentes praedicatur. Ubicumque ergo praedicatur, audiendum est. Ut autem audiamus, eundum properandum festinandum. Ergo " calciati, inquit, pedes in praeparatione evangelii ". Cuius evangelii? pacis, inquit: quoniam evangelium qui audit et qui in evangelio paratus est, Domini fit, Christum credit, promissa accipit, fiduciam gerit, cum nullo hostis est. Ergo pacis evangelium; idest pacis, quae(a) est animis. Hoc ergo ut capiamus, calciati pedes esse debemus, idest parati excurrere circumvolare audire. His ergo omnibus quid efficitur? facile resistemus potestatibus rectoribus spiritalibus nequitiae. " In omnibus, accepto scuto fidei ". Redit ad illam summam, quae concludit omnia, quae implet universa: aliter enim fortiter repugnare resistere tot illis potestatibus non valemus, nisi muniti scuto, ut omnes ictus atque impetus universarum potestatum munimento fidei repellamus. v. 16.

Denique sic subiunxit: " in quo possitis omnes sagittas nequissimi igneas restinguere ". Sagittas frequentissime et in evangelio, et in Paulo, et in prophetis, et in David positas legimus; quas intellegimus disputationes et verba et tractatus esse; sed nequissimi sagittas, idest male suadentes male vulnerantes intellegentiam animam spiritusque nostros: ideo igneas dixit perurentes, quas omnes extinguit fidei scutum, idest ipsa fides, ut apud se nihil valeant. Cum enim adest fides animis, ille ignis, qui per linguam mittitur, persuadens maligna omnia mundana, extinguetur et intepescet. Nam omnis illa persuasio maligni, quoniam carnaliter loquitur et carnaliter insinuat, per sanguinem valet: idcirco excitat ipsum sanguinem per novas intellegentias: excitatus autem sanguis igneus fit. Fiunt ergo illae sagittae igneae, quas fides comprimit et extinguit, quia spiritaliter omnia accipit fides. Spiritus autem lumen est, non ignis. Hinc neque spiritus, dum lumen imitatur, ignis est: ignis autem omnis nocet. Ergo neque spiritus nocet: verum dum in Christum est fides, a lumine in Christo accipit lumen: sic lumen fidei ignem vincit, quia ignis circa carnem valet et operatur, et ipse mundanus est, et de materie materia est. Non valet autem circa lumen aeternum Dei Iesu Christi. Sic lumine illo hic ignis extinguitur: quem ignem dixi maxime concitari sermonibus; qui sermones, quia excurrunt et volant, sagittae sunt nominatae. " Et galeam salutis, et gladium spiritus, quod v. 17.
" est verbum Dei ". Quia supra dixit induti loricam iustitiae, et hic audiendum induite galeam salutarem et gladium spiritus. Utrum gladius spiritus per se accipiendum, et galea salutaris per se adiungendum, salutaris spiritus et galea est, gladium induite (1). Sed si gladius vere certeque revocatur, quod est verbum Dei, separatum est, induite gladium spiritus. Quid ergo erit " galeam salutis induite "? Christus quidem in eo quod huc descen-

(a) Codd. *pacem quod.*

(1) Ita est in codd.

dit, et mysterio suo nos redemit, salutaris est; ipse caput nostrum : custodit etenim caput ecclesiae; unde galea salutaris est. Porro autem verbum, quo adversae potentiae vincuntur opprimuntur; sicuti dictum (1): " diabolum perdet spiritu oris sui ". Ergo Christus, quod est verbum Dei, ideo missus est ut omnem corruptionem et omnem malignitatem atque ipsam mortem vincat. Idcirco dictum est: gladius est spiritus verbum Dei.

v. 18. " Per omnem rationem, et observationem orantes, in omni omni tempore, in spiritu ". Ad expellenda illa, quae supra dicta sunt, idest potentias mundi vincendas, rectores tenebrarum et spiritalia nequitiae, hoc quoque adiungit ut oremus quotidie et obsecremus, et per omnem obsecrationem oremus in omni tempore spiritu. Quanta hic et quam occulta praecepta sunt de eo quod rogamus! Primum quod dixit per omnem orationem; quae multa sunt, nunc pro nobis, nunc pro aliis, nunc ad ea quae sunt praesentis vitae, nunc ad ea quae futurae, nunc ad ea quae animae sunt, nunc ad ea quae corporis, ut aliqua optemus. Omni, inquit, oratione oremus in spiritu et omni tempore: oremus in spiritu, idest non quaedam verba dicamus vel proferamus, vel recitemus, orantes quasi meditata, quasi scripta; sed in spiritu, inquit, omni tempore oremus: idest ut et adhibeamus affectum; et interior spiritus, idest homo interior, orationem pleno desiderio debeat et habeat omni tempore: ut etiam cum non orat, in spiritu oret. Quid deinde illud quod ait, per omnem orationem et obsecrationem? Distantiam puto istam esse, ut oratio sit, et cum laudes Dei dicimus, et cum enarramus magnalia eius, et cum gratias agimus, et cum alia huiusmodi: obsecratio vero est, quando Deum oramus vel propter veniam et peccata nostra; vel propter gratiam, ut nobis praestet. Haec, inquam, est obsecratio: et dummodo isti duo modi sint cum Deum oramus, ut et orationem habeamus et obsecrationem. Per omnem igitur, inquit, orationem et per omnem obsecrationem. Non contenti simus quasi quaedam verba ex consuetudine proferre, sed ex animo interiore atque ex mente; atque, aperte ut dicam, ex ipso spiritu atque in ipso spiritu; ut etiam cum deest oratio vel obsecratio in verbis, oremus in spiritu.

" Et in ipso vigilantes semper in omni oratione ". Adiecit etiam certum tempus: nam cum dixit in omni tempore, potuit accipi quod tempus homini datur, idest dies. Sed in omni tempore ut plenius adiiceret quid adiunxit? " vigilantes semper ". Potest tamen ad intentionem mentis hoc accipi " vigilantes semper " ut in omni oratione non veluti dormientes; quod patiuntur illi qui ea quae nota sunt recitant, vel legunt, vel memoria pronuntiant; quid dicant et quemadmodum dicant paene non sentiunt. Idcirco ait " vigilantes semper in oratione pro om-
v. 19. " nibus sanctis et pro me ". Magnum etiam hoc monitum et frequenter quoque tetigimus, et notandum diximus: non enim pro nobis tantum, sed etiam pro aliis

(1) II. Thess. II. 8.

rogare debemus. In quo et multis locis et hic admoneo, quoniam istud praeceptum duplex est, ut et ipsi illi sancti, et episcopi, et apostoli, et maiores, pro fidelibus et catechumenis et pro omnibus aliis inferioribus rogare debeant: sicuti frequenter idem hic enumerat quod in omni oratione sua mentionem facit etiam omnium suorum. Ita et hic rursus et ipsi qui inferiores sunt rogent in omni oratione sua et pro sanctis, et pro episcopis, et pro me, inquit: quod attendendum et pro miraculo habendum, uti ab his, quos ipse monet, quos instituit, quibus evangelium pronunciat, velut auxilium petat, ut oratione consequatur aliquid. Quid autem illud sit quod petendum pro se dicit, ipse subiungit " ut detur mihi in adapertione oris mei sermo in con- „ fidentia notum facere mysterium „. Monuit Ephesios ut et pro sanctis rogarent et maxime pro se. Quid autem rogarent pro se, idest pro ipso Paulo, subiecit, non salutem, non aliquas cupiditates, sed ut posset idem Paulus habere sermonem et apertam orationem, idest confidentiam in expositione evangelii atque mysterii. Vere enim etiam eorum oratione postulandum est, quibus prodesse hoc potest; ut quoniam mysterium et evangelium Paulus pronunciat, illi qui percepturi hoc sunt, hoc orent ut sermo abundet, et os apertius proloquatur, et confidentia sine aliqua trepidatione exponens mysterium. " Pro quo legatione v. 20.
„ fungor in catena „. Idest ego legatus a Christo, licet in catena positus, tamen mysterium pando et evangelium: in quo quid patiatur ostendit, et quemadmodum perseveret, ut non deterreatur adversis, neque dolore vincatur, sed impleat munus apostolatus iniunctum. " Ut in ipso fiducialiter agam „. Bene et hic fiducialiter, inquit, et in confidentia. Quid enim aliud adversum terrores adversum poenas impositas aut precari aut polliceri debuerat, nisi ut fiducia sibi esset in exponendo? ut mihi, inquit, sermo in adapertione oris detur in confidentia; idest (a) in agendo, ut in ipso fiducialiter agam; in ipso, idest in evangelio atque mysterio. " Ita ut oportet me loqui „: idest enim ipsum agere evangelistam, loqui, et loqui ut oportet, hoc est fiducialiter; ne minus impleam, aut aliquid in animo meo egerint catenae, et non impleam ut oportet exponens mysterium.

" Ut autem vos et sciatis, quae circa me sunt; quid agam, notum vo- v. 21.
„ bis faciet Tychicus charissimus fratrer et fidelis minister in Domino „. Bene de his quae patitur nihil epistulae dare voluit, sed tantummodo per nuntium, ut cognoscant Ephesii, quid mandavit, vel quid agat, vel quae circa ipsum sint. Duo sunt enim: nam et circa ipsum catenae sunt et ceterae iniuriae: quid autem agat; quod perseverat, quod mysterium pandit, quod evangelizat et aperit. Commendat autem personam: Tychicus cha-

(a) Codd. *hic*, pro *idest*.

rissimus, inquit, frater, et fidelis minister in Domino: non enim minister
mihi, sed in Domino minister circa evangelium et circa mysterium. " Quem
v. 22. " misi ad vos in hoc ipsum ". Non enim ipse cum pergeret, ego mandavi;
sed propter hoc misi. Ita et de vobis curam gero, et omnia vos scire volo. In hoc ipsum ergo, ut sciretis, misi; ut cognoscatis quae circa nos agantur. " Et consoletur corda vestra ". Hic iam amplius, quoniam de duobus unum hic coniunxit, quae circa nos agantur, idest quas poenas toleremus, quas catenas: idcirco adiecit, et consoletur corda vestra: ne de me cura et sollicitudine laboretis, vobis consolationi sit ipse cum exposue-
v. 23. rit quali animo sim et quali fiducia. " Pax fratribus, et charitas cum fi-
24. " de. Gratia cum his qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum in
" aeternitate. Amen ". Postrema pars epistulae precatio est, et precatur, et optat pacem fratribus: item charitatem, deinde fidem. Supra enim ita dixerat, quod esset inter illos discordia. Deinde adiunxit " gratiam his qui praestant fidem, et diligunt dominum nostrum Iesum Christum ". Ita omnia conclusa sunt; pax ad discordiam, charitas ad concordiam, fides ad Deum: et ex fide gratia praestatur, gratia Domini his qui charitatem inter se et pacem habent, et fidem in ipsum. In aeternitatem autem quod subiunxit, ne praesentis vitae tantum vota sint, sed et futurae, quae est in spe et promissione Christianis. Amen.

VICTORINI COMMENTARIUM

IN EPISTULAM PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS

LIB. II.

EXPLICIT FELICITER.

EDITORIS MONITUM.

Tres ad hunc commentariorum curandum editionem adhibui vaticanae bibliothecae codices; nempe otthobonianum 3288. *A. saeculi XIV, a quo exscriptus est otthobonianus* 3288. *B. saec. XVI; postremo vaticanum* 3546. *saeculi item XVI, ab alterutro otthoboniano ferme desumptum: quare lectionum varietas in his ineditis commentariis nulla propemodum est; eaedem autem in cunctis codicibus lacunae, eadem plurimorum locorum corruptio vel ambiguitas atque obscuritas: ceteroquin orthographia paulo vetustior est in illo priore* 3288. *A, quam videlicet, recentiores amanuenses in aliis exemplaribus identidem immutaverunt. Porro et codicum continentia eadem cunctorum est, nempe editorum pariter ineditorumque Victorini scriptorum. Primus occurrit Victorini in apocalypsim commentarius (seu commentarium, ut saepius in his codicibus scribitur,) cum praevia Hieronymi epistula; quod opusculum sub controverso Victorini petavionensis nomine extat in magna lugdunensi Patrum bibliotheca tom. III. p.* 414. *sqq. Sequuntur Victorini commentarii hactenus inediti in epistulas ad Galatas et ad Philippenses. Deinde Victorini scribuntur opuscula duo, nempe de illis verbis geneseos* factum est vespere et mane dies unus; *et contra duo principia Manichaeorum; quorum utrumque primus extulit in lucem Sirmondus, ex herivallensis monasterii codice sumptum; in quo codice commentarii quoque latebant Victorini ad aliquot Pauli epistulas; quos Sirmondus laudavit quidem, et consueto Victorini stilo planiores atque apertiores dixit* (*op. T. I. p.* 345. *ff. V*); *non tamen edidit; sive diversis occupationibus, sive alicuius hominis voluntate, sive alio quovis casu, prohibitus. Attamen in vaticanis codicibus opusculum contra Manichaeos caret priore capitulo; quod habet textus editus: vicissim vero editus textus caret clausula, quam nunc ego proferam. Cessat enim editio* cui est honor et gloria. *At codices vaticani habent* cui est honor et gloria ab omnibus creaturis, et ante principia atque post fines. Ita ergo ex vero, quod est, provenit et falso esse; ut umbrae de solidis: si enim solidum non sit, neque umbra fit. *Sequitur in codd. commentarius hactenus ineditus in epistulam ad Ephesios. Extremum est in codicibus opusculum inscriptum* de physicis; *quod quidem sub Victorini certe nomine non est editum; utrum vero alio sub nomine forte extet, ignoro. Mihi certe Victorini prorsus videtur, tum ob stili similitudinem, tum quia in tribus his vaticanis codicibus, nullum inest scriptum nisi Victorini. Quod si huic scripto Victorini nomen non praeponitur, aio id ipsum nomen ne duobus quidem opusculis in his codd. praeponi, quae a Sirmondo edita dixi, quaeque Victorini sine dubio sunt. Ergo Victorini scriptum* de physicis *in hoc meo volumine desiderari non sum passus.*

VICTORINI PHILOSOPHI

DE PHYSICIS.

I. Regum omnium conditorem Deum (a) sensus hominum iudicio naturali motuque cognoscit. Sed (b) physici res ipsas admirantes, immo stupidi, vi miraculi (c) caecati, totius creaturae conditorem ipsum obliti sunt. Quidam enim non esse Deum, sed naturâ a se generari omnia sine Deo, motu audacissimo contendunt. Alii et Deum et naturam confitentes, aequalem rerum naturam Deo constituunt: quem quidem vim aiunt (d) fecisse naturae, eo quod ab ipsa usurpando fabricasse docetur: rursus autem violentiam pati, ex eo quod ea quae ipse instituit, natura resolvit. His duobus generibus adversantibus sibi, utrisque autem blasphemantibus, respondendum est: et primis his, puto, qui magis sunt audaciores, quosque diximus negare Deum, qui ex omni creatura sua manifestatur. Quis enim ambigit ordinem, qui in rerum natura est, ab aliquo esse positum, non a se? cum tempora mensuras et cessionem sibi invicem tribuant: et sol quidem, licet clarior et efficacior sit, et virtutem maximam habens, minoribus sibi lunae choroque stellarum concedat noctu, nec diem ipsam in eodem spatio possit semper conservare: sidera et luna idipsum quod habuerunt spatium potestatis admittant: ver, autumnus, hyems, et aestas praefinito spatio ordinati sperentur et veniant. Et ipsis tamen temporibus aliquotiens vis infertur, ut non id agant semper quod speratur; sed prohibente aliquo, modum excedant. Quid oportet de mari, de fluviis, de terra, montibus, ceterisque elementis, aut quae ex his nascuntur frugibus, sermonem protrahere? Accedamus nunc ad ea quae promissa sunt.

II. Ipsa creatura aliquem fabricatorem sui enuntiat: nec enim ipsa, sibi generando, se rursus absumit; cum aliud sit propositum faciendi, aliud absumendi: et si rerum natura a se totum semper proferebat, totum quoque conservasset; maxime cum aeternam naturam dantes et sine initio, aeternam quoque illi virtutem dare cogantur: quae virtus cum in his quae generat invenitur, et ea quae generantur aeterna, et sine initio esse necesse est: quod quotidiana rerum natio falsum esse comprobat. Et si dicatur semper esse res ipsas, ideo quia sibi invicem succedunt; tamen in singulis definitio nationis et resolutionis ostendit, singulis quoque in hoc vitio coartatis, per ipsam singularitatem omnibus vitium coaptari (e). Ita omnia nec sine definitione esse possunt, quae facta sunt: incipiunt enim et consummantur, crescunt et decrescunt. Ex quibus

(a) Codd. *dominum*, ob male intellectum olim vocabuli compendium. (b) Codd. *scilicet*. (c) Codd. *aut miraculo*. (d) Codd. *ei*. (e) Codd. *coaptatur*.

omnibus invenitur aliquis, qui vim iufert naturae, ut semper id ipsum vitium patiatur.

III. Cognito itaque de rationibus ipsis physicis, quibus etiam sensus humanus semper confitebatur; nunc ad eos respondendum est, qui talem conditorem ponunt ita indigentem, ut non de suo fabricaret, sed alienum usurpando; ut non tantum indigens, sed etiam iniustus inveniatur. Quid enim illi cum aliena materie, si suam potuit habere? Ita coacti videntur confiteri Deum; non tamen intellegere Dei virtutem, neque mirari eum, qui tamquam homo ex materie proposita fabricaret. In tantum dignitatem eius, ut putant, deponunt, ut ipsi materiam aequalem Deo per nativitatem efficiant eam, quae vim patiatur ab eo et faciat. Patitur enim, quando generat; facit, quando dissolvit; et uterque in irritum ducuntur. Deinde ab his postulandum est, si nativitatis suae uterque proprietatem conservant? Nam (a) si vincitur Deus, suam propriam in nativitate virtutem perdidit. Rursus materia si a Deo reformatur, nativitatis formam amisit. Postea cum coepto opere id egit quod numquam (b), ita ut coacta a fabricatore generet; ad tempus virtutem aliquam accepit ab eo in proferendo. Quod si accepit quod non habuit, iam aeternitatis potentia excluditur per virtutem quam accepit. Propter quod rogo unde probatur innata, quae in forma nativitatis suae non permansit? Nec in virtute nec in eadem potest esse substantia, quae mutatur virtute, colore, forma, qualitate, viribus omnibus: innata esse non potest, quae tot vitiis et necessitatibus succumbit. Quae cum est et probatur non innata, reliquum est ut, id quod est, nata factaque cognoscatur.

IV. Quam quidem nec plurimi dii, sed unus fecisse dinoscitur. Non enim propter diversitatem rerum aut virtutum plurimos esse ratio permittit deos; cum in una terra diversa genera herbarum, frugum, arborum, gignuntur diversis corporibus procreata, diversis coloribus ornata, diversis virtutibus roborata. Nempe et anima nostra cum una sit, diversas artium machinationes, disciplinarum doctrinas, formas institutorum, numerum mensurarum, sonorum elationes, rerum effectus, cogitationes, iudicia rationum, constituit. Quod si in tam minimis rebus uni substantiae (c) tot rerum effectus conceditur; quanto magis illa divinitas harum ipsarum rerum genetrix (d) una esse cognoscitur, quando tantae maiestati diversitas rerum neque vim inferre, nec auferre potestatem potuerit? Deinde interrogandum quibus generibus plurimos inducunt deos utrum ne omnium omnes creatores, an (e) singularum rerum? Conditores omnium esse non possunt, quia sufficit unus, ut dictum est. Quod si plurimi dii hoc agere existimentur, omnis (f) inferre necesse est singulis rebus quod donant. Unde imperfectum

(a) Codd. *iam*. (b) Subintellige *egerat* vel *egisset*. (c) Codd. *una substantia*. (d) Ita codd. (e) Codd. *aut*. (f) Ita codd. pro *omnes*.

est quod ab uno infertur; deestque materiae ceterorum inlatio, quia non sufficit id quod accepit ab uno. Et iam materia melior, quae omnium virtutes sola in se susceperit.

V. Deinde non singulae res ab omnibus constitutae probantur: non ex iisdem subsistit lapis, quibus et arbor; neque arbor, ex quibus pecus; nec piscis genus, ex quibus ferae; nec serpentes, aut beluae, ex quibus homo: sed necesse est minus et amplius habere confiteri. Unde non singulorum omnes conditores esse noscuntur, neque in omnibus regnare. Cum non omnibus contulerint; nec non diversis generibus inlatis, neque omnibus aequalibus (alterum enim ab alio differt), necesse est eos minus et amplius inferre, cognosci. Ex qua illatione maior minorque per potestatem suam invenitur: quae distantia divinitatem nativitatis unam constitutam omnibus esse non concedit: ex quo ad unum iterum innativitas pertinet, ceteris exclusis ab innativitate: unde natos esse necesse est. Iam quoque nati, non a se, id quod sunt, habentes; nec a se virtutem habere, sed datam, comprobatur. Quod si a se non sunt, data quoque potestate utuntur; quemadmodum omnia fecisse dicentur, ipsi creaturae esse manifestati (1)? Et haec quidem omnia attingunt, si in singulis omnes conferant. Quod si non omnes, sed singuli singula regant, neque utatur alter alterius creatura, sed concidatur totum saeculum, singulis singula opera sua ad se trahentibus ac defendentibus, nec nos ipsi alterius creatura uti permittamus, et quemadmodum animantia vivere possunt discreta singula a ceteris? Quod si ob concordiam bonitatis suae permittunt ipsi quidem imbecillos, qui nisi per alterius creaturam stare suum (2) facere non potuerint; nec ipsi suum (3) regunt, sed usus. Quod si usus detinet, ille non regit; ex quo non esse cognoscitur.

VI. Ac mundus ipse horum hominum insaniam comprimit, creatorem, rectorem, gubernatorem, dispensatorem suum ostendens. Quis enim pluvias alienis immittens, suae operationis aliena enutrit? Quis temporum nocivas contrarietates, temperie interposita, ad utilitatem omnes sociavit? ventorum flatus, animationis causa, nascentium creationibus subministrat? Deus (a) quidem ex omni creatura dinoscitur, sicut scriptum est: caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius adnuntiat firmamentum. Hic rerum omnium conditor, rector, gubernator, dispensatorque reperitur: quo cognito, prava contentione quidam, infirmitate animi sui ordinem rerum non comprehendentes, nec hoc ipsum intellegentes, quod nesciunt, calliditate animi causas ingerunt Deo; aut non ita fieri debuisse dicentes, ut caderent; aut

(a) Codd. qu s, pro *Deus*.

(1) Hellenismus.

(2) Sic loquitur ferreus Victorinus, a ceteris scriptis suis minime dissonans. Intellige autem *essentiam suam efficere non possent*.

(3) Subintellige *stare*, id est *essentiam*.

ex eo quod cadunt, ignorantiam ei vel malitiam adscribendam. Fecit enim ut sint: quod si evenit, ut non sint; aut ignoravit faciendo quod evenit; aut sciendo, volens liberare non potuit; aut cum possit, tradidit per malitiam. Quorum neutrum ad divinitatem admittitur: nec enim fas est nescisse futura divinitatem, nec volentem liberare non potuisse, nec malitiam adscribi: qui voluit et fecit, ex eo quia voluntas faciendi, excludit malitiam neglegendi. Quibus sublatis, tertium crimen iniciunt impossibilitatis Deo. Quae omnia explicanda sunt. Nec enim malus est, qui voluit et fecit, et quia volens fecit. Qui potest omnia, aut potest quae vult, non erit imbecillus. Ita nec ignorantiae subiectus: qui cum semper sit, sine eo futura fieri non possunt.

VII. Iam ergo causam rerum requiramus, ne diu protrahendo sermonem, locum erroris seductoribus permittamus. Fecit omnia ut sint: sine dubio profitemur. Evenit ut non sint: nec hoc negare possumus. Sed in eodem contraria esse non possunt, ut simul esse et non esse voluntati eius contingat. Quia si fecit ut sint, semper vult ut sint: et si vult ut non sint, desinit id velle, quod volebat: quod quidem vitium in Deum cadere non potest. Duabus vero personis in causa constitutis, conditore et condito, cum conditor est alienus a crimine, superest ut id, quod conditum est, suae laesionis ipse sit causa, nec potuisse sine aliqua culpa ad id cecidisse ut non sit. Rursus si culpa conditi voluntatem Dei evacuavit, fortior ipsa culpa quam conditor: ideoque renasci necesse est, ut ad ipsum venientes quod fuimus, id quod evenit per culpam, evacuemus; et vincat Dei voluntas, quae fuit ut simus. Inde ob culpam damnati revocamur, iustitia Dei permanente eadem et virtute: iustitia, in quo iudicat; virtute, in quo revocat: non prohibitus salvare, qui potens est ut ex eo quod cecidit, possit revocare id quod ipse fecerat ex nihilo: et qui fecit ex nihilo, multo magis revocabit ex aliquo: et cum iudicio iusto damnatum dicto Dei caderet, item misericordiae eius dicto resurgat: nec excluditur revocare, qui semper est; et potentia eius obtemperans voluntati, iustitia potentiae: at potentia perficiente, id agit quod velit, tempore quo vult, immo tempore competenti. Nec oberit eius potentiae mors damnationis; nec damnatio vincit propositum voluntatis; sed misericordia eius non inanis; nec sine ratione gratia renovandi; his enim datur qui petunt, sicut damnati sunt non petentes.

VIII. Ea causa fuit non indulgendi primis peccantibus, quos cum interrogatione sua ad paenitentiam provocans, suam salutem vidit repellentes, damnavit. Eos autem, qui ex his nati sunt, quique ad ipsum confugerunt, miseratus est. Etenim iustum est volentes et paenitentes, ad eum qui potest praestare, confugientes impetrare: ingratos, renitentes, facti sui culpam ingerentes Deo, damnationis causam sibi constitutos, dimittere. Ea iustitia dari gratiam istam protoplastis non permisit: non ipse noluit praestare qui damnat.

Ipse fuit et ante, qui modo est, et erit: qui nunc bonus, et ante bonus: qui nunc misericors, et ante misericors: in eo semper permanens, qui est immutabilis: quem cum damnavit ob culpam, culpam ipsam dinoscere (a) necesre est, quam de physicis rationibus iterum inquiramus. Homo factus non ut aliquid conditori suo praestaret (1), sed ut ipse saeculo potiatur, ex melioribus constitutus, merito rationabilis est effectus: et hoc ipsum creaturae ratio expetebat, ita ut diversis in saeculo conditis, et ex omnium elementorum conversione constructis, hic qui melior est omnibus (b), ceterorum babeat potestatem: non tum immemor sui creatoris; sed subiectus dominio per mandatum, cetera subiecta sibi teneat. Subiectio autem istius, qui rationabilis est, legem requirit, ne sit ipse omnium deus liber a lege: quam legem postulante ratione, in quibus danda esset, oportet pervidere. In his dandam esse legem ratio edocet, quibus positus (c) fruebatur. Quod cum cibus tunc datus maxime inveniatur, in hunc datam esse legem ratio poposcit, in hunc peccasse declaratur.

VIIII. Nunc nobis investigantibus causam, huc usque ratio deduxit. Cetera (d) cuius cibi, cui usui, in quem modum lex data sit, nobis requirentibus, historia necessaria est quae conveniat his physicis rationibus iam a nobis investigatis: quae cum nulla sit alia praeter quam didicimus in divinis scripturis, ipsis physicis rationibus in eamdem nos ipsam inducentibus, requiramus si consonat legem positam esse homini abstinere se ab una arbore, ceteris largiter fruentem. Edocet scriptura hunc, transgresso mandato, morte esse multatum: quod quidem graviter quidam accusant, legem dicentes datam quae non potuit custodiri; ipsum praescium futurorum hoc dedisse mandatum, quod sciret eos non conservaturos; huius abstinentiam cibi mandasse, cuius desiderium superaret mandatum. Multa quoque alia causae esse contraria: aut enim debuit non dedisse, aiunt, hoc mandatum, quod dedit sciens non observaturos: aut hanc arborem non interposuisset, tamquam offensionem mandati. Licebat enim in ceteris iubere, in quibus desiderium non cadebat; aut hoc dare praeceptum, quod posset homo conservare. Quod si non poterat auxilio suo tueri ne peccaret, invalidus: vel non permitteret temptantem accedere, cuius persuasione incidit in culpam. Nunc vero simul omnia contraria: et faciendo talem, operatus est eum vincendum; et arborem plantavit nocivam; et in hac dedit mandatum, quod non observaturos esse sciebat; et sua praescientia providens peccaturum, dimisit; et advesarium accedentem ad evertendum hominem non prohibuit; et iracundia motus, quem ad vitam posuit, ipse damnavit ad mortem. Nunc vero liberaturum dicitis venisse, passurum pro eo, qui tunc tempo-

(a) Codd. *miscere*, pro *dinoscere*. (b) codd. *ab omnibus*. (c) Ita codd. (d) Ita codd. pro *ceterum*.

(1) Idest non factus ut Deo utilis esset, qui nullius eget.

ris noluit indulgere. Huiusmodi verba inania suae mentis inertia proponunt; quibus omnibus respondendum est.

X. Et legem quidem dari oportuisse iam probavimus recte: illum Deo per legem esse subiectum, cui fuerant tanta subiecta. Hanc legem non gravem, ut aiunt, immo levem et facile custodiendam docemus. Cum enim omnibus frueretur, ab uno iussus est abstinere. Quod si uno tantum uti, ceteris interdictis, iussus fuisset, nonne iustum vobis videretur, custodire mandatum eius, qui dedit licentiam fruendi? Hoc tamen non fecit ipse qui dedit: quod etiam ipsum esse possibile declaratur. An non (a) etiam in hoc mundo, propter laesionem mortis aut morbi, a plurimis abstinemus? Ita possibile mandatum ostenditur. Quod si hoc possibile, quanto possibilius fruentem omnibus, ab uno se custodire? Et quomodo lex dari potuisset, si non vel in uno conceditur imperare? Quia ergo debuit lex dari, debuit autem in his quibus fruebatur dari, in his ipsis data esse recte dinoscitur. Non tamen offensio fuit arbor, nec in alteram magis quam in istam debuit mandatum transire: quoniam in quacumque fuisset positum mandatum, etiam in eadem ipsa desiderium sequebatur. Et non arbor occasio (b) fuit desiderii, sed ipse sibi auctor, qui voluit desiderare. Nec querela nunc existat cur voluit, cum habuerit sui potestatem rationabilis constitutus. Ipsa quoque lex expetit hanc potestatem sui habere, cui ponitur: non habenti enim agendi potestatem, lex vacat illi: et si ab aliquo naturaliter conclusus, ab eodem ipso lege posita videatur arceri, non prohibito magis lex datur quam sibi qui regit conclusum. Ergo competenter data est sui potestas: qua competenter data usus homo in quo non habuit potestatem, merito damnatur.

XI. Iam praedicta a Domino sententia transgressionis, etiam auxilium illi fuerat datum (1) ut sciret et quid deberet cavere, et quid passurus esset ex neglegentia, si non cavisset. Nec invalidum fuisse natura. Serpente enim ad persuasionem mulieris aggrediente, ubi voluit vicit mulier; et in exordio verborum mendacem eum intellexit et repulit, sicut ait scriptura: " et „ dixit serpens mulieri: quid utique dixit Deus ab omni ligno non edetis, quod „ est in paradiso „? mendacio fallere credens; etiam oblitam divini mandati existimans. Cui statim respondens expulit ita. Et dixit mulier serpenti: " ab om- „ ni ligno, quod est in paradiso, edemus; de fructu autem ligni, quod est in „ medio paradisi, dixit Deus non edetis ex eo neque attingetis eum, ne moriami- „ ni „. Iudicio maximo (c) divinam iussionem praeferens: quo convictus, ad aliam machinam se transtulit, " non morte moriemini, dicens: sciebat enim Deus, quo

(a) Codd. *aut non*. (b) In margine corrigitur *causa*. (c) In margine glossa *sapientissime*.

(1) Notemus de gratia Dei auxiliante doctrinam antiquissimi auctoris Victorini.

„ die manducaveritis de eo, adaperientur vobis oculi, et eritis tamquam dii, scientes bonum et malum„. Unde cupiditate deitatis habita (1), id quod ante providebat, iaetavit (2); iam aliud videns ex concupiscentia, quam quod videbat. Tunc enim ait mulier, quia bonum est lignum in esca, et quia placet oculis; ex desiderio videns, non iudicio mentis; ita ut ante quam manducaret, bonum in esca esse pronunciaret: et non naturalis aspectus arboris nec usus adtraxit, quam prius videndo, abstinebat; sed desiderium deitatis illexit.

XII. Nec requirendum est quare permisit temptari, quem (3) futuri scientià praedictà auxilio suo tutatus erat ne falleretur. At ille oblitus salutis suae, atque immemor dictorum Dei, mulieris persuasiones praeponendo, deceptus est. Haec participem utique peccati virum suum effecit. Ad haec vir suus sine interrogatione accepit et sumpsit (4). Et ipsa enim comedit, ait scriptura, et dedit viro suo, et manducaverunt. Inde damnatio iustior, et iudicium mortis accessit; ut admonitus, non observaverit; et vocatus ad paenitentiam, non solum reppulit, sed etiam facti sui culpam Deo imputavit, dicens: mulier quam dedisti mihi, haec mihi dedit, et manducavi; reum esse Dominum peccati, quod dedit mulierem, adscribendo: cum maxime portionem exiguam corporis sui sciens, cui et nomen dederat, non debuisset subiacere, undique sibi subiectam sciens; se quoque auctorem corporis, ortus, procreationis, etiam nominis ipsius, agnoscens: quam cum sibi praeferre non deberet, multo minus (a) domino Deo qui mandavit. Tot criminibus una sententia data est. Non tamen motus iracundia iudicavit, ut dicunt: nec enim hoc vitium in Deum cadere potest (5), ut passibilis videatur, ut excitatus iracundia conditionem mortis inferret. Is enim iracundia provocatur, qui ex peccato motus sententiam dicit: at qui ante delictum facti iudicium promulgavit, non potest dici iratus fuisse, qui monuit; cum admonitio non iracundia sit, sed defensio.

XIII. Deinde in ipso eventu qualem sententiam dederit videamus. Eum qui manducavit, ut sit aeternus, ut Deus, id ipsum indicavit damnando; ne fieret, quod quidem homo futurum existimavit: et cum omnis esca ad roborandam substantiam pertinet, hoc utique alimentum ad dissolvendam substantiam profuit. Ita nec tunc infensus praedixit, qui monuit; nec postea damnavit iratus, quod homo praesumpserat, dissolvendo. Nec tamen invidia prohibuit manducare, nec invidia abstulit deitatem, vetando quidem cibum, qui laedebat: nec enim oportuit scire malitiam,

(a) Codd. *magis*.

(1) Nempe *victa* Eva. Est autem hellenismus ab ἡττωμένη.

(2) Nempe *abiecit*.

(3) Sermo iam est de Adamo.

(4) Id est *manducavit*.

(5) Scilicet quatenus vitium est. Ceteroquin legesis Lactantii hac super re doctrinam in opusculo de ira Dei.

qui se ab ea non posset observare. Mali autem cognitio ex praevaricatione mandati; in quod non ceciderat, si non manducare voluisset. Sequendo enim Dominum sine discretione, bonum ipsum reperiebat: praetereundo mandatum, sibi conscius, malum cognoscebat. Igitur mandatum sequi simpliciter, bonum est: amplius desiderando praeterire, malum ostenditur. Diffidendo enim dominicis dictis, praeceptum praeteribat. Iam quoque boni et mali notitia esse coepit, cogitando quod fecerat. Hac (a) implicitatione eum liberabat mandatum. Igitur rationibus iudicantibus, sui mali conscius fugit; et a summa sapientia in tantam stultitiam redactus est, ut putaret se celando sub arbore Deum omnium conditorem posse latere, cui et arborum omnium frondes et herbarum comae numeratae sunt; quique de nobis dixit etiam capillos nostros esse numeratos. In tantum malum incurrit is qui coepit habere scientiam mali et boni! Tanto malo Deus liberabat eo tempore quo prohibebat!

XIIII. Nunc patefacto quod non invidia prohibuit manducare, superest ostendere quod non invidia abstulit deitatem: quod tamen facile comprobatur eo quod redditam demonstramus. Nam ab initio creationis usque ad damnationem mortis, recte omnia Deum fecisse cognovimus. Videtur tamen Dei propositum factum hominis exclusisse; cum ipse fecit ut sint; evenit autem non ut sint, ob culpam. Quod si in tantum res steterit ut non sint, victum est eius propositum qui fecit. Adquin (b) si revertitur, convincitur peccatum ex revocatione, et in id ipsum restituitur res, ad quod facta est; ut vincat Dominus facta hominis, et non vincatur. Et possibilitas eius etiam hoc requirit ut omnipotens ostenderetur. Si enim est aliquid quod non potuit, possibilitas eius diminuta excludit omnipotentiam: omnipotentia autem omnia praevalet: et cum omnia praevalet, etiam in hoc ipso praevalere necesse est, ut qui fecit ex nihilo, revocet ex morte.

XV. Oportebat itaque reverti nos ad id quod fuimus. Sed quemadmodum, requiramus. Damnatus est ille primus ingratus, qui vocatus ad paenitentiam, non obaudivit. Vixit tamen postea tempus aliquod post sententiam, eo quod praesentia sua Deus providebat ex his ipsis iustos esse procreandos: neque iustum erat mox solvi, quod spem iustos habuit generandi: et qui iusti generantur, non naturam peccasse, sed voluntatem, ostendunt; cum isdem (c) parentibus constituti servent ipsi mandata: nec naturalis substantiae pars voluntas, sed motus; motus tamen tamquam index (d) cogitationum aliquo sociando (e). Hii vero iusti, de quibus diximus, isdem parentibus in natura; moribus eis dissimiles, paenitendo. Ac iustitia deposcit non paenitentem, praeterire; donare paenitenti. Paenitentiae ordo ita procedit, ut habeat effectum, per quem placendo Deo, de possibilitate eius sperando, gratiam petat. Petitio in absolutionem (f) suum creatorem vocat; nec alium sequitur donare revocando, nisi cum

(a) Codd. *haec*. (b) *Adquin* pro *atqui*. (c) Ita codex antiquior pro *iisdem*. (d) In codd. videtur *iudex*. (e) Ita prorsus codd. (f) Codd. *absolutione*.

qui fecit. Si enim ipse fecit ut sint, evenit autem ut non sint, melior erit qui reparat in aeternitatem, quam ille qui fecit quod cecidit. Ergo ipsum renovare, expetit (a) Deo creatori; quique fecit ex nihilo revocat etiam ex mortuo. Hic invocatur ut praestet docturus, quemadmodum gratia praestanda conservetur, ne tam magnum donum amittatur: iterum sic ut sentiens homo se liberatum sententia praesentis, sicut ante damnatum, distet conversatione, qua usus, imitando Deum, veniat ad deitatem; et quam ante sibi usurpatam per arborem esse putavit deitatem sine Deo, hanc ipsam accipere possit a Deo. Quia et " ego dixi, dii estis et filii excelsi omnes; vos autem sicut homines mo-„ riemini, et sicut unus de principibus cadetis „. Hic qui queritur amisisse eos, quod dixit; nec ante livore abstulisse deitatem comprobatur: et qui questus est, id ipsum donare venit, quod amisimus, rogatus; ostendendo se, adloquendo, donando, revocando.

XVI. Offendit tamen aliquos, quod in corpore: cum non aliter visus esset hominibus, nisi corpore; neque sui conservationem videre possent, nisi corpore: immo nec aliter a damnatione mortis liberare debuit, quam corpore; ut istud ipsum (b) liberatum ostenderet, quod perierat. Sed quemadmodum, videamus. Mulier prima peccavit: peccavit autem cum esset virgo. Haec causa fecit postea natos omnes esse mortales. Virgo enim excepit sententiam, qua cum mortalis esset effecta, mortales ceteros procreavit. Por hanc virginem mors dominata est. Propter quod per virginem debuit venire qui vitam donaret. Mortis occasio ingressa per lignum: sed mulier ex latere viri. Ideo ligno latus Domini percutitur, ut et pro muliere patiatur. Et non totum latus mulier, sed portio lateris: una enim ex costis sumpta, aedificata est. Ideo non omne latus aperitur, sed locus ipse lateris stimulatur, unde accepta est. Spinas et tribulos sententiâ damnationis terra produxit: ideo spinis et tribulis coronatur: spinarum substantia, maledictum. Erat côrona forma victoriae: itaque per quae coepit esse peccatum, per haec transeundo Dominus triumphavit.

XVII. Humana inspicientibus impossibile videtur esse quod dicitur, ut qui nasci debuit, contra naturam nasci praedicetur ex virgine; cum hoc in humanam rationem non cadat, ut praeter ceteros ita nasceretur, et sit ex matre filius sine patre: cum tamen maxime hoc ei conveniat, ne terrenum patrem habeat qui habet patrem caelestem. Nec negare patrem suum venerat, ut ex alio nasceretur; sed quod deerat in natura gignentis (c), mater ei sit virgo. Nec sub ista conditione nostrae generationis teneri debebat omnium procreator; cum etiam primi auctores non ex coitu sint generati. Multa quoque genera sunt in saeculo gignentium quae sine coniugio clam multis modis generantur. Conceptus vero ratio, caste inspicienti, possibilis. Ex spiritu sancto praedicatur natus esse qui sanc-

(a) Idest *compotit*. (b) Codd. *ipsud*. (c) Codd. *gignantis* heic et infra.

tus est; nihil incredibile. Sed inquinari sanctitas eius videtur ex permixtione; cum non sit permixtio. Interroganti enim virgini et causas conceptionis requirenti, angelus Gabriel ait: " spiritus sanctus superveniet super te, et virtus altissimi obumbrabit te „: nec in utroque commixtionem nominans; sed superventu spiritus, virtute altissimi, coagulatur natura; ut quod in aliis semen efficit, adiungendo sanctius, ut decet Deo, per incontaminatum corpus virginis nasceretur.

XVIII. Nec incredibile hoc cognoscitur, cum in ipso saeculo sic constringi plurima cognoscimus; cum mare transeuntibus Iudaeis virga percussum, violenter quidem mare dividitur; undas vero ventus, spiritus mundialis, constrinxit, ut scriptura demonstrat, quae sic dicit: " extendit Moyses „ manum super mare: et induxit Dominus mare in vento austro valido tota noc- „ te: et fecit mare siccum; non utique evacuatum aqua sed constrictum. Dicit enim: " et divisa est aqua; et intraverunt filii Israhel per medium mare „ per siccum; et aqua illi murus erat dextra atque sinistra „. Ita constrictum docetur, quod per austrum effectum est. Nec non et propheta psalmographus David de hoc ipso signo interpretando ait: " disrupit mare, et traiecit eos; sta- „ tuit aquas sicut utrem „. Ac siquis per infirmitatem animi sui, duritiam cordis sibi parando, probamentis istis non credit, vim ventorum inspiciat, et auras mundiales hoc ipsum operantes intellegat, quae pluvias decurrentes in stilicidiis ita constringunt, ut in ipsis lapsibus glacientur. Quid oportet enumerare cetera quae ex uvido constituta, supradicta vi adsolidantur? Nec diu morari necesse est, cum plus adsertionibus nostris rerum clament effecta, quae cum Deo instituente eveniunt in natura, quanto magis in adventu suo tam necessario, in conformationem adsumendi corporis per spiritum sanctum stringi potuit corpus virginis, de quo fluere sperabatur?

XVIIII. Quod quidem (a) aliquibus immundum esse videtur, recte autem inspicientibus ita mundum probatur. Ante corporis fluxum pars adhuc corporis constituta, totoque commixta atque concreta, nomen immundi non recipit cum vivit. At cum (b) defluxerit, et ex illo mortuum effectum fuerit, tunc immundum et mortuum; quod iam alienum est a natura, neque vivificari potest: quod dum in natura est, concretum et coagulatum generat, non immundum. Ita nec immundum illud fuisse, veritas invenit. Quod si et immundum dicentes patiamur, nec sic tamen contaminari sanctitatem ab immundo potuisse declaratur; cum solem, quem creaturam eius negare non possumus, sic immunda sordium, sentinas paludium, putredines caeni, astringere videamus, ut cum vim suam per radios super haec emittat, non tamen polluatur. Quod si in his sordibus non polluitur creatura, multo minus (c) in vivo (d) sancto, quia (e) corpore divinitas ipsa non polluitur.

(a) Codd. *quodidam idem*. (b) Codd. *adquin*. (c) Codd. *mgis*. (d) Ita codd. (e) Codd. *que*.

XX. Nunc manifestata necessario (a) sancta et incontaminata nativitate per corporis formam, in qua adesse salutis nostrae *ratio* poscebat, superest ut probetur cur ad similitudinem nostram parvulus natus creverit, esurierit, manducaverit, sitierit, ceteraque officia corporis susceperit, ita ut et mortem, et tam turpem mortem, pateretur: post quam mortem (quod incredibile est repugnantibus) sepultus, resurrexisse dicatur. Et quidem qui in carne veniebat salvator carnis, quod nostram debuit suscipere non alienam, manifestum est: alienâ enim susceptâ, salus ad nos non pertinebat. Nostra quoque suscepta carne nasci parvulus debuit ex virgine: nec enim virum consummatum per virginem nasci oportebat, quod sic docetur. Dicebatur natus, natus tamen non probabatur: quomodo enim vir consummatus nasci per virginem poterat? ut quem parvulum non creditis natum, multo magis virum editum non crederetis.

XXI. Parvitas tamen eius quam divina sit, agnoscamus. Conceptus est homo, sed sine origine humani seminis. Natus est sicut homo, sed ex virgine, quod est sanctum. Ignobilis et deformis, sed gloriosus: in natura infans positus in cunis, sed rex ab angelis, et filius Dei nunciatus: salvator humani generis, caeli terraeque sociator gloriae, et pacis effector. Hoc apertissime pastores edocentur. Scriptum est enim ita: " factum est autem cum essent illic (dicit autem in Bethelem) impleti sunt illi dies ut pareret (idest „ Mariae); et peperit filium suum primogenitum, et obvolverunt eum et col- „ locaverunt illum in praesepio, quoniam non erat locus in stabulo. Pastores „ autem erant in regione illa pernoctantes et custodientes nocturnas vigilias „ super greges suos. Angelus autem Domini stetit, et claritas circumfulsit illos, „ et timuerunt timore magno: et dixit illis angelus, ne timueritis; ecce enim „ adnuntio vobis gaudium magnum, quod est omni populo; quoniam natus est „ vobis hodie salvator, qui est Christus Iesus in civitate David. Et hoc vo- „ bis signum: invenientis infantem involutum pannis et positum in praesepio. „ Et subito facta est autem cum angelo multitudo exercitus caelestium lau- „ dantium Deum et dicentium, gloria in excelsis Deo, et pax in terra homi- „ nibus boni decreti „. Unus angelus enunciat nativitatem, quod hic, qui parvulus erat ante saeculum natus est nobis hodie, quia hominibus esse tunc coepit. Ac ne eorum rex tantum adnuntiatus videatur, quibus dictum est " natus est vobis hodie „ angelorum exercitus concurrit, et dicit " gloria in ex- „ celsis Deo, et pax in terra hominibus boni decreti „. Apparuit haec eius gloria in caelo, et pax in terra hominibus boni decreti ab angelis nuntiatur. Utrum nostrae infantiae similis videatur, advertitis an (b) non?

XXII. An mirum est angelos regem enunciasse, quem sciunt magi quoque in terra longinqua positi? Cum signum illis apparuisset e caelo, et intellexerunt natum, et diu quaesitum adinvenerunt, inventum adoraverunt. Cuius stellae signum

(a) Codd. *necessaria*. (b) Codd. *aut*.

cetera stellarum praeibat insignia: stella enim quae nativitatis dominicae index fuit, non ut ceterae lucebat in tenebris, sed per diem refulgebat in sole; et sole et die in splendore superato; non quasi quae fixa esset in caelo, sed praecedens specie mira magis ad inquisitionem Domini pergentibus viam in itinere demonstrabat. Denique ibi supra domum constitit, ubi esse quem adnunciabat, ostendit. Quod scriptura testatur: " nato autem Iesu in „ Bethlem Iudae in diebus Herodis regis, ecce magi venerunt ab oriente „ Hierusalem dicentes, ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stel- „ lam eius ad orientem, et venimus adorare eum „. Quem parvulum magi eum vidissent adoraverunt ut regem, ut hominem, ut Deum; et munera obtulerunt, e quibus muneribus etiam passurus denuntiabatur. Tus enim obtulerunt ut Deo, aurum ut regi, myrrham passuro. Talis infantia divina cognoscitur, nutritur, et educatur! Sed sine doctore omnia sciens. Mirantur hoc Iudaei cum viderent litteras scientem sine doctrina; dicentes: " quomodo iste „ litteras scit, qui non didicit „? Quod sciret, confitentes; et quod non didicerit, non negantes, unde tamen hoc haberet, non comprehendentes. Iudaeorum doctoribus cum loquitur, doctor doctorum invenitur. Qui cum adhuc parvulus fere annorum XII sederet in medio magistrorum, doctrinam eius cum stupore mirabantur doctores. Ita enim scriptura dicit: " et omnes, qui audiebant „ eum, admirabantur prudentiam eius et responsa. Haec scripturis probantur, physicis vero rationibus amplius invenitur: Deus enim in homine natus, talia insignia infantiae suae debuit demonstrare.

XXIII. At vero causam adventus eius si requiras, hominem iterum apparere oportebat. Latere debuit tanta divinitas non eos qui credebant (a), sed principem mundi, in cuius oppressionem (b) descenderat, sed nostrae causa liberationis. Is enim non ex auctoritate sua, sed ex sententia dominica tenebat, quia iusserat peccatorem, qui non paenituit, mori. At vero paenitentem liberare debuit misericors. Hoc iustitia, hoc possibilitas divina poscebat, ut qui ex sententia tenebat reum, si non reum caperet, praetereundo sententiam, amitteret potestatem. Nemo autem non reus, cum et origine et natione sint ex mortalibus. At is qui natus est, ipse dedisse sententiam probatus est; qua sententia ipse reus non tenetur, qui cum susceperit carnem, sine peccato inter homines conversatus est. Sicut scriptum est: " hic Deus noster, et non deputabitur alius absque eo. Invenit omnem viam „ prudentiae, et dedit eam Iacob puero suo. Post haec in terris visus est, et „ cum hominibus conversatus est (1) „. Hic est, qui conversatus est sine peccato; ut iterum scriptum est: " qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in

(a) Codd. *credant.* (b) Codd. *oppressione.*

(1) Baruch. III. 36. sqq. Et notemus antiquissimam Victorini nostri auctoritatem pro divina Baruchi prophetia.

„ ore eius (1)„. Hanc carnem sine peccato produxit: quam mundi huius princeps adversantem sibi praevidens, neque suis voluntatibus inclinatam, hominem tantum aestimans, invadere ausus est permittentem. Permisit autem Dominus, ut ipse sibi princeps causa sit amittendi; qui cum reos ex sententia sibi vindicasset, usurpando hunc qui reus non erat, contra sententiam veniens quam (a) tenebat, amitteret (b) potestatem. Ita rationis fuit officia corporis agere, ut ipse quidem eamdem esse carnem ostenderet, quam susceperat, eam quae ante damnata est: ille vero carnis officia videndo, non intellegeret deitatem, ac sic contra sententiam Dei veniens, perderet potestatem; quia adpetere ausus est, quem sine crimine pervidebat.

XXIIII. Hac ergo causa factum est, officia quidem carnis ostendere, non tamen ipsis officiis esse subiectum. Ut carnem veram probaret, esuriit; non ut victus ieiunio manducaret. Denique cum ad probationem nostrae carnis ultra possibilitatem naturae XL. dierum et noctium spatio ieiunasset, invenitur quidem esurisse, non etiam manducasse; ita sciptura dicente: " et consummatis XL. diebus et XL. noctibus, postea esurivit „. Non tamen manducavit; esurivit autem. Quod ob (c) hanc causam manifesto factum est, ut quia XL. diebus, quibus continuis in eremo adversum Dominum tentationibus suis diabolus pugnans superatus fuerat, non esset (2); et ut ne, intellegendo Deum, diffugeret; ne perirent tam necessaria beneficia passionis suae, esurivit. Quem mox infirmum putans, iterum ut hominem aggressus est, dicendo ei, ut vel propter necessitatem sui corporis lapides in panes converteret: quique (d) nec fecit nec manducavit. Ita esurivit ob causam; non tamen subiectus est causae. Et non tantum in hoc loco, sed etiam discipulis offerentibus esurienti panes, ac dicentibus, Rabi manduca; respondit: " ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui me misit, ut perficiam opus eius „.

XXV. Sitivit, ut per sitim naturam corporis demonstraret; non quod poculis indigeret, cum ipse sit fons aquae vivae. Denique Samaritanam, ubi sitisse invenitur, cum aquam postulasset, atque illa iudaeum aestimans non dedisset, obtulit mulieri aquam per quam sitim perpetuo satiaret, sicut scriptum est: " Iesus sedebat super puteum; et fuit hora quasi sexta; et venit quaedam mulier samaritana haurire aquam. Et Iesus sedebat; et Iesus dixit ad eam: da mihi bibere. Abierant enim discipuli eius in civitatem ut emerent escas. Mulier tamen respondit ad Iesum dicens: tu, cum sis iudaeus, quomodo petis a me bibere, cum sim mulier samaritana? Et Iesus respondit illi: si scires donum Dei, et quis est qui tibi dixit da mihi bibere;

(a) Codd. *per quam*. (b) Codd. *admitteret*. (c) Codd. *ad*. (d) Mallem *qui quidem*.

(1) I. Petr. II. 22. (2) Id est *cibum non cepisset*.

„ tu magis petisses eum, et dedisset tibi aquam vivam. Et dixit illi mulier: Do- „ mine neque urceum habes, et puteus altus est; unde habes aquam vivam mihi „ dare? ne tu maior sis patre nostro Iacob, quoniam ipse dedit nobis puteum „ de quo bibat cum filiis suis et cum pecoribus suis. Et Iesus respondit ad „ illam: omnis qui ex aqua ista biberit, sitiet iterum: qui autem biberit ex a- „ qua, quam ego dedero illi, non sitiet in aeternum; sed erit fons aquae salien- „ tis in vitam aeternam „. Ergo non sitierat accipere, sed dare, qui divinam (a) promittendo dedit. Ita ut relicta hydria sua mulier, oblita sitis veteris, Samariae ceteris Samaritanis adventum ipsius praedicaret. Hoc sitiebat Dominus docere mulierem, quam iam sciebat esse paratam: non aquam terrenam petens, sed ex petitione dans aquam vivam, quae fontem fecit salientem in vitam aeternam.

XXVI. Sitivit iterum in cruce Iesus, et exclamavit " sitio „. Sed causa sitis eius haec fuit. Crucifixerant eum, nec tamen sic erant satiati: adhuc habebant peccare: et cum in poena positis etiam malis hominibus communis naturae affectus misericordia debeatur; huic, cuius in curandis infirmitatibus beneficia senserant, quemque sine crimine adpetissent, contra naturalem misericordiae motum etiam post crucem insultabant; in tantum impleti spiritu furoris, ut sitientem potarent aceto. Et qui prompto animo passionem suscepit, nec hoc invitus accepit: et quantum illi audaciores ad inferenda supplicia, tantum ille ad suscipiendam iniuriam mitis: quorum malitiae opera aspiciens necdum esse completa, exclamavit " sitio „. Qui ad cumulationem iniuriae, acetum dederunt: non tamen ipse ut acetum ingererent, provocavit; sed quod illi ei dederunt, sponte suscepit. Talis Domini sitis. Denique accepto exclamavit " consummatum est. „ Et continuo reddidit spiritum „. Dormivit etiam Iesus, non somno victus ut videretur, sed ut esset ordo virtutis faciendae. Dormivit enim ut incitaretur mare, ut discipuli timentes postularent auxilium, ut impleretur prophetia David quae in centesimo et sexto psalmo pronunciabat dicens: " adnuntientur opera eius „ in exultatione. Qui descendunt mare in navibus, qui faciunt questum in aquis „ multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia eius in profundo. Dixit et „ stetit spiritus potestatis, et exaltati sunt fluctus eius „. Quod autem is dispensationem omnem, ita gerendo, compleverit per mortem, ascensurusque esset ad caelos, ilico (b) subiunxit dicens: " ascendit usque ad caelos, et descendit usque ad abyssos „.

XXVII. Et hoc tamen licet a divino spiritu dictum credendum est; tamen, ut cetera, etiam hoc physicis rationibus paucis comprobemus (c). Liberatos a morte passione dominica nos iterum ad immortalitatis statum perduxit; ac nos prius caelesti impares, nunc caelestibus sociavit. Quibusdam tamen hoc videtur iniustum; non quia non potest Deus, sed quia iustitiae suae non con-

(a) Vel intellige *aquam*; vel scribe *divina*. (b) Codd. *loca*. (c) Codd. *comprohemus*.

venire videatur, cum protoplastum culpa adhuc vacuum et a crimine alienum, paradisi tantum dominum praestitisset, hoc donum Dei competens indicando; nunc post peccatum offensionemque revocato, cum non esset parum ad id redisse quod fuerat, et caelestia regna concesserit. Quod tamen iustissimum comprobatur. Si enim prius gratia sua, nullis devotionis officiis promerenti, paradisi sedem homini concesserat; utique nunc contra impatientiam carnis ac desideria iniquitatis iam mota, contra mundi principem et potestates eius repugnantem, saeculo calcato; caeleste praemium oportuit repensare; ut et is qui, imitando Deum, vitam divinam in terris habuit constitutus in corpore, cum eodem corpore iam immortali facto caelos habitaret, iam terrenis sublatis. Deinde ad huius muneris causam illud accedit, quod dignum est carnem hominis caelis inferre, cuius habitator Deus esse dignatus est: nec potest videri hominem contra meritum factum esse incolam caeli, cuius vaginam non dedignatus sit spiritus ipse Deus: iustumque fuit corpus, in quo Deus habitando, terram visitare dignatus est, per quod particeps nostri ad immortalitatem genus nostrum perduxit, etiam in caelestibus collocare. Ubi namque Dei habitatio esse debet, nisi in regno Dei? Ubi autem regnum eius nisi in caelis?

EXPLICIT DE PHYSICIS

LIBER.

DE FERRANDI EPISTULA
ET DE CODICIBUS VARIIS
NOTITIA.

Rmos dominus Octavius Frangipanius, casinensis monachus, atque in celeberrimo Casini montis monasterio diplomatici archii praeses et antiquarius, misit ad me Ferrandi diaconi carthaginiensis, qui ruspensis Fulgentii discipulus familiarisque fuit, peramplam tractatus instar nobilemque epistulam adversus Arrianos aliosque ex his propagatos haereticos, cuius nonnisi breve interpolatumque fragmentum in Ferrandi editionibus extare cognoverat, ipse vero textum integrum prolixum ac genuinum in casinensi codice, longobardicis litteris circa saeculum XI. exarato, ante hos annos invenerat. Causa mittendi fuit, quod ego propediem fragmenta quaedam arriana editurus ac refutaturus, rogavi per litteras doctissimum praedictum monachum, an forte mihi ex ea epistula (de qua mecum olim collocutus fuerat) argumenta aliquot impertiri vellet, quae ad confirmandam veritatem catholicam vel nova vel certe idonea viderentur. Is autem pro sua erga me benivolentia, studio erga doctrinas sacras, ferventique religionis amore, epistulam ipsam ultro obtulit ac largitus est; meque magnopere, datis litteris, impulit, ut eam typis sine mora committerem. Atque huius praestantis muneris non a me solum, sed ab eruditis cunctis lectoribus, gratiam illi haberi necesse est, qui huno meritis suis cumulum addidit, postquam novos s. Augustini sermones X, in casinensi codice a se item repertos, doctisque curis expolitos, Romae vulgavit. En igitur ut codices casinenses nova sacris studiis subsidia, novas ecclesiae horreo fruges suppeditant. Sane ex eo copiosissimo atque omnium prope antiquissimo archio (ne quid dicam de inscriptionum nummorumque veterum casinensi sylloge) quis non optimos fructus expectet? Mihi certe ipsi qui in casinensi hospitio, cum suavissimo itineris comite et eruditarum vestigationum socio, v. cl. Iosepho de Matthaeiis, quatriduo commoratus sum, et RR. monachorum humanitatem summam expertus, non pauci insignes codices ab archii praeside demonstrati fuerunt, quorum nonnullos commemorabo.

Cod. 29. *saec. X. Auxilii presbyteri lexicon ingens latinitatis. Lexica item antiqua sunt in codd. priscis* 218. 439.

30. *saec. XI. Auxilii presbyteri quaestiones in vetus Testam. ined.*

124. *saec. XI. Iosephi historia cum testimonio de Christo in contextus corpore.*

204. *saec. X. S. Cypriani opera, praesertim epistulae.*

299. *saec. IX. Hilderici monachi casinensis ampla grammatica latina ined.*

316. *saec. VIII. vel IX. Synonyma Ciceronis. Ea differunt quidem ab editis, sed Ciceronem auctorem prorsus non habent. Extat apud me apographum, benignitate praesidis concessum.*

318. *saec. X. Iohannes presbyter de musica.*

346. *p.* 123. *b. sqq. Commentarius in Pauli apostoli epistulas, editus inter spuria Ambrosii scripta, in hoc autem codice Origeni auctori inscriptus, non sine segmentis ineditis permultisque varietatibus. Scriptura similis symmachianae a me in aere cusae, id est saeculi VI. Immo vero inest memorabilis haec subscriptio.* Donatus gratia Dei ·PR· proprium codicem Iustino augusto, tertio post consulatum eius in aedibus beati Petri in castello lucullano infirmus legi, legi, legi.

349. *saec. IX. Pauli diaconi, casinensis monachi, commentarius ined. ad Pauli apostoli epistulas. Alia quoque Petri huius inedita opera in archio casinensi latent.*

391 *saec. IX. Solini historia. Haud porro memini notam numeralem codicis virgiliani, in quo cl. praeses archii expletos legit plerosque illos versus qui in aeneide hiant, v. gr. hunc:* DISCE OMMES *QUAM SINT ANIMIS VERBISQUE DOLOSI.*

455. *Statius perantiquus.*

503. *Bibliorum hebraicorum exemplar decorum vetus.*

552. *p.* 103. *b. Fragmentum vulgari Italorum lingua scriptum in codice, ut videtur, saeculi XI.*

554. *saec. VIII. Collectio canonum partim ineditorum.*

548. *p.* 38. *seq. Praeceptum Caroli magni, qui confirmavit ecclesiae rom. omnia infrascripta. Incipit. « Adrianus papa obtinuit a Carolo rege Francorum „ et patritio Romanorum, ut promissionem illam quam eius genitor Pipinus quon„ dam rex, et ipse praecellentissimus Carolus etc. Urbes donatae numerantur hae. « Ravenna, Ariminum, Pensaurum, Conca, Fanum, Cesena, Senagallia, Esis, Forum populi, Castrum Subsubium, Monsferetri, Acerancio, Monsrogati, Sorra, Castellum s. Martini (s. Marini?) Bobium, Orbinum, Callis, Luciolis, Eugubium, Cobiacrum, civitas Narnia, Faventia, Castrum Tiberiacum, Gabellum, et omnis ducatus Ferrariae.— Extat in regesto Petri diaconi et monachi casinensis.*

737. *Historia urbis Caietae. Item in alio volumine codex magnus diplomaticus Caietae. Item in aliis codd. historiae duae oppidi* Ponte Corvo.

Palimpsestorum codicum in archio casinensi mediocrem vidi numerum, nec plurimi ut arbitror faciendorum. In his animadverti codd. 53. 197. 271. 295. 394. 468. 446. 506. 560. *Iam ut de uno vel altero pauca dicam; codex palimpsestus* 271. *continet in antiquiore sepulta scriptura sacri argumenti fragmenta varia non uno litterarum genere scripta. Pag.* 19. *b. legebam Ezechielis cap. XVIII.* In diebus illis factus est sermo Domini ad me dicens, quid est quod inter vos parabolas. *Pag.* 23. *b. notae sunt aliquot tyronianae. Pag.* 24. *a.* Pax vobis, ego sum, nolite timere. *Pag.* 32. *a. Est canon missae litteris saec. VI, qualem nunc habemus. Legebam* per omnia saecula saeculorum . . . sursum corda . . . gratias agamus domino Deo nostro . . . aequum et salutare nos tibi (semper) et ubique gratias agere etc. *Pag.* 41. *b. litteris aeque antiquis legebam precationem, adhuc in nostra liturgia ad verbum superstitem:* Deus qui nos annua apostolorum tuorum sollemnitate laetificas, praesta quaesumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis.

Per *etc. Item pag.* 46. *a.* Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut qui beati illius martyris tui natalitia colimus *etc. Pag.* 79. *fin.* dominica V. *Pag.* 1 — 8. 10 — 11. — 14. 17. 21 — 33. 38. 50. 53. 56. 58. 61. 63. 73. 74. *etc. legebam commentarium in psalmos litteris pervetustis, quem esse Augustini admonuit me deinceps per litteras v. cl. archii praeses.*

Cod. 295. *habet in antiquiore sepulta scriptura Cassiani collationes, litteris saeculi VII.*

Casinenses codices septingenti nunc ferme remanent, plerique omnes latini, cum olim multo plures extiterint. Sed enim membranarum diplomaticarum longe maximus numerus est, nempe triginta circiter mille; eaeque in pluteis scite decenterque sunt ordinatae. In his numerantur romanorum pontificum bullae ineditae quadringentae, a Zacharia I. usque ad nostram aetatem.

Extat in bibliotheca vaticana index codicum casinensium ad Clementem VII qui hunc expetiverat, ab Abbate casinensi eius temporis non sine aliquot, ut puto, codicibus missus: quem cum legerem, magnopere me commovit p. 9. mentio hilarianorum librorum de mysteriis, et in epistulas septem canonicas, ineditorum. Verumtamen haec exoptabilia Hilarii opera in casinensi archio superesse iam non videntur; neque enim studiosissimis illis monachis incognita essent. In eodem vaticano casinensium codicum indice p. 14. b. recensetur Cresconii Corippi opus de bellis libycis, ut olim observavit etiam Fogginius praef. ad Corip. paneg. p. 395. Atque hoc poema, multis tamen partibus motilum, nuper primus e trivultiano codice edidit vir cl. Petrus Mazzuchellus, sodalis meus, et ambrosianae bibliothecae Mediolani praefectus. Equidem quaesivi sedulo hunc poetam in casinensi archio, sed frustra fui; quamquam Montfauconii aetate adhuc forte superierat, quoniam ipse bibl. mss. in casinensi codice 533. ait extare *poetam aliquem sibi ignotum*. Nunc certe cresconianus codex intercidit. Iam quod ait Montfauconius cod. cas. 489. contineri librum charactere sibi ignoto, videlicet is turcicus quidam codex est.

Post archium casinense, menti meae occurrit Cavensis monasterii prope Salernum perinsigne item archium, ubi horae ferme spatio mihi commoranti venerabilis aetate et doctrina casinensis ordinis monachus archii praeses narrabat de quadraginta, si bene memini, membranarum diplomaticarum millibus, quarum etiam nonnullas oculis subiiciebat; in his chartam cavensium antiquissimam anno quinto Grimoaldi ducis nucerini exaratam; diploma item cavensium nobilissimum Guaimarii III. ducis salernitani anno MXXV datum, quo donatur fundus ubi nunc monasterium est. Codicum in cavensi bibliotheca perpusillus numerus est. In his vidi s. Ambrosii in Lucam commentarium, saec. XI: s. Isidori origines, saec. ferme VIII: s. Gregorii pastorale, non sine deletitiis, id est palimpsestis, foliis, in quibus tamen nihil praestans latitare arbitrabar; sed quominus rem studiosius cognoscerem, angustiis temporis sum prohibitus: commentarium in psalmos litteris longobardicis saec. XI. Sed enim, ut alias res, ita etiam mss. codices non numero, sed qualitate ac merito, aestimare debemus. Ecce enim in cavensibus pluteis codex pretiosissimus ostensus mihi fuit latinorum veteris novique Testamenti bibliorum, cui parem aegre invenies. Is codex saeculo cir-

citer VII. exaratus, a genesi usque ad apocalypsim sine ulla imperfectione pertingit. Quin adeo Hieronymi quoque psalmorum ex hebraeo interpretatio in codicis calce subtexitur; verum haec una imperfecta est, quia in psalmo CXXVII. abrumpitur. Singulis libris prologi praepoonuntur Hieronymi maioribus litteris scripti. Hunc codicem dum festinatim evolverem, haec observabam 1. Inest psalmus CLI. 2. Item insunt sub asteriscis hymnus trium puerorum, historia Susannae atque draconis babylonici. 3. Baruchus cum Hieremiae epistula in calce minorum prophetarum ponitur. 4. Estheris aliquot loci sub asteriscis scribuntur; iodicia etiam de quibusdam libri huius partibus manu vetere interponuntur. 5. Actus apostolorum post epistulas apostolicas collocantur, hique soli scholiis brevibus interdum illustrantur. 6. Esdrae et Maccabaeorum nonnisi duo priores authenticique libri in codice occurrunt.

De visis a me codicibus in Cryptae ferratae monasterio, demonstrantibus benigne basilianis graeci ritus linguaeque monachis, et de palimpsestis multis ibidem conservatis, alio fortasse tempore locuturus sum.

Sed gratum apprime lectoribus me facturum existimo, si catalogum operom ineditorum celeberrimi et summi inter Assemanios Iosephi Simonii de scheda evulgavero ex heredibus eius, ut audio, excepta.

Opera omnia Iosephi Simonii Assemanii, quae mss. extabant ante incendium fortuitum eius et Stephani Evodii archiepiscopi Apameae supellectilis et bibliothecarum (1), quod incendium in cubiculis vaticanae bibliothecae adnexis die trigesima augusti MDCCLXVIII. contigit. Opera omnia incepta vel absoluta.

BIBLIOTHECA ORIENTALIS (2).

Tom. V. De syriacis et arabicis sacrarum scripturarum versionibus.

Tom. VI. De libris ecclesiasticis Syrorum.

Tom. VII. De conciliorum collectionihus syriacis.

Tom. VIII. De collectionibus arabicis.

Tom. IX. De scriptoribus graecis in syriacum et arabicum conversis.

Tom. X. De scriptoribus arabicis christianis.

Tom. XI. et XII. De scriptoribus arabicis mahometanis.

KALENDARIA ECCLESIAE UNIVERSAE (3).

Tom. VII. Kalendaria vetusta Graecorum.

Tom. VIII. Eadem Syrorum Maronitarum, Iacobitarum, et Nestorianorum.

Tom. IX. Eadem Armenorum.

Tom. X. Eadem Aegyptiorum et Aethiopum.

Tom. XI. et XII. Eadem Latinorum.

ITALICAE HISTORIAE SCRIPTORES (4).

Tom. V. et VI. De antiquis rerum neapolitanarum et sicularum scriptoribus.

Tom. VII. et VIII. Anecdota rerum neapolitanarum et sicularum monumenta.

(1) Hoc incendio acervus etiam exemplarium absumptus est catalogi impressi codicum hebr. et syr. vatt., nec non tomorum quatuor priorum bibliothecae orientalis; quo fit, ut rara iam exemplaria horum operum praestantissimorum sint, aegreque a studiosis reperiantur.

(2) Volumina priora quatuor extant edita.

(3) Tomi sex priores extant item editi.

(4) Extant editi tomi quatuor priores.

Subiiciuntur alia huiusmodi ad res italicas spectantia, nimirum ad regnum longobardicum, Ducatus romanum, spoletinum, foroiuliensem, Tusciae etc.

DE SACRIS IMAGINIBUS ET RELIQUIIS.

Tom. I. De sacris imaginibus musivis, pictis, et anaglyptis, quae in vetustis orientis et occidentis ecclesiis servantur.

Tom. II. De sacris imaginibus, quae in antiquis mss. codicibus latinis, graecis, et orientalibus adservantur.

Tom. III. De sacris imaginibus D. N. Iesu Christi.

Tom. IV. De sacris deiparae Virginis imaginibus in oriente et occidente cultis.

Tom. V. De sacris Palaestinae locis et venerandis reliquiis, quae ad Christum dominum et ad Virginem deiparam referuntur.

Excerpta ex huius operis tomo I. vulgavit Io. Bottarius in dissertatione de lateranensibus parietinis Nicolai Alemanni recusa Romae anno MDCCLVI: haud exigua pars ex incendio erepta.

Synodus antiochena Maronitarum a Iosepho Petro Gazeno patriarcha, eiusquearchiepiscopis episcopisque celebrata in monte Libano anno MDCCXXXVI, praeside Iosepho Simonio Assemanio Clementis XII. ablegato apostolico, qui eandem synodum arabice composuit, et latine reddidit. Latinum exemplar a Benedicto XIV. approbatum et confirmatum extat in archio s. congregationis de propaganda fide: arabicum vero ad archetypum collatum, quocum concordare testantur eiusdem synodi patres, quorum subscriptiones et sigilla in calce occurrunt, servatum est ex incendio.

EUCHOLOGIA ECCLESIAE ORIENTALIS

complectentia ritus et ordines divinae liturgiae, officiorum, sacramentorum, consecrationum et benedictionum, additis doctorum utriusque ecclesiae opusculis nondum editis, in septem libros distribnta.

Liber I. Euchologium ecclesiae syriacae Maronitarum.
- II. Ecclesiae syriacae Iacobitarum.
- III. Ecclesiae syriacae Nestorianorum.
- IV. Ecclesiae graecae Melchitarum.
- V. Ecclesiae Armenorum.
- VI. Ecclesiae aegyptiscae Coptorum.
- VII. Ecclesiae aethiopicae Abyssinorum.

CONCILIA ECCLESIAE ORIENTALIS

sex in tomos digesta, quorum plurima vel integra, vel magna ex parte in lucem exeunt ex mss. codicibus orientalibus.

Tom. I. Concilia ecclesiae syriacae Maronitarum.

Tom. II. Chaldaeorum, seu Nestorianorum.

Tom. III. Syrorum Iacobitarum.

Tom. IV. Coptorum.

Tom. V. Armenorum.

Tom. VI. Graecorum, Albanorum, Ruthenorum.

SYRIA VETUS ET NOVA LIBRI IX.

Tom. I. Summaria totius Syriae descriptio.
Tom. II. De Palaestina.
Tom. III. De Phoenice.
Tom. IV. De Syria coele et euphratesia.
Tom. V. De Mesopotamia.
Tom. VI. De Assyria.
Tom. VII. De Cilicia.
Tom. VIII. De Arabia.
Tom. IX. De Aegypto.
Liber I. et IX. cum variis fragmentis ceterorum librorum ex incendio erepti fuere.

HISTORIA ORIENTALIS LIB. IX.

Tom. I. De Syris Maronitis.
Tom. II. De Graecis Melchitis.
Tom. III. De Drusis et Nazaraeis.
Tom. IV. De Mahometanis.
Tom. V. De Coptis.
Tom. VI. De Syris Iacobitis.
Tom. VII. De Aethiopibus sive Abyssinis.
Tom. VIII. De Syris Nestorianis.
Tom. IX. De Armenis.

Dissertatio theologica de validitate ordinis ab episcopis aegyptiis collato: nec non dissertationes aliae, relationes et vota in variis causis et dubiis Christianorum, praesertim orientalium, Iosepho Simonio Assemanio a ss. congregationibus de propaganda fide et s. inquisitionis commendari solitis: quae scripta extant in archiis earundem congregationum. Ea autem omnia in unum congesta, centum magna volumina minimum conficiunt.

Grammatica syriaca absolutissima arabice exposita, notis et vocalibus animata, ex incendio erepta.

Nunc ut e longiore diverticulo ad Ferrandi epistulam redeam, nihil eam opus est a me commendari, cuius praestantia et utilitas indubia est. Neque porro scholiis nisi paucissimis illustrandam putavi, quum per se ipsa sit illustrissima: neque demum ob aliquot lectiones, quae mihi omnino corruptae videbantur, novam codicis collationem postulavi, ne cuipiam molestus fierem; sed quatenus quidem menda scripturae erant, necessaria libertate emendavi. Scribitur epistula ad Eugippium lucullani monasterii apud Neapolim abbatem, et augustiniani thesauri auctorem, ad quem sancti quoque Fulgentii extat epistula.

FERRANDI

DIACONI ECCLESIAE CARTHAGINIENSIS

EPISTULA DOGMATICA

ADVERSUS ARRIANOS ALIOSQUE HAERETICOS

EX CODICE CASINENSI NUNC PRIMUM EDITA.

Domino beatissimo et debita caritate peculiariter honorando sancto fratri Eugippio presbytero Ferrandus exiguus in Domino salutem.

I. Unde subito sine propriis meritis amicitiae vestrae maximum solatium consecutus novo sancti spiritus munere prius merui dilectus esse, quam notus? quis indigno tale beneficium praestitit? quis in templo Dei mei, corde scilicet tuo, mansionem mihi desiderabilem praeparavit? Exultet animus, refloreat corpus, et dicant omnia ossa mea, vere gratia gratis datur. Haec prima vox mutuae salutationis ornet consacretque primitias. In hac gratulatione iacienda sunt epistularis fundamenta sermonis. Nihil brevius aut suavius dicitur, quando vestrae circa me Beatitudinis dilectio consideratur, nisi hoc quod fideliter dico, vere gratia gratis datur. Obsecro tamen per ipsam gratiam, quae gratis eligens inspirat tibi, quos diligas gratis, ne plus votis indulgeas, et maiora de minoribus ita credas, ut egregii pontificis admirabilisque doctoris Fulgentii, cuius aliquando me recolis fuisse sectatorem, putes nunc existere successorem (1). Mihi enim crede, veritatem fatenti simpliciter, licet soleant boni discipuli magistris optimis iudicari frequenter aequales, perhibente etiam Domino testimonium: "sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius „; inter me tamen et illum, cnius

(1) Obiit sanctus Fulgentius ineunte Christi anno DXXXIII, electus est autem Felicianus successor eodem anno desinente. Hoc intervallo tum ruspensibus civibus qui deliberabant de successore, tum etiam longinquis dignus honore illo videbatur Ferrandus diaconus, qui certe post Fulgentium princeps doctrina erat, et virtutibus etiam florentissimus. Praeter hanc epistulam, legesis vitam s. Fulgentii cap. ult., et Morcellium Afr. ch. T. III. ad praedictum an., et T. I. p. 265.

volui discipulus nuncupari per omnia sapientiae studia, difficile potest esse similis gloriae dignitas. Ille namque inter universos africani concilii sacerdotes scientiae specialis [a] amictus luce fulgebat, quia Christum Iesum verbis et operibus praedicabat: ego inter magnos et nobiles carthaginiensis ecclesiae ministros, parvus et ignobilis lateo; vix idoneus implere lectionis officium, quanto magis, dissolvendo aliquas quaestiones, praedicationis arripere ministerium! Ille, numquam bono deficiente proposito, ieiuniis continuis et orationibus vacabat, carnem suam quotidie crucifigens cum vitiis et concupiscentiis; ego miser infirmus a labore pronus ad vitia, multis adhuc variisque tentationibus iaceo subditus. Quomodo igitur me tanti viri suspicer imitari posse virtutes? Utinam, domine beatissime Frater, extrema saltem sequar vestigia praecedentis! utinam libros eius mellifluos vacet legere, contingat intellegere! Potius ibi veritatem disco, quam doceo; paratus semper patrum meorum sequi ac tenere sententias. Unde me vestra Beatitudo, si me parvulum nimis interrogationi tuae respondere desideras, interroga tamquam magister discipulum, tamquam senior iuniorem, tamquam doctus indoctum: interroga frequenter, interroga libenter, affectu docendi, non studio consulendi. Si sic interrogaveris, ego disco, tu doces: et nec mihi oberit in responsione verecundia, nec tibi deerit in responsionis examinatione iustitia. Sed sapiens interrogatio sapientis, magna fiet eruditio proficere cupientis. Ecce offero peritiae tuae discutiendam clementer ignorantiam et scientiam meam. Require sapienter interrogando, quid iam noverim, quid adhuc nesciam, quid emendare fortiter debeam. Nunc interim dignare considerare, quales habeat vires ab arriano Gothorum comite nuper proposita quaestio.

II. Sed prius, quid inter se sententiis vel dogmatibus differant Arriani et Catholici, deliberemus. Arriani volunt individuam Trinitatem praedicare, sicut scripturae praedicant unum Deum. Catholici verum praeceptum legis salubriter audientes: " audi, Israel; dominus Deus tuus, Deus unus est "; ne videantur sub unius Dei
Deut. VI. 4. religione fidem trinitatis excludere, tres personas unius substantiae praedicantes, ipsam trinitatem unum Deum simpliciter confitentur. Et de omni S. Trinitate dictum sapienter intellegunt " au-

(a) In apographo superadditur *spiritualis*, sive ea dubia lectio sit, sive varietas.

„ di, Israel; dominus Deus tuus, Deus unus est „. Arriani denuo patris et filii et spiritus sancti tres substantias praedicant; et ideo eorum potestatem dividunt, unitatem vitant, immensitatem minuunt, et per impios gradus ad errores pessimi praecipitii devoluti, maiori patri minorem filium subiciunt: minori autem filio inferiorem spiritum sanctum credunt. Catholici e contrario Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum, ne tres deos gentiliter inducere videantur, unius esse honoris, gloriae, magnitudinis, aeternitatis, divinitatis, aequalitatis, essentiae profitentur: et nemini alterum praeponere cupientes, de patre tamen filium natum, de patre et filio spiritum sanctum procedere sentiunt(1). Arrianos si interrogare volueris, unde filius sit, timent dicere de patris essentia, ne gignentis et geniti probetur una divinitas, et confirmetur aequalitas. Timent rursus ex nihilo natum filium profiteri, ne creator accipiens originem similem creaturis, unigeniti privilegio spoliatus perdat gloriam creatoris. Aliunde vero filium natum, idest ex aliqua subiacente materia, multò amplius timent adstruere, ne videatur quaelibet res ante eum fuisse, per quem facta sunt omnia. Sic deficiente malitia, quaerunt ignorantiae patrocinium; voce Iudaeorum Catholicis renuntiantes " nescimus unde sit „. Quibus ilico vera respondent, si nescitis unde sit, credite, quia de patris est natus essentia: sed si negatis quod de patre sit, vos dicite unde. Arriani minorem filium dicunt, quia conantur negare aequalem: Catholici vero prius eum Deo patri confitentur aequalem, quam postea rite valeant confiteri secundum carnem factum minorem. Non ideo sunt Arriani culpabiles, quia Deum Dei filium Deo patri confitentur minorem, sed quia in divinitate, non in carne, confitentur minorem; et quia omnino negare conantur aequalem. Dicimus proinde nos Deum Dei filium secundum carnem minoratum, non tamen minorem ante saecula credimus natum. Dicimus minorem, secundum quod factus est homo; et non dicimus minorem, secundum quod permanet Deus, et cum patre et s. spiritu naturaliter unus Deus.

Ioh. IX. 29.

(1) Photius in opusculo inedito de spiritu s. tres tantum latinos patres adversantes sibi commemorat circa dogma de spiritus sancti a filio processione, Ambrosium, Augustinum, et Hieronymum. Sed en quoque Ferrandum heic, et epist. ad Severum; itemque Fulgentium de trin. I. 2. et alibi. Consonat etiam Leo magnus serm. LXXV. 3. qui spiritum sanctum ait esse patris filiique spiritum.

III. Itaque proponentibus hanc sententiam, quam Beatitudinis vestrae breviter expressit epistula; si propter veram humanitatem, minorem patre dicitis filium, erit profecto propter veritatem corporis in sempiternum minor, si unus atque idem est filius; nullatenus expavescimus, immo potius affirmamus, et dicimus utique: quia propter veram humanitatem, minorem patre filium dicimus, erit profecto propter veritatem corporis in sempiternum minor: sed ipse, qui propter veritatem corporis erit in sempiternum minor, idem ipse secundum veritatem divinitatis fuit, est, erit aequalis: quia unus atque idem est filius ab aeterno in aeternum Deo patri semper aequalis, a certo tempore in aeternum Deo patri semper minor. Aequalitas quippe eius secundum divinitatem non habet initium, minoratio secundum carnem accepit initium: verumtamen nec aequalitas competens divinitati, nec minoratio congruens carni, habet finem. Sive ergo secundum carnem minor, sive secundum divinitatem dicatur aequalis, idem atque unus est Christus, vere filius Dei, et vere filius hominis. Semper minor, ex quo esse coepit, quia voluit, minor: semper aequalis, quia nunquam non fuit, nec umquam non erit aequalis: aequalis enim perseverans factus est minor, minor factus permansit aequalis: totus minor, et totus aequalis. Sed ideo totus minor, et totus aequalis, quia non in eo dividitur vel subdividitur una persona (1). Ideo simul et minor et aequalis, quia servatur in eo utraque natura, et quam habuit ex patre, et quam suscepit ex matre.

IIII. Alioquin si una in Christo et persona existeret et natura (2), non posset unus Christus uni patri et minor et aequalis rectissime praedicari. Et fortasse tunc invenirent quod obicerent Arriani dicentes: si minor creditur, negatur aequalis; si aequalis creditur, negatur minor. Cuius propositionis violentia illos posset maxime conturbare, qui nunc a communione multarum se gentium dirimentes, ante adunationem somniantur duas Christi fuisse naturas sive substantias: et post adunationem mentiuntur unam factam de duabus(3): ridicule omnino; ut tunc duae putentur extitisse in Christo substantiae, quando nec dum fuerant adunatae; et tunc duae magis esse destiterint, quando sunt adunatae. Quis absurditatem talia suspi-

(1) Sic loquitur Ferrandus etiam in epistula ad Anatol. ff. 10. *unus est Christus propter unius personae singularitatem, quae in eo nec dividi nec subdividi potest.*

(2) Nempe *si una in Christo non solum persona existeret, sed etiam natura.*

(3) Intellige Eutychianos.

cantium toleret? Hoc tamen sibi timere videntur ne quasi crescente numero substantiarum, personarum quoque numerus crescat (1): et per imperitam nestoriani erroris declinationem, tradentur in mauus Arrianorum penitus confutandi. Quandocumque enim voluerint unam Christi praedicare naturam, sicut unam certum est praedicari debere personam, rite eis dicetur: ergo si unius Christi una natura et persona dixit " pater maior me est „; quare minor negatur, Ioh. XIV. 28.
qui non habet aliam substantiam sive personam, propter quam dicatur aequalis? Si enim Christi una natura et persona subiacuit passionibus, impassibili patri nunquam meretur vel comparari, quanto magis aequari, non habens aliam substantiam sive personam, in qua possit sicut pater impassibilis praedicari? Postremo quomodo est unius substantiae cum patre, qui in una sua substantia et persona passionibus subiacnit, quibus non subiacuit pater? Nisi forte propter unitatem substantiae cum filio, passionibus filii sui subicitur etiam pater; unde Patripassianorum perversitas glorietur (2).

V. Talia proponentibus Arrianis(3), si voluerint illi dispensationem carnis et verae humanitatis tempus opponere, non immerito tunc fortasse dicetur, quod sine causa nunc veris Catholicis dicitur, si secundum veram humanitatem minor est filius, erit profecto propter veritatem corporis in sempiternum minor; si unus atque idem est filius; vimque propositionis huius quo fugiant, non habebunt: quia duos quidem Christos omnino nec stulte poterunt praedicare singularis personae et substantiae praedicatores. Praedicabunt autem, quamvis inconsequenter, naturam corporis in incorpoream transisse naturam: post adunationem quippe duarum snbstantiarum, de duabus unam factam fuisse substantiam suspicantes, errore tali facilius implicantur. Ipsis proinde duarum in Christo substantiarum negatoribus, ipsis erit obiectio modo proposita terribilis et insolubilis: ad nos tamen Catholicos orthodoxos laxa pervenit, immo nec pervenit, quia nihil quod iuste nobis obici debeat invenit. Continuo quippe nobis responsionis veritas cooperante gratia Dei subvenit, ut respondeamus eis, vere unus est Christus. Sapientibus tamen mentibus,

(1) Ferrandus ep. ad Anatol. ff. 10. *Crevit per nativitatem carnis in Christo numerus substantiarum, singularitas vero personae perseveravit.*

(2) Legatur par Ferrandi doctrina atque dictio ep. cit. ff. 8.

(3) Eadem utitur locutione Ferrandus loc. cit. *proponentibus hoc Arrianis* etc.

quoties audiunt unus est Christus, cogitare convenit quomodo sit unus, utrum unam habendo personam, an unam habendo naturam. Sed non potest dici unam habere naturam, quem suscepisse alteram dicimus. Potest tamen dici unam habere personam, quoniam persona illa semper manens naturae semper manentis, ita mutabilem (a) postea naturam, sine persona, voluntaria pietate suscepit, ut humanam substantiam, non habentem subsistentem manentemque personam, in unitatem suscipiens, ad se faceret pertinere: fieretque deinceps humanitas illa divina, quoniam Dei coepisset, ex quo esse coepisset, habere personam: divinitas illa humana, quoniam sibi in unitatem personae veraciter humanam voluit adunare naturam.

VI. Dicimus ergo cum fiducia, dicimus nihil timentes, unus est Christus, unus est Deus hominisque filius: idest una est Christi hominisque persona: non tamen dicimus una est Christi Dei hominisque natura: concordantes apostolicis vocibus, ubi volens gentium doctor unius personae veritatem probare, nam et ego, inquit Corinthiis,
II. 2. 10. " quod donavi, si quod donavi, propter vos in persona Christi ". Numquid non melius personis diceret, si vellet in Christo duas praedicare personas? Sicut volens in Christo duas significare substantias, evi-
I. Cor. XIII. 4. dentem simul adhibet differentiam substantiarum, dicens alio loco: " et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei ". Numquid non ipse crucifixus est, qui vivit? et tamen ex infirmitate crucifixus est, ex virtute Dei vivit. Unde ad maiorem commendationem personae unius, sic unus Christus praedicatur, ut aliquando una eius vel humana vel divina natura commemoretur: et utraque tamen intellegatur, quoniam tanta est unitas, ut qui unam nominaverit, ambas significaverit. Praeter quod idem B. Apostolus nunc humanitatem solam specialiter signans ad Ti-
I. 2. 5. motheum loquitur: " unus est Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus ". Nunc de divinitate sola praedicatio-
I. 8. 5. nem verissimam faciens memoratis Corinthiis ait: " nam et si sunt qui dicantur dii, si quidem sunt dii multi, et domini multi; nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia; et unus dominus Iesus Christus, per quem omnia ". Quis, rogo, audiens utraque haec testimonia sic omnino desipiat, ut aut ubi audit unus est mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, neget Deum quem

(a) In fragm. ed. *mirabilem* pro *mutabilem*.

videt hominem praedicari? aut ubi audit unus est dominus Iesus Christus per quem omnia, neget eum factum hominem inter omnia?

VII. Profecto nullus, invenitur cui talia sentire persuadeat inimicus: nisi forte Manichaeus, qui veram humanitatem phantasiam putat: et Photinus, qui totus occupatur circa opera carnis, evidenter in Christo divinam substantiam negat. Utrique sine dubio alterius apostolici sermonis omnino immemores, ubi simul utramque substantiam in una Christi Dei hominisque persona commemorans, Romanos hoc sermone bonus doctor aedificat: " optarem ego ipse Cap. IX. 3.
„ anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei „ secundum carnem: quorum est adoptio filiorum, et gloria, et le„ gislatio, et obsequium, et promissa; quorum patres, ex quibus Chri„ stus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in „ saecula „. Ecce quomodo unus est Christus, et ex patribus secundum carnem, et Deus super omnia benedictus in saecula. Qui cum saepius se filium hominis in evangelio nuncupet, iudaicae saevitiae crudelitatem tali exprobratione compescens " quid me quaeritis in- Ioh. VIII. 40.
„ terficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis „ testatur ta- Ioh. V. 18.
men evangelista dicens: " propterea eum magis Iudaei volebant „ interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem „ suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo „. Numquid opinabitur aliquis duos Christos sacra evangelia praedicare, unum qui se filium hominis et hominem nuncupet, alterum qui patrem suum dicat Deum, aequalem se faciens Deo? Numquid quia dicens discipulis " quem me dicunt homines esse filium hominis „ audivit Pe- Matth. XVI. 13.
trum confitentem " tu es filius Dei vivi „ duos Christos intellegi voluit, unum filium hominis, de quo ipse interrogavit; alterum filium Dei vivi, quem confessus est Petrus? Numquid quia modo Ioh. X. 30. XIV. 28.
dicit " ego et pater unum sumus „; modo dicit " pater maior me est „ (1); duos Christos duplex ista professio pollicetur, ut alter sit cum patre unus, alter cui maior sit pater? Non sunt plane verba ista significantia duos Christos, sed unius tamen Christi duas nobis omnino videntur insinuare naturas. Si enim duos Christos credere debemus, unum filium Dei, alterum filium hominis; aut mendaciter, quod absit, aut ignoranter locutus est Christus ubi dixit: " nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, Ioh. III. 13.

(1) Confer Ferrand. ep. ad Anatol. §. 13.

filius hominis qui est in caelo. „ Loquens enim filius hominis in saeculo, quomodo esse posset in caelo? Quis non ei rectissime responderet, quid loqueris, Christe? si tu es filius hominis, nobiscum es, non in caelo. Quare ergo dicis, filius hominis qui est in caelo?

VIII. Sed quia nec veritas fallere, nec sapientia potest aliquid ignorare, continuo dignaretur respondere veraciter et prudenter: nolite scandalum pati: ego sum filius hominis, ego sum filius Dei; ego qui vobiscum loquor, ego qui cum patre cuncta dispono: propterea dico filium hominis, qui est in caelo. Non sunt sibi verba mea contraria. Si non ego filius hominis, ego essem filius Dei, numquam debui dicere, filius hominis qui est in caelo. Substantia mea ergo, per quam sum filius hominis, non est adhuc in caelo: substantia vero mea, per quam sum filius Dei, semper et in terra est et in caelo. Sed quoniam semper in his duabus substantiis meis una est persona mea, propterea nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit filius hominis, qui est in caelo. Nonne cuivis incredulo satisfaceret in his sermonibus veritas, et sic appareret personae unius singularitas, et duarum substantiarum maneret salva proprietas? Sine causa igitur duos Christos obicit haereticorum falsitas, ut fidelium terreatur sancta simplicitas. Nam si praetermissa saniore differentia [a] naturarum duarum in unitate personae Christi manentium, velimus calumnias adversus haereticos fabricare; dicent ipsi, qui nobis haec de duobus Christis proponere incipiunt, Arriani: quando dicit B. Paulus " tradidi enim vo-
I.Cor. XV. 3. „ bis in primis, quod et accepistis, quia Christus mortuus est secun-„ dum scripturas, et quia resurrexit tertia die secundum scripturas „ quomodo poterit mori Christus secundum divinitatem, quomodo sepeliri, et tertia die resurgere? Nonne haec ad corpus pertinere ma-
Ioh. II. 19. nifestans ipse Dominus " solvite templum istud, ait Iudaeis, et in „ tribus diebus excitabo illud „? Ubi protinus evangelista subiunxit: " hoc autem dicebat de templo corporis sui „[1]. Si ergo secundum carnem mortuus est, non secundum divinitatem, ecce invenitur mortuus, et non mortuus Christus; et sepultus, et non sepultus; et resurgens, et non resurgens: mortuus scilicet secundum carnem, non mortuus secundum divinitatem; sepultus secundum carnem quae tumulo tenebatur inclusa, non sepultus secundum divinitatem

(a) Num pro *sententia*?

(1) Paria sequentibus dicit Leo magnus papa serm. LXVIII. 1.

quae ubique tota cum patre regnabat et regnat; resurgens secundum carnem quae anima deserente ceciderat, non resurgens secundum divinitatem quae propterea minime capax est resurrectionis quia nescit occasum.

VIIII. Nunc ergo aut permittere compellantur in uno Christo duarum manere naturarum proprietates; aut certe ipsi potius Arriani, ne videantur facere duos Christos, absolute negent ex toto hominem Christum: quamvis ex magna parte negaverint; animam quippe rationalem de sacramento incarnationis auferre nitentes (1), meliorem partem hominis Christo domino negaverunt. Auferant ergo ei sine pudore totam hominis naturam, cui iam dimidiam negaverunt. Evacuent illud magnum pietatis et mirabile sacramentum, et tunc apud eos sit unus Christus, cuius omnes temporales actus et passiones ad iniuriam divinitatis libere transferunt. Una quippe pereunte natura, idest hominis, omnino eis erroris sui perversitas constare putabitur: ut cum Christus dixerit " pater maior me est „ non ait nisi vox divinitatis; quia iam minime potest intellegi vox humanitatis, unde semel natura ablata fuerit hominis. Ipsos ergo ad hanc necessitatem negandae unius substantiae ducat magna perversitas, quibus placet adscribere divinitati quidquid ex infirmitate assumpti corporis dignata est loqui divinitas. Si tamen vel sic inveniunt, quomodo vim veritatis eludere valeant, quando patris et filii significatur aequalitas, dicente Christo " ego et pater unum sumus „. Et alibi " ego in patre, et pater in me „. Et alibi " omnia quae habet pater, mea sunt „. Ioh. XIV. 11. XVI. 15.

X. Multa alia sunt Beatitudini tuae notissima testimonia, quibus Deus, et cum patre unus Deus, evidenter ostenditur Christus. Ita ut omnino, nisi recte distinguendo naturas, in tanta diversitate sermonis et operis, nemo capiat quomodo sit unus Christus, nisi qui voluerit hoc tenere, hoc credere, hoc docere, quod olim catholica ecclesia credidit, tenuit, docuit, intellexit, unum Christum esse, idest unam Christi esse personam; verumtamen ipsius unius Christi duas esse naturas: meritoque hanc esse regulam verae fidei, ut quidquid in omnibus scripturis divinitus inspiratis invenitur, ubi Christus minor patre debeat aut possit intellegi, ad incarnationis referatur dispensationem (2). Conticescat omnis hae-

(1) Lege fragm. XIII. serm. arr.

(2) Traditur haec regula ab Augustino de trin. I. 22, et de divers. quaest. LXIX. 1. Confer dicta ad Victorinum p. 79.

reticorum perfidia: secundum veritatem corporis minor est filius: nec timemus ne sit in aeternum minor, quem propter nos scimus factum minorem. Non ex necessitate mutatus est ut esset minor, sed voluntarie verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quoties igitur eum minorem fatemur, quid nobis praestitit, non quid sibi voluit, indicamus; et quantum nos dilexerit, commemoramus. Nullatenus ergo debemus inrogare contumelias creatori, sed agere potius gratias redemptori. Nihil ille de suo perdidit, quando fieri voluit minor: sed nos multum adquisivimus, propter quos factus est minor. Benedictus est in omnia saecula, qui visitavit in novissimis saeculis uterum virginis, et sine opere maritalis seminis, sine transgressione praevaricatricis originis, Deus verus et homo perfectus apparuit, et matri consubstantialis et patri: invisibilis ex natura patris, visibilis ex natura matris: incomprehensibilis ex natura patris, passibilis ex natura matris: immortalis ex natura patris, mortalis ex natura matris: qui peracto crucis negotio, triumphator regressus ad caelum, per immortalitatem quidem patris absorbuit mortalitatem matris. Verumtamen quia naturam matris non perdidit, sed melioravit sedens ad dexteram patris, immorta-
Rom.VI.9 liter beatus (" quoniam Christus surgens a mortuis iam non mo-
Philip.II.9 „ ritur, mors ultra non dominabitur;) accepit, secundum apo-
„ stolum, nomen quod est super omne nomen „.

XI. Verumtamen adorantibus angelis, sedens ad dexteram patris, adhuc tamen talis est rediturus ad vivos et mortuos iudicandos, qualis hinc ascendit, deducentibus angelis, videntibus discipulis, habens scilicet animam rationalem, nostrique generis veram carnem, sine peccato, semper immaculatam, cuiusque adeo commendare voluit veritatem, ut resurgens ex mortuis praeberet eam credentium visibus aspiciendam, dubitantium manibus sine dubitatione palpandam, servatis etiam vulnerum cicatricibus: ne parum firma fieret fides resurrectionis, si virtute resurrectionis omnis auferretur memoria passionis. Rediturus ergo qualis ascendit, sine dubio Deus homo rediturus est, quoniam Deus homo profectus est: deserens nos corporaliter, manens nobiscum spiritaliter, venturus ad nos etiam corporaliter: ut videat Iudaeus Deum manifestum, quem latentem sub carnis velamine crucifixit: intellegat Arrianus ex potestate iudicii Deo patri semper aequalem, quem pronuntiare ausus est minorem, quando iudicare et blasphemare suum non ti-

muit creatorem: recognoscat Manichaeus non fuisse corpus Christi domini simulatum, cum viderit eum super angelos exaltatum: Photinus quoque miser, et iam frustra miserabilis, non fuisse purum hominem sentiat, in quo omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter discet. Erit etiam tunc Nestorio sera et sterilis paenitentia, cum permanente in Christo utraque substantia, personae unius apparuerit evidentia: nec permittetur amplius duos Christos dicere, videns se unius iudicis Christi iudicio condemnatum ad exteriores tenebras ambulare. Sequetur hunc Eutyches dissimiliter perfidus, sed similiter condemnandus, in una Christi persona duas manifeste substantias permanere cognoscens, unam quam videbit, ut confundatur; aliam quam non videbit, ut puniatur: auditurus, sicut omnes impii, tollatur impius ut non videat claritatem Dei: nec audebit amplius suspicari, nihil Christum de Mariae genitricis carne sumpsisse: sed velit nolit, aspiciet Dominum ipsum esse filium David, quia natus est ex semine David. Quomodo autem ex semine David nasci potuit, sine semine viri conceptus et natus, nisi quia de semine David caro extitit B. Mariae, quae materiam carnis nasciturо ex se Domino ministravit?

XII. Turbabuntur illic stultae mentis homines, qui Iohanne in evangelio clamante: " verbum caro factum est, et habitavit in nobis „ putaverunt ipsum verbum in carnem mutatum: nescientes neque intellegentes ita dictum simpliciter " verbum caro factum est „ ac si diceretur, verbum homo natus est. Saepe enim totus homo, carnis nomine nuncupatur, sicut psalmus loquitur: " ad te omnis Ps. LXIV. 3.
caro veniet „. Et apostolus: " quoniam ex operibus legis non iu- Rom. III. 20.
stificabitur omnis caro „. Si enim verbum mutaretur aut mutari posset in carnem, semel dicens evangelista " verbum caro factum est „: nullatenus sequeretur " et habitavit in nobis „. Si enim mutaretur, non habitaret in nobis. „ Verbum caro factum habitavit in nobis, idest accepit quod non erat, nec amisit quod erat: vere dominus Iesus Christus " qui cum in forma Dei esset, non rapinam Philipp. II. 6.
„ arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semet ipsum exinanivit „ formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo „. Formam enim suscipiens, et forma suscepta, unus est Christus. Sed tamen alia sunt verba scripturae, quibus significatur membra suscipiens; alia sunt, quibus significatur membra suscepta. Si aequalem praedicas Christum, susceptae

formae testimonium perhibuisti: si minorem praedicas Christum, susceptae formae testimonium perhibuisti [a]; ab uno tamen Christo non recessisti, " qui humiliavit se, factus obediens usque ,, ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus ,, exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen; ,, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium terrestrium ,, et infernorum: et omnis lingua confiteatur quia Dominus Ie- ,, sus in gloria est Dei patris ,,. Qui tamen quamvis iam positus in gloria Dei patris, minor erit patre, quamdiu habebit substantiam matris. Creata quippe substantia creatrici substantiae semper est minor, nec potest aliquando creatura fieri divinitas, licet dignata sit divinitas suscipere creaturam. Sic enim etiam divinitas mutabilem creaturam suscepit, ut non mutaretur in creaturam, sed propter unum Christum, propter unius personae in Christo singularitatem, incolumi substantia creatoris, creatura coeperit cum divinitate unam haberet personam. Si ergo divinitas mutari non potuit in creaturam, quomodo creatura mutabitur in divinitatem?

Philipp. II. 8.

XIII. Longe istud sit a fidelium mentibus vel dicere vel defendere. Christus unus est, nemo denegat, sed in uno Christo nec creator sic diminutus est, ut per immutationem paternae substantiae fieret creatura; nec homo sic exaltatus est, ut per abolitionem substantiae nostrae, divinitas secundum proprietatem essentiae incommutabilis fieret, et creatura non esset. In tantum quippe minor erit filius etiam post iudicium factum, ut beatissimus Paulus constantissime praedicet: " cum autem ei omnia subie- ,, cta fuerint, tunc et ipse subiectus erit ei, qui sibi subiecit omnia ,,. Numquid tunc secundum divinitatem subiectus erit? non utique: nam si divinitati competeret ista subiectio, futuri temporis verbum nullo modo poneret: et non tunc subiectus erit, sed nunc subiectus est, dixisset apostolus: neque enim tunc incipiet habere divinitatem. Ut rectissime dicatur, quia tunc subiectus erit: subiectus erit utique in carne, quam suscepit ex nobis, in qua etiam modo subiectus est. Verumtamen ideo vas electionis, tunc subiectus erit voluit dicere, tamquam diceret, etiam tunc homo erit: contra eos videlicet vigilans, qui naturam corporis in naturam incorpoream transferre conantes, suspicantur quia tunc homo non erit.

I. Cor. XV. 28.

(a) Sic repetitur in apographo. Est autem mihi locus subobscurus, et de mendo suspectus.

Et si homo non erit, sine dubio nec snbiectus erit. Cui suspicioni vigilanter occurrens ait " tunc et ipse subiectus erit ",: hoc est, tunc etiam ipse homo erit, per subiectionis officium perhibens testimonium, per subiectionis humilitatem naturae inferioris ostendens aeternitatem. Christus autem, qui tunc subiectus erit, quia homo erit, sine dubio etiam minor erit. Audi, beatissime Frater, S. Augustini fidelissima verba, quibus adversum propositiones Absentii (1) loci huius sic aperit intellectum. " Quod vero dicit apostolus, etiam in futuro " saeculo patri filium subiectum futurum, ubi ait, tunc et ipse subiectus erit ei, qui illi subiecit omnia; quid mirum, quando quidem " illa in filio forma humana mansura est, qua semper maior est pater? Quamvis non defuerint, qui illam tunc filii subiectionem, ipsius " humanae formae in divinam substantiam commutationem intellegendam putaverint: tamquam hoc cuique rei subiiciatur, quod in " eam vertitur et mutatur. Sed nos quid hinc sentiamus ostendimus, magis ideo dixisse apostolum, etiam tunc patri filium subiectum futurum, ne quis in eo putaret spiritum et corpus humanum " aliqua conversione periturum ". Manebit ergo, secundum sensum B. Augustini pontificis, etiam tunc forma hominis, in qua Christus subiectus erit: et per ipsam subiectionem minor erit.

XIIII. Quod omnino sine aliqua dubitatione valebimus intellegere, si requirere adhuc velimus ex qua natura sit Deus, ex qua natura factus fuerit sacerdos. Nempe clara vox est apostoli dicentis: " omnis summus sacerdos ex hominibus acceptus, pro " hominibus assistit apud Deum ". Si ergo summus sacerdos ex hominibus assumitur, Christus factus summus sacerdos ex hominibus assumptus est. In tantum summus sacerdos, in quantum homo. Si autem autem vera humanitas in incorpoream transierit aliquando naturam, erit tempus quando non sit summus sacerdos. Quando enim desierit homo esse assumptus ex nobis, desinet summus sacerdos esse pro nobis. Apostolus autem differentiam

Hebr. V. 1.

(1) Egregius est hic Ferrandi locus, ex quo nunc primum cognoscimus, *Absentium* misisse ad Augustinum propositiones ex Arrianorum sermone excerptas, quas cum ampla refutatione (petente atque instante qui miserat Retract. II. 12.) nobis exhibet idem Augustinus ed. Maur. T. VIII. p. 622. sqq. Iam *Absentii* semel tantum, quod ego sciam, memineral Augustinus, nempe contra litt. Petiliani lib. I. 1., cui nomini nequicquam suspicabantur Maurini editores substituendum *Alypium*. Augustini vero sequentia verba extant fideliter extremo in capite praedicti opusculi contra sermonem Arrianorum.

certissimam inter sacerdotes temporales ipsumque demonstrans ait:
Hebr. VII. 20. " illi enim sine iuratione constituti sunt sacerdotes: hic autem cum
Ps. CIX. 4. " iuratione, per eum qui dicit ad eum: iuravit Dominus et non
Hebr. VII. 23. " paenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum. Tanto melioris testamenti factus est sponsor Iesus! Et illi quidem plures sunt facti sacerdotes, quia morte prohibebantur perseverare: hic autem quia manet in aeternum, intransgredibile (a) habet sacerdotium: unde et salvos perficere potest eos, qui adveniunt per ipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro ipsis ". In quantum ergo intrasgredibile habet sacerdotium, in tantum sacerdos permanet in aeternum: in quantum sacerdos permanet, in tantum homo permanet: in quantum homo permanet, in tantum minor apparet. Aut igitur sacerdotium aliquando finiet, aut minor numquam esse desinet. Sacerdos enim semper est minor Deo, cui est sacerdos.

XV. Duo tamen agit sacerdos; aut interpellat exaudiendus, aut agit gratias exauditus: interpellans, offert sacrificium deprecationis: agens gratias, offert sacrificium laudis: interpellans, allegat necessitates delinquentium: agens gratias, beneficia enumerat satisfacientibus concessa misericorditer: interpellans, petit veniam reis: agens gratias, congaudere desiderat absolutis. Sic et Christus habens sempiternum sacerdotium, quem perseverare non prohibet mors, sicut ceteros sacerdotes, interpellavit pro nobis, in cruce sacrificium proprii corporis offerens: interpellat etiam modo pro omnibus, nos ipsos Deo mundum sacrificium fieri cupiens. Sed cum fuerit in nobis misericordia divina perfecta; cum absorpta fuerit mors in victoria; cum transierint omnia mala nostra, quando satiati omnibus bonis, nec peccabimus, nec dolebimus, nec inimicum diabolum patiemur, sed in summa pace ac felicitate regnabimus; desinet quidem tunc interpellare pro nobis non habentibus iam quid petere debeamus; numquam tamen desinet gratias agere pro nobis. Sicut enim modo per sacerdotem nostrum petimus misericordiam, sic in illa tunc beatitudine constituti, per sacerdotem nostrum offeremus sa-
Hebr. XIII. 15. crificium laudis. Cuius rei testis apostolus ait: " per ipsum offerimus " sacrificium laudis semper Deo ". Quando autem sacerdos esse desinet, per quem sacrificium laudis semper offerimus? an forte sine lau-
Ps. LXXXIII. 5. de Dei in aeternum vivemus? Sed psalmista dicit " beati qui ha-

(a) In apographo bis *intransgressibile*, semel *intransgredibile*. Postremam lectionem praetuli.

„ bitant in domo tua: in saecula saeculorum laudabunt te„. Si ergo in saecula laudabimus, semper offeremus sacrificium laudis: ut dicit nobis apostolus " per ipsum offerimus sacrificium laudis semper Deo„. Semper ergo erit sacerdos Christus, per quem possumus offerre sacrificium laudis: semper minor, quia sacerdos. Verumtamen quia unus est semper Christus, ipse est sacerdos, ipse est Deus, qui cum patre et spiritu sancto a fidelibus adoratur, benedicitur, glorificatur: ipse interpellat, ipse miseretur, ipse gratias agit, ipse gratiam donat: et sicut ecclesiam suam docuit in quotidianis sacrificiis (1) hanc custodire regulam, ut pro peccatoribus sive adhuc in terra laborantibus sive iam de saeculo recedentibus orationem faciat; pro martyribus vero gratiarum deferat actionem; sic ipse nunc pro nobis, quamdiu miseri sumus, interpellat; cum beatos nos fecerit, gratias aget: et sic in utroque officio sacerdotis intransgredibile sacerdotium sempiternus sacerdos obtinet. Vera quippe est illa sententia quae ponitur ad Hebraeos: " Iesus Christus heri et hodie, idem ipse et in saecula. Ipsum proinde, beatissime Frater, supplicatione votisque continuis obsecrare non cesses ut mihi familiari iam tuo peccata dimittat, scientiam tribuat, et mutuae caritatis inter nos semel inchoatam perficiat gratiam. Cap. XIII. 8.

XVI. Dominus pater noster, scilicet Fulgentius (2) die kalendarum ianuariarum temporalem carnis suae vitam beatis actibus gloriosam pretiosa morte mutavit: et raptus de medio iniquitatis, quoniam placita erat Deo anima eius, ad aeternae laetitiae quietisque parata gaudia feliciter ambulavit. Verumtamen ipso die sepeliri minime potuit: inclinata quippe fuit in vesperum dies: mane ergo cum magna frequentia et honore sepultus est: ideo dies depositionis eius quarto nonas ianuarias debet ab omnibus fidelibus celebrari. Vita vero eius si descripta fideliter fuerit, satis magna praebebit imitari cupientibus exempla virtutum. Sed hoc ora, domine Frater, ut Deus a cuius facie scientia et intellectus procedit hoc fieri sinat: et cum factum fuerit, mei erit officii exem-

(1) Animadvertamus missae quotidianae usum aetate Ferrandi, id est VI. saeculo, pro vivis, pro defunctis, et ob martyrum quoque memoriam.

(2) Quae sequitur narratio de s. Fulgentii obitu et depositione, conspirat cum fulgentianae vitae capitulo ultimo. Scripta est ergo haec epistula initio anni DXXXIII, vita autem intra eumdem annum concinnata; quoniam ad Felicianum nuper electum successorem missa fuit.

plaria veriora dirigere (1). Monasterii eius sanctissima congregatio (2), si vicina bella non metuat (3), magistri optimi virtutibus aemula bonorum operum pietate respondet, et per angustam viam caritatis ambulans gressibus, magna adhuc solatia praebet omnibus miseris. Multi quippe ibi sunt, in quibus possit beatus semper et sanctus Fulgentius inveniri.

EIUSDEM EPISTULAE FRAGMENTUM

prout extabat apud Gallandium biblioth. PP. T. XI. p. 355.

Domino beatissimo fratri Eugippio presbytero Ferrandus exiguus, in Domino salutem. Carissime, considera quales habeat vires ab arriano comite nuper proposita quaestio. Sed prius quibus inter se sententiis vel dogmatibus Arriani et Catholici differant, deliberemus. Arriani volunt individuam Trinitatem praedicare, sicut scripturae praedicant unum Deum: catholici vero praecepta legis salubriter audientes: " audi Israel; Deus tuus, Deus unus " est "; ne videantur sub unius Dei religione fidem Trinitatis excludere, tres personas unius substantiae praedicantes, ipsam Trinitatem unum Deum simpliciter confitentur: et de omni sancta Trinitate sapienter dictum intelligunt: " audi Israel; Deus tuus, Deus unus est ". Arriani, patris et filii et spiritus sancti tres substantias praedicant, et ideo eorum potestatem dividunt, unitatem vitant, immensitatem minuunt, et per errores maiori patri minorem filium subiciunt; minorem autem filio spiritum sanctum dicunt. Catholici e contrario Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum, ne tres deos gentibus inducere videantur, unius esse honoris, gloriae, magnitudinis, aeternitatis, divinitatis, aequalitatis, essentiae confitentur: et nemini alterum praeponere cupientes; de patre tamen filium natum, de patre et filio spiritum sanctum procedere sentiunt. Arrianos si interrogare volueris, unde sit filius, timent dicere, de patris essentia: ne gignentis et geniti probetur una divinitas, et confirmetur aequalitas. Timent rursus ex nihilo natum filium profiteri, ne creator accipiens originem similem creaturis, unigeniti privilegio spoliatus, perdat gloriam creatoris. Aliunde vero filium natum, id est, ex aliqua subiacente materia, multo amplius timent adstruere, ne videatur quaelibet res ante eum fuisse, per quem facta sunt omnia. Talibus respondent Catholici: credite quia natus est de patris essentia: si negatis, dicite unde sit. Dicunt etiam mino-

(1) Hinc haud scio an satis cognoscamus auctorem vitae fulgentianae editae Ferrandum ipsum fuisse, quam sententiam Chiffletius olim propugnavit.

(2) Huius fulgentiani monasterii mentio est in extremo vitae capitulo.

(3) Biographus loc. cit. sic: *post non plurimos dies accersitionis* (obitus) *eius, inimica gens Maurorum ruspense territorium repente vexavit* etc.

rem filium, quia negant esse aequalem. Catholici vero dicnnt eum secundum divinitatem aequalem, secundum humanitatem autem minorem. Aequalitas eius secundum divinitatem non habet initium: verumtamen nec aequalitas competens divinitati, nec minoratio congrua carni habet finem. Sive ergo secundum carnem minor, secnndnm divinitatem dicatnr aequalis, idem atqne unus est Christus, vere filius Dei, et vere filius hominis. Aeqnalis enim perseverans, factus est minor: minor factus, permansit aequalis. Et ideo totus minor, totus aequalis: quia servatur in eo utraque natura, et quam habuit, et quam assumsit ex matre. Alioqui si una in Christo et persona exsisteret et natura, non posset unus Christus uni patri et minor et aequalis dici. Dicimus etiam de Christo, quod vere unus est Christus. Sapientibus tamen mentibus, quoties audiunt, nnus est Christus, cogitare convenit quomodo sit unus; utrum unam habendo personam, an unam naturam. Si non potest dici unam habere naturam, qnem suscepisse alteram dicimns, potest tamen dici unam habere personam; qnoniam persona illa semper manens naturae semper maneutis, ita mirabilem postea naturam sine persona volnntarie suscepit, ut humanam substantiam non habentem subsistentem manentemque personam, in unitatem suam suscipiens, ad se faceret pertinere: fieretque deinceps humanitas illa divina, quae Dei coepisset, ex quo esse coepisset, habere personam: divinitas illa humana, quoniam sibi in unitatem personae veraciter humanam volnit adnnare naturam. Dicimus ergo, unus est Christus, unns est Deus, hominisque filius; id est, una est Christi Dei hominisque persona: non tamen dicimus, unam esse Christi Dei hominisque naturam. Concordantes cum apostolo volente probare unitatem personae: " nam in quo, inquit Corinthiis, quod donavi, si quid „ donavi, propter vos in persona Christi „. Nnmquid non melius personas diceret, si vellet in Christo duas significare substantias? Evidentem similiter adhibens differentiam substantiarum dicit alio loco. " Et si crucifixus est, ex in„ firmitate crucifixus est, sed vivit ex virtute Dei „. Numquid non ipse crucifixus est qui vivit? et tamen qui ex infirmitate crucifixus est, ex virtute Dei vivit. Unde ad amorem commendationemque personae unius, sic unus Christus praedicatur, ut aliquando una eius vel humana natura vel divina commemoretur, et utraque tamen intelligatur: quoniam inest unitas, ut qui unam nominet, ambas significet. Propter quod apostolus solam humanitatem tangit, ad Timotheum dicens: " unus est Deus, unus mediator Dei et ho„ minum, homo Christus Iesus „. De divinitate dicit ad Corinthios: " nam „ et si sunt qui dicantur dii, siquidem sunt multi, nobis tamen unus Deus, „ ex quo omnia, et unus dominus Iesus Christus per quem omnia „.

Deerant reliqua.

DE SEQUENTIBUS FRAGMENTIS

EDITORIS PROLOGUS.

Ante quam Mediolano olim discederem exscripsi mihi latinos aliquot christiani argumenti palimpsestos, quos prae ceteris insignis antiquitas nobilitasque et granditas litterarum commendabat. Primus est bobiensis codex (C. 73. part. inf.) cuius posterior scriptura saeculi ferme VII. habet Eugippii ex operibus Augustini collectanea; prior autem, saeculi IV. aut V, longe melior atque speciosior (prorsus ut illa tulliani interpretis a me aere excusa) habet ampla fragmenta tractatus in Lucam, auctore anonymo, qui secta arrianum aliquando se prodit. Alter bobiensis codex a me, ut iam dixi, exscriptus, est ille inclytus item bobiensis (G. 147. part. sup.) qui mihi in rescriptis membranis suis Frontonem cum M. Aurelio, Symmachum, tullianum Interpretem, fragmenta homiliae moesogothicae, suppeditavit. Sed praeter hactenus dicta, partes quoque tractatuum aliquot dogmaticorum inerant, arriano viru longe gravius infectae, litteris pulchris quinto circiter saeculo scriptae. Bobiensem hunc palimpsestum duobus constare voluminibus a me evidenter in praefatione ad Frontonem romana demonstratum est; quorum prius in vaticana bibliotheca nunc est, posterius in ambrosiana mediolanensi. Utriusque voluminis scriptura secunda, saeculi ferme VIII, synodum I. tenet chalcedonensem latine loquentem; verum illa antiquior, quae sub apicibus synodi latet, varii ut dixi generis argumentique est. Porro nunc mihi ex eo codice edenda supersunt, quae dixi, fragmentorum arrianorum folia, quorum pars aliquanta in ambrosiano volumine est, multo vero maior in vaticano. Itaque schedas meas mediolanenses romanis foliis adiungens, coepi rem diligentius considerare; materiam disiectam in palimpsesto et perturbatissimam, quatenus fieri poterat, ordinare; de editione denique cogitare.

Cur enim propter inclusam in his foliis haeresim, typorum lux formidanda erat? Nonne enim patrum bibliotheca catholicis in urbibus saepe recusa, satis multa haereticorum veterum scripta impune continet? Et impiorum quidem sermones ab ecclesiasticis ipsis auctoribus recitantur v. gr. Celsi ab Origene; Porphyrii item ethnici a diversis patribus; Iuliani apostatae a Cyrillo et Theodoro mopsuesteno; arrianorum Candidi, Palladii, Fastidiosi, a Victorino, Ambrosio, atque Fulgentio; multorum haereticorum a Leontio, Anastasio presbytero, Euthymio, Niceta choniata, atque in actibus synodorum; Elipanti ab Alcuino; Gothescalchi ab Hincmaro. Augustinus denique tum Arrianorum quemdam sermonem, tum Maximini aeque arriani disputationem amplissimam et his nostris frag-

mentis ferme uberiorem nobis conservavit; in qua permulta arrianae haereseos sanies expromitur. Eunomii quoque haeretici expositio fidei, et apologia, quamquam arrianis blasphemiis haud hercle tolerabilior, cum Nysseni Basiliique contrariis scriptis aetatem tulit. Quid vero editores catholici post inventam artem typographicam? Ut certe unum vel alterum e sexcentis exemplis proferam, nonne Tilius episcopus carolinos libros apprime acatholicos divulgavit? Nonne Montfauconius monachus Eusebii caesariensis ad psalterium atque ad Isaiam commentarios arriana labe non carentes typis commisit? Olim vero Hieronymus Origenis scripta περὶ ἀρχῶν, *errorum licet plenissima, ad latinam linguam trañsferebat, romanisque oculis (praefatus tamen bona verba) legenda tradebat. „ Ac ne quis, inquit praedictus doctor* (1), *me putaret his consentire quae verteram, interpretationis necessitatem praefatione munivi, et docui quibus lector non deberet credere „. Coactus vero ad interpretandum Hieronymus fuit, quia idem opus latine Rufinus mutilatum, ob auferendam haeresim, commutatumque ediderat; quod consilium divus noster adeo improbavit, ut integritati suae libros statim Origenis reddendos curaverit. Praefatio autem, qua suam interpretationem munivit Hieronymus, est illa ingens ad Avitum epistula* (2), *qua blasphemias Origenis sapientissime revelat et arguit, sic Avitum initio alloquens. " Accipe igitur quod petisti; sed ita ut scias detestanda tibi in eis esse quam plurima, et iuxta sermonem Domini, inter scorpiones et colubros incedendum „. Tum refutatione peracta concludit. " Adversum omnia scribere, nec huius est temporis, et omnes qui adversus Arrium et Eunomium Manichaeumque et diversas scripserunt haereses, his quoque impietatibus respondisse credendi sunt. Quisquis igitur hos voluerit legere libros, et calciatis pedibus ad terram repromissionis pergere; necubi a serpentibus mordeatur, et arcuato scorpii vulnere verberetur, legat prius hunc librum, et ante quam ingrediatur viam, quae sibi cavenda sint, noverit „. Denique in alia epistula* (3) *scribit. " Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, et nonnullos ecclesiasticos scriptores graecos pariter et latinos; ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria „.*

Ut autem haec fragmenta, quamvis haeretica, ederem impellebat me cupiditas patefaciendi clarius, atque ipsismet arriani hominis verbis ac testimonio, sectae taeterrimae impia dogmata, quibus orbis christianus tamdiu tamque graviter laboravit. Tum scelestae doctrinae veneno non tam

(1) Contra Ruf. I. 7.
(2) CXXIV. ed. Vallars.
(3) LXII.

meis verbis, quam opponendis perpetuo orthodoxorum patrum auctoritatibus, medendum putavi. Sed ecce subito infinitum in pelagus coniectus sum. Quos enim potissime, in tanto numero, ecclesiasticos patres arriano homini opponerem? quos praetermitterem? Sic enim catholicum dogma a fortissimis plurimisque propugnatoribus adsertum videbam, ut contra unam sententiam blasphemam centum mihi veritatis praedicamenta suppeterent. Nihil enim arriano errore exagitatius, nihil magis refutatum profligatumque fuit. Et amissis quidem plurimis orthodoxorum defensorum voluminibus, quorum tantummodo memoria superest, magnus tamen aetatem tulit scriptorum adversus Arrianos numerus, ad praecipui dogmatis demonstrationem atque tutelam: quae siquis attente scripta legerit, prostratum revera arrianum monstrum a catholicis patribus atque exanimatum, tamquam davidicis iactibus gladioque, cognoscet. Et in graecis quidem eminet Athanasius ὁ πάνυ, cuius omnia propemodum scripta Arrium feriunt. Item Cyrillus alexandrinus multis tractatibus eundem hostem persequitur: idemque agunt Gregorius nazianzenus, Iohannes chrysostomus, Marcus diadochus nonnullis orationibus contra Arrianos: item Gregorius nyssenus dogmaticis suis tractatibus. Accedit locuples magni Basilii de spiritu sancto tractatus. Tum etiam Theodoretus variis scriptis ingeniosissimis; itemque Epiphanius in haeresibus et in ancorato. Didymus de trinitate tres implevit sane grandes libros, quos superiore saeculo inventos impressosque legimus (1); itemque unum de spiritu sancto, Hieronymo interprete. Latinorum autem contra Arrianos propugnatorum princeps sine dubio Hilarius pictaviensis est, cuius duodecim de trinitate volumina, totidem revera θαύματα sunt. Nam et eloquentiae splendorem, et dialecticae acumen, et theologiae altitudinem, et scripturarum divinarum peritiam summam, et ecclesiastici zeli fervorem, et quidquid opis in humano ingenio est, ad hoc opus conscribendum affluenter Hilarius contulit. Quare hos libros merito Hieronymus totidem illis quintilianeis aequiperavit; ipse autem Hilarius dignum se laudibus praebuit quas praedictus Hieronymus de Gallia sui temporis praedicavit: " studia Gallorum florentis- " sima sunt — ut ubertatem gallici nitoremque sermonis gravitas romana " condiret (2) ". Aliis quoque libris Arrianos Hilarius perculit, nempe ad Constantium, rursusque adversus eundem Constantium, et contra Auxentium, et de synodis. Atque horum dogmaticorum Hilarii operum codex nobilis-

(1) Edidit cl. Mingarellius Bononiae anno MDCCLXIX, testatus se unicum invenisse ms. exemplar in bibliotheca angelica romana passioneianum, lacunis multis laborans. Nunc ego quidem in otthobonianis vaticanae bibliothecae codicibus alterum deprehendi exemplar, quod nemini innotuerat, quia caret Didymi nomine: sed ad lacunas quod adtinet, otthobonianus hic seu vaticanus imperfectior passioneiano est.

(2) Epist. CXXV.

simus saeculo sexto ineunte scriptus (1), *in archio basilicae vaticanae tamquam gemma servatur. Sequitur gradu proximo meritorum Ambrosius libris suis de fide, et de incarnatione, et de sancto spiritu, et aquileiensi disputatione. Ambrosio suppar Phoebadius cum Arrianis haud minore vi proeliatur. Quare miror Arriani mei impudentiam, pertinaciam atque improbitatem, qui lectis, ut ipse ait, trium praedictorum, Hilarii scilicet Phoebadii Ambrosiique, uberrimis scriptis atque nervosissimis, suum nihilominus errorem non retinuit solum, verum etiam putredulis adhuc latratibus defendere ausus est. Zenonis veronensis antiquissimi hominis oratiunculas contra Arrianos cum fructu legimus. Lucifer quoque calaritanus, christianorum scriptorum facile confidentissimus, numquam cum Arrianis non pugnat. At afri Victorini adversus Arrium scripta utinam minoribus tenebris circumsepta essent, nec tanta sermonis duritia inhorrescerent! Sed ecce decus Africae et theologiae sol Augustinus libris suis de trinitate, et luculento eximio opere adversus Maximinum, et contra sermonem Arrianorum, et diversis homiliis* (2), *magnum causae catholicae patrocinium gessit. Leo magnus papa sermonibus suis et epistulis profundum incarnationis mysterium, tamquam radiis, illustrat. Duo quoque Fulgentii adversus hanc haeresim decertaverunt; sanctus ille ruspensis pluribus libris; alius deinde Ferrandus Fulgentius nonnullis epistulis: et quidem quartam, cuius nonnisi tenue fragmentum extabat, nunc primum e casinensi codice edidimus; eamque (velut olim Hieronymus libello suo, ut iam dixi, ad Avitum origenianis scriptis respondit) praeter ceteras auctoritates arrianis deliramentis, absurdis ceteroquin et victis, opposuimus. Vigilii quoque tapsensis opera instar cuiusdam armamentarii sunt, ad depromenda tela adversus Arrianos. Accedit Damasi papae nobilissima epistula ad Paulinum; Rufinus palaestinus de fide; Arnobius de Deo trino et uno; Caerealis de fide ss. trinitatis; Nicetas aquileiensis de ratione fidei, et de spiritus sancti potentia; Eugenii carthaginiensis libellus fidei; Faustinus de fide ad Flaccillam augustam; Anonymi breviarium fidei contra Arrianos; Boethius de trinitate; Paulinus aquileiensis contra Felicem; Isaaci liber fidei; Hincmarus de non trina deitate; Alcuini fidei confessio, et contra Felicem, et contra Elipantum; Agnellus ravennas de ratione fidei; Gerhous de Christi divinitate; ne iam plures cumulando scriptores tempore meo lectorumque patientia abutar. Sed illud non reticebo, fore scilicet ut ego graecae ecclesiae concilium quoddam ineditum integrum atque perutile in hac mea collectione evulgem, in quo contra Arrianos aliosque cacodoxos explicatur*

(1) Huius ego codicis specimen aere cusum edidi, deque eo locutus sum in praefatione romana ad Symmachum p. 62.

(2) Nempe CXVII. CXXVI. CXXXV. CXXXIX. CXL. CLXXXIII. CCXLIV. CCCXLI. CCCLXXX. CCCLXXXIV.

propugnaturque sensus genuinus atque catholicus verborum Christi domini pater maior me est.

His communita orthodoxorum patrum validissimis propugnaculis cur iam catholica veritas arrianum mendacium metuat? Ego vero dedi operam ut singulis Arriani mei blasphemiis orthodoxas auctoritates substernerem, e praecipuis aliquot ecclesiae patribus pro re nata depromptas. Quis autem hic Arrianus fuerit, qua gente ortus, quo nomine qua dignitate praeditus, divinare nequeo; quamquam episcopum fuisse valde arbitror. Aetas autem eius in extremo saeculo quarto vel certe in quinto collocanda est: nam et ipsa codicis scriptura eius fere temporis esse videtur. Rursus utrum auctor tractatus in Lucam idem sit qui fragmentorum dogmaticorum, aeque mihi incertum est: ceteroquin stilus utriusque operis perinde humilis ac subrusticus est; id quod nemo mirabitur, qui saltem Victorinum medio saeculo quarto scribentem legerit; vel ea noverit quae de Ioviniani elocutione dicit Hieronymus initio operis, quod adversus hunc infantissimum coaetaneum suum conscripsit. Arriana fragmenta e tribus ferme tractatibus superesse videntur, nempe I. de filio Dei; II. de spiritu sancto; III. de quaestionibus ecclesiasticis. Occurrunt etiam in quatuor paginis ἀποσπασμάτια duo, quae videntur ex apocrypho nescio quo, veteris veluti testamenti, libro superesse. Et reliquiarum quidem tractatus in Lucam ordinandarum (nam palimpsesti omnes perturbatissimi sunt) rationem mihi statim expedivit evangelicae historiae cursus. Verumtamen in ordinandis sermonum arrianorum fragmentis summam expertus sum difficultatem, tum propter hiatus tot, tum quia quaternionum nulla nota numeralis erat, tum denique quia pars foliorum Mediolani est, neque a me Romae degente iam inspici retractarique poterat: itaque in schedis meis festinanter olim confectis conquiescere debui. Saepe tamen foliorum nexus a me observatus favorabile indicium praebuit, ut si non certum, (quod fieri omnino non potest) at probabilem, ut spero, ordinem restituerem.

Tertium mihi christianum palimpsestum (O. 136. part. sup,) in ambrosiana bibliotheca descripsi, homilias quasdam sub Horatii carminibus continentem. Harum tamen non nisi tenue specimen nunc certe edam, quia festinatam sub ipso discedendi articulo scriptionem meam permultis lacunis incertisque lectionibus deformem video. Scriptura videbatur mihi quinti vel sexti saeculi: sententiae erroribus liberae, sed non magni saepe faciendae: stilus vulgaris et interdum soloecizans vel rusticus. Denique in eadem mediolanensi bibliotheca sub Bedae opere de temporibus (M. 14. part. sup.) litteris tyronianis conscripto, latentem nactus sum liturgiam antiquissimam maximis litteris scriptam, cuius item perbreve specimen cum lectoribus meis communicabo.

IN LUCAE EVANGELIUM

RELIQUIAE TRACTATUS ANTIQUISSIMI

EX CODICE RESCRIPTO BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE.

CAP. I.

V. 1. . . . A plenitudine Christi, ut repleti dicamus cum apostolico choro: Codicis p. 20. inv.
de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam ex gratia: et repleti fru-
ctu (a) iustitiae per Christum in gloriam et laudem Dei „. Pulchre (b) autem evan-
gelium ordinationem et narrationem rerum describit, quia disciplina ornata est,
et res spiritualis (c) non corpus est, pietas et iustitia, sanctitas et veri-
tas, frugalitas et temperantia, et siqua de virtutibus dicitur virtus (d),
quae oculis non videtur, et corde puro consideratur, aspectu non tene-
tur, et mente complectitur (e): « beati mundo corde, quoniam ipsi Deum
videbunt ». Quomodo, evangelista, in nobis (f) conpletae sunt narrationes re-
rum, edicito. Sicut tradiderunt nobis priores et praecessores apostoli, guver-
V. 2. natores (g) fidei et rectores, vetusti antistites et pontifices nova credulitate
refecti: quique (h) ab initio electi et bocati, sanctificati et honorati, apostoli
ordinati, et supra homines Dei effecti sunt. Ipsi non audierunt, sed vide-
runt, non corporeis | sed spiritalibus oculis in corpore Deum, miracula et P. 19. inv.
virtutes, beneficia et eximia commoda; quae visum superaverunt praestantia,
aspectum largitate, praeconium donis, relationem muneribus. " Et ministri
fuerunt verbi ". Sequentes et imitantes, videntes et contemplantes, obse-
quentes et honorantes: aut ministri fuerunt verbi unigeniti Dei, qui non
locis vel circumscribtionibus continetur, sed ubique pietate est praesens,
maiestate diffusus: accepta potestate torquentes spiritus immundos, non argu-
mento sed divina potentia: curantes infirmos et aegrotos (i), non figmento sed
caelesti virtute: operantes super naturam miracula: similes facti gratia, non sub-
stantia, ministraverunt; ita ut gloriatur Iohannes cum apostolico choro " quod
» vidimus, et audivimus, et oculis nostris prospeximus, et manus nostrae palpave-
» runt de verbo vitae „. Tali et tanto auctore et talibus traditoribus tradenti-
bus veritatem, quia illorum conamen || . . .

. . . inbolutus est ut absolbat commissa: in praesepe angusto est positus, qui P. 30. inv.
latus in regno est: stellae lumine (k) significatus: ab angelis infans, ut imperator est

(a) Cod. *fructum*. (b) Cod. *pulchro*. (c) Ita cod. at infra *spiritalis*. (d) Ita cod. (e) Passiva significatione. (f) Cod. *vobis*. (g) Ita cod. ut in vulgari Italorum lingua. Mox contra *bocati*: et sic deinceps perfrequens litterarum *v* et *b* perturbatio; quam quidem confusionem nonnullae adhuc gentes passim faciunt. (h) Cod. *quiqui*. (i) Cod. *egrotos*; sed infra cum diphth. (k) Cod. *lumen*.

conlaudatus: a magis devote (a) est veneratus (b): a pastoribos Deus in corpore religio-
se est adoratus: quomodo Zacharias benedixit; Elisabeth conlaudavit; Simeon deprae-
catus (c) est; Anna praedicavit; Iohannes vociferatus est; vox verbum, pater filium
depraedicavit (d); quomodo daemones non argumento sed potentia torsit, et in
multis aegrotorum dispendiis plura sanitatum commoda intulit; quae omne ingenium
stupore constringunt, miraculo vincunt: quomodo parabolarius caelestis doctrinae
extendit parabolas; in obe (e) nos requisivit; in drachma invenit; in filio per-
dito, affectu suscepit; in vilico paenitenti indulgentiam dedit; in agricola et
pastore remuneravit; in iudice et vidua exandivit; in merchatoribus (f) servis
P. 29. inv. divitias contulit; in vinea | frugiferos fecit; in lapide probatos aedificavit: quo-
modo publicanos, evangelistas; peccatores, iustos; avaros, misericordes; me-
retrices, virgines castas; latrones, confessores perfecit; inter supplicia para-
dissum (g) praemium intulit; per passionem perfugia; per mortem vitam; per
resurrectionem gloriam; per ascensionem honorem: quomodo angeli ascendenti
testificantur; pater honorat victorem; filius ut rex petit; pater ut imperator
spiritum donat. " Haec omnia ex ordine tibi scribere, optime Theophile, placuit ". V. 3.
Et discedente (h) persona, scribtura loquatur; et cessante ingenio, virtutum
series personet. Et placuit, non ut audias tantum aut legas, sed ut cognoscas
credas et intellegas; et intellectu operis fructum (i) ostendas eorum verborum,
non saecularium, aut legalium ant prophetarum tantummodo, sed evangeliorum
spiritalium et piorum, in quibus salutaris confessio generat praemium praetiosum (k).
" De quibus non (l) edoctus est vel instructus || . . .
P. 40. inv. . . . *non ut* ne vituperentur et blasphementur; sed ante Deum, qui V. 6.
omnia videt, examinat et scrutatur, ventilat et denudat velata, et abscondita
perficit manifesta; cui latere nihil patitur, quia discussor est secretae mentis et
luminis. Dicit evangelista iustitiae fructus et moralia officia: incedentes non am-
bulantes, sed dignitatem sacerdotii pudicitia adornantes; non in paucis mandatis aut
decem legis verbis, non adulteravis et occides; sed in omnibus mandatis testimonia
legis, teste Domino, adimplentes: dicentes " concupibi mandata tua et testimonia tua.
" Et viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Et a mandatis
" tuis, Domine, non erravi ". Conversationis infert vitam immaculatam, quam
pulcerrime (m) lectio coronabat. " Et iustificationibus Dei ": ut mundi victores, de-
siderii carnis sedatores gloriarentur ex actibus: " lex Domini inreprachensibilis
" convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam praestans (n) par-
P. 39. inv. " vulis: praeceptum Domini lucidum | inluminans oculos: timor Domini san-
" ctus, permanens in saeculum saeculi: indicia Domini vera, iustificata in se-
" met ipsa: et iustificationes tuas non sum oblitus ". Quomodo incedentes erant
sine quaerella (o)? id est sine macula et crimine, sine denotatione et accusatione
mortalium; a foris bonum testimonium, ab intus praeclaram laudem habebant;

(a) Cod. *devotae* et mox *religiosae*. (b) Passive. (c) Ita cod. cum diphth. constanter, ut in aliis priscis codd. (d) Cod. *depraecavit*, (e) Ita cod. pro *ove*. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Cod. *descendente*. (i) Cod. *fructuum*. (k) Ita cod. (l) Ita cod. *non*, et mox *est*. (m) Ita cod. (n) Cod. *prestans*. (o) Ita cod.

qui probatorem evidentissimum Dominum possidebant. Huius exemplo talem episcopum esse inreprachensibilem Paulus praecepit, qui meritis clarus sumat cum Deo (a) loquendi fiduciam. O miranda evangelica sapientia! laudat parentes, ut filium generosum nasci significet: praedicat originem uberrimam, ut (b) uberiorem orire (c) commendet progeniem. Condemnationis sententiam, " et non erat illi (d) filius ". Ingrata sine fecunditate possessio, sine fructu ager, sine floribus ortus (e), sine ornamento paradissus, sine muneribus iustitia, sine successore hereditas, sine filio paterna || . . .

V. 17. . . . ille quinquagenarium igni exussit, iste Phariseos (f) corripuit: ille P. 42. inv.
Iordannen (g) melote scidit, iste aquas Iordannis sanctitate replevit: ille curru igneo raptus ductus ad caelum est, ne terra noceret malitia, iste deposito corpore incorruptus victor regnum petivit. Helias dicitur Dei et Domini; tesbites, conversor (1). Et iste gratia (2) Dei et conversor, ut hoc faceret " praecessit ante illum convertere corda patrum in filios "; ut patres diligant filios, filii affectu suo honorent parentes, ut non immolent eos daemoniis (h), sed victimas religiosas in sacerdotii cultu praecones constituant Deo, ut Abraham Isaac, Iacob Leuvi, Leuvi Aaron, Manoe Samson, Anna Samuelem, Iesse David, David Salomonem. " Et incredibiles (i) ad prudentiam iustorum ": ut (k) insipientes, prudentes; peccatores, iusti; incredibiles, credibiles fierent. " Pararo viam Domino " qui in forma servi venturus est post Iohannem: plebem perfectam | in auditorio ad doctrinam, ut audientes perfecti perfectam doctrinam, perfectam consequantur salutem. " Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum " (l) — Peregrina (m) P. 41. inv.
V. 18. ac stupenda narras. " Unde hoc sciam (n)? " Nulla me exempla admonent scripturarum, quod talis ac tantus filius nascitur; praesertim (o) cum natura fraudata (p) deficienti aetate generandi denegat fructum (q), — amisit iuvenalem calorem, fervore cessante: incurvus et deflexus vicinus sum sepulturae, et nulla spes mihi procreandi munimen transmittit: et uxor mea processit in diebus suis, tota defecta et extincta, mortis imaginem possidens; ut (r) pallore utrisque deceptis nulla seminalis ad filium messis adsurgat (s). Homo Dei, Israhelis (t) instructor et invitator caelestis, qui adsto ante Deum ut famulus || . . . Q. II. *
. . . ut in deficiente aetate crescens germen ascenderet: ex sterili (u) fecunda P. 17. recta.
progenies, ex mortua viva; et incredibilibus motibus (v) Dei credibilis potentia

(a) Cod. *do*; atque ita scribitur alibi *Deo*. Alioquin legissem *docet*. (b) Cod. *et*. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. sine adspiratione; quod quidem licere observat cum grammaticis Forcellinus. (f) Ita cod. sine diphth. (g) Ita cod. (h) Cod. *demoniis*; sed superius cum diphth. (i) Ita cod. (k) In cod. interseritur iterum *prudentiam iustorum*. (l) Sequitur spatium vacuum unius versus. (m) Cod. *peregrinam*. (n) Cod. *suam*. (o) Cod. *praesentim*. (p) Cod. *fraudatam*. (q) Sequitur spatium duorum prope versuum. Nimirum sacri textus quaedam partes litteris coloratis vel aureis scribebantur, quod genus scripturae non tulit aetatem in palimpsesto. Res infra clarius patescet in codicis pagina 279. ed. 185. (r) Cod. *et*. (s) Spatium unius versus. (t) Cod. *ihelis*. (u) Cod. *exterili*, ut in codice Ciceronis de rep. II. 21 *exervo* pro *ex servo*. (v) Cod. *montibus*; tum *r* imposita fuit supra o.

(1) Sic etiam s. Hieronymus de nom. hebr. ad III. Reg. *Thesbi*, *captivans sive convertens*.

(2) Respicit auctor ad significationem nominis *Johannes*.

* Nimirum ante paginam 17. explicit quaternio II. Hinc autem cognoscimus desiderari hactenus huius operis paginas XXIIII (si certe tractatus incepit quaternione primo.) Nam duorum quaternionum (quae sunt paginae XXXII.) paginae tantum octo supersunt.

monstraretur. (a) — *mensibus* quatuor, in quibus infans carno formaretur, linia-
mentisque membrorum depingeretur; aut uteri pondere et magnitudinis honere
(b) accusaretur: sed occultabat se mensibus quinque donec descenderet in puero (c)
anima, et spiritu sancto confirmaretur. (d) — agro virgineus campus eius e-
xemplo concipiendi roboraretur flore salutis. Occultabat ae et erubescebat, us-
quequo puer velut milex (o) devotus saltaret ante caelestem imperatorem, et V. 24.
matrem suam matris (f) Domini faceret laudatricem. Usque tunc abscondebat se.
Postquam autem salutis progenies coepit virginis pubescere utero, et ad visitan-
dum saeculum propinquare, gloriabantur dicens " quid mihi sic fecit Dominus?"
P. 18. recta non Zacharias, sed Dominus, quia a nullo | humano adiutorio, sed divino bene- V. 25.
ficio gaudeo. Euva (g) semel castigata didicit disciplinam dicens, adquisivi ho-
minem per Deum; et ego marito et sacerdote taciturnitate damnato emendata non
debeo luqui? Quid sic fecit mihi Dominus? novam Sarram et Rachel ostendens
in mundo, Manoe coniugem, et Annam sanctissimam in diebus in quibus re-
spexit auferre obprobrium meum inter homines. Homines enim vicini et paren-
tes maledictam (h) me et opprobrio (i) habitam, despectam et contemptam ha-
bebant: ut vicini David et amici Iob sine regno et divitiis videntes in stercore
foetidum considentem, qui iustitiae fraglabat (k) odoribus; ita et me contem-
plantes arbitrabantur eiusmodi. (l) Respexit iustus oculus, index arbiter secre-
torum, et maledictam me benedictam perfecit, abstulit obprobrium et dedit ho-
norem; tulit respectum et reverentiam intulit; amovit contumeliam et praestitit
gloriam; super naturam naturae beneficium || . . .
P. 7. recta . . . pater meus es tu, Deus meus, et ego primogenitum ponam illum.
Ecce concipio et pario filium. Sine nomine? non. "Et vocabis nomen eius Ie-
sum". Vocabis, non impones, quia qui ante saecula genuit, ille donaus no- V. 31.
men inposuit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen: et invo-
cantibus multa nascuntur remedia, aegrotis sanitas, debilibus incolumitas, in-
firmantibus (m) fortitudo, adversis tormentum (n), subiectis defensio, extinctis vivifi-
catio. Ut dicat Petrus, non est aliud sub caelo datum nomen hominibus, in
quo oportet nos salvos fieri. Ecce voco nomen eius Iesum. Forsitam (o) na-
tus filius dedecus procedit aut dignius (p)? aut parvus sicut Zacheus natura
fraudatus? non. Erit enim magnus; non ut Moyses et Iohannes sanctissi-
mus, quia ambo magni et prophetae inventi sunt. (q) — factum est eum V. 32.
magnus fuisset Moyses. Et erit magnus, non ut Iohannes; et vinum et si-
P. 8. recta ceram non gustavit (r); sed magnus | ut unigenitus Dei. Magnus Dominus et
laudabilis nimis. Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et
salvatoris nostri Iesu Christi. Hic magnus non tuus filius, non Ioseph, non Da-

(a) Sequitur spatium unius versus. (b) Ita cod. cum adspir. ut in fragmentis iuris vaticanis. (c) Ita cod., non *in puerum*. (d) Sequitur spatium unius versus. (e) Ita cod., ut alibi *direx*. (f) Cod. *matrem*. (g) Ita cod. ut supra *Euvi*. (h) Cod. *maledicta*, ob sequens *m*. (i) Ita hoic cod., quamvis ante et post *obp*. (k) Ita cod. *l* pro *r* cum metathesi, ut apud Frontonem. Est autem *fragrare odoribus* locutio s. Ambrosii de off. (l) Fortasse inters pungendum est ante *eiusmodi*. (m) Neutrali sensu. (n) Ita codex, vel certe schedae meae. (o) Ita cod. *m* pro *n*, ut haud raro in aliis antiquis codd. (p) Ita cod. Fortasse pro *aut*, dicendum *haud*. Id enim mendum frequens est in codd. (q) Sequitur spatium dimidii prope versus. (r) Ita cod. *c* pro *b*.

vid et Abrabam, sed filius altissimi vocavitur: non altissimus (1), sed altissimi; non paracletus, non pater, sed filius: non unus et solus, sed alter alterius, de quo scribtum est "altissimum posuisti refugium tuum; et tu solus altissimus super omnem terram; et tu autem altissimus in aeternum Domine; et ipse fundavit eam altissimus". Et multa alia. Qui babitat in adintorium (a) altissimi; non ut adiubet patrem, sed ut adiubet mnndnm. Et, Iesu fili Dei altissimi. Erubescat Paulus, Fotinus, et Ebion, quia quem Maria concepit et peperit, non Mariae est, et bomo hominis filius; sed filius altissimi vocavitur. Ecce vocabitur (b) altissimi filius. Ne unam dignitatem habet cum patre? ne unam sedem (c) et honorem? non (2). Et davit illi Deus, qui a nemine accipit et omnibus ||
praestat (d), sedem patris sui, sicut ante saecula sedem dedit; non sibi comparem, P. 9. recta
sed subiectam; rex regalem constituens; pater filio affeetualem non aequalem; de qua sancti clamant: "cum iustitia paratur sedes principatus, et sedes tua Deus in saeculum saeculi. Et, parata sedis (e) tua ex tunc, a saeculo tu es". Ita et in saeculum dedit sedem rex regalem, ut rege sedente vitia coneulcentur, virtutes salventur. "Et regnavit (f) in domo Iacob: super omnem ecclesiam (g), super fidelium et credentium animas aeternus; non in tempore sed in aeternum: de quo scribtum est: "Iacob puer meus, suscipiam eum; Israhel dilectus meus, ad-
V. 33. sumit eum anima mea. Et regni eius non erit finis". Habet principium, nescit finem; quia te perfeetus pater perfectum filium genuit; ut in genitura praestaret initium (3), et in regno nulla invidia successionem perficeret. De principio haec est
vera significatio. "In principio erat verbum (4). | Ego principinm, qui et loquor vo- P. 10. recta

(a) Ita cod. (b) Ita cod., quamquam prius *vocavitur*. (c) In cod. repetitur *sedem*. (d) Cod. *prestat*, ut et infra *prestaret*. (e) Ita cod. (f) Ita *v* pro *b*. (g) Cod. *aecclesiam*.

(1) Incipit iam se prodere arrianum noster Anonymus. Porro ecclesia adversus hanc blasphemiam canit in trisagio: *tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus ALTISSIMUS, Iesu Christe.* Diserte autem titulum *altissimi* vindicat Christo Fulgentius contra Fab. fragm. I.

(2) Putus hic est arrianismus. Satis autem mihi est ponere heic verba in concilio aquileiensi a magno Ambrosio prolata post diu confutatum Palladium arrianum. *Ambrosius episcopus dixit: anathema illi qui negat filium secundum divinitatem aequalem patri. Omnes episcopi dixerunt, anathema.* Et paulo infra Ambrosius: *subiectus est filius Deo* (patri) *secundum carnem, non secundum divinitatem.* (ed. Chiffl. p. 497. sqq.)

(3) Iterum error mortiferus Arrianorum, quem inter ceteros acute refutat Vigilius taps. dialog. contra Felicianum ed. Chiffl. p. 335. sqq. probans filium patri esse coaeternum. Certe si filius non est aeternus, ne pater quidem, pater est aeternus. Ergo pater Deus, numquam fuit sine filio Deo. Legesis Augustinum contra sermonem Arrianorum ff. 2. et 32. Leo quidem magnus serm. XLVI. 3. aiebat Romanis: *credite consempiternum patri filium Dei.* Idem adfirmatur serm. LXXVI. 2; Et serm. I. in append.

(4) Interpretatio arriana, quam orthodoxi patres plerique omnes graeci et latini refutaverunt. Instar omnium graecorum haberi potest Cyrillus comm. in Iohan. quem legere operae pretium erit. Sed en certe verba magni Chrysostomi homil. II. in Ioh. τὸ ΕΝ ΑΡΧΗΙ ΗΝ, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἀλλ' ἢ τοῦ εἶναι ἀεὶ δηλωτικὸν καὶ ἀπείρως εἶναι: *illud IN PRINCIPIO nihil aliud significat, quam quod semper fuerit et aeternus sit.* Ambrosius de fide I. 8: *omnes haereses hoc capitulo brevi piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio praevenitur. Ergo Arrius conticescat. — Indefinite tenditur ERAT; quidquid excogitaveris, ERAT filius.* Fulgentius ad Trasim. I. 6. recitatis Iohannis verbis ait: *quibus tribus evangelistae sententiis, et sempiterna verbi nativitas, et personalis inconfusa proprietas, et indiscreta substantialis unitas patris filiique monstratur.* Lege eundem contra Fab. fragm. XIX. XXIV. Extant de hoc textu sermones quatuor s. Augustini a CXVII ad CXX. Mihi tamen heic plures patrum auctoritates congerere, supervacaneum videbatur.

„ bis. Tecum principium in die virtutis tuae. Haec dicit Dominus, principium vi-
„ arum eius. Dominus creavit me principium(1). Ego alfa et ego Ω (a) „ id est princi-
pium et finis. Et multa alia quae dicenda sunt ad finem (b). Haec est con-
firmatio " regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni
„ generatione et generatione. Regnavit Dominus super omnes gentes; Deus sedet su-
„ per sedem sanctam suam. Et rex magnus super omnem terram, quoniam rex
„ omoi (c) terrae Deus. Psallite sapienter. Et videbitis regem cum gloria venien- V. 34.
„ tem. Dominus regnavit, decorem induit. Dominus regnavit, exultet terra „. Et
similia plurima, quae describenda sunt. LEGE (2). " Dixit autem Maria ad an-
„ gelum, quomodo fiet istud, quod virum non novi? „ Super naturam et substan-
tiam extendis sermonem. Dictum tuum non solum me, sed totum mundum stu- V. 43.
pescere facit | | . . .
P. 36. inv. . . . mater; vivorum Deus pater. Non debet esse ante filium pater qui
vitam filio dedit, et nihil accepit a filio (3)? sicut de illo filius gloriatur:
sicut pater habet vitam in se, sic et ego vivo propter patrem, non pater
propter me; et vos vivitis propter me. Et ne diceret sancta Maria, et on- V. 44.
de hoc manifestum et notum est tibi quod mater sum Domini? infert Elisabeth
iustissima lege (d) — " *Ecce enim ut facta est vox salutationis* tuae in auribus
meis „. Devotionem honoris et reverentiae mihi obsequium portans, salutem mun-
do, de lucro iustorum, de aumento (e) sanctorum, de fidelium incolumitate et
gaudio, quod et angelis est futurum in caelo, et confessoribus victoribus praepa-
randum (f) — ante regem, ut servus ante dominum, ut praeco ante imperatorem
caelestem, ille exultavit in utero, et me matrem fecit, tuam (g) et Domini lao- V. 45.
P. 35. inv. datricem (h) | — perseverasti incredulus, ot vocis dispendium acciperes cum linguae
iactura (i). Sed beata suscipiens a beato beatum, augeas vocem cum lingua verbo
nascente. Nec times (k) de praeterito peccatorum, nec in praesenti damnatio-
nem, sed excludes timore ut credulitate iudicium. Quapropter " quoniam perfici-
untur ea „; non inchoantur sed perficiuntur ea, de perfecto perfecta. " Quae dicta
sont „ non ab angelo sed Domino. Per singula crevit mulieris fides, ut virginita-
tem credulitate (l) confirmet anicula, et in angelo loquentem Dominum (m), et in Do-
mino cognoscens Deum (n). LEGE. (o) — *Quia* de me talia beneficia et praeconia praedi-

(a) Cod. Θ (b) Cod. *ad fine*. (c) Ita cod. (d) Spatium unius versus, quantum scilicet occupant verba a me suppleta, quae olim sacc aliquo, qui iam evanuit, scripta fuerunt. (e) Ita cod. quam scripturam in aliis quoque codd. vidi; et sic loquimur vulgo Itali. (f) Sequitur spatium unius versus cum dimidio. (g) Ita cod. (h) Spatium dimidii versus. (i) Cod. *iacturam*. (k) Ita cod. (l) Cod. *credulitatem*. (m) Cod. *Dominus*. (n) Cod. *Dominum*. (o) Spatium unius versus.

(1) Sollemne Arrianorum argumentum ex proverb. VIII. 22, quod refutat in primis Hilarius de trin. I. 35. et XII. 35. sqq., nec non Ambrosius de fide III. 7.

(2) Hinc cognoscimus recitatum fuisse hunc tractatum, atque oratori adfuisse anagnosten, qui sacri voluminis verba legeret, super quibus ille disserebat. Sic fit in antiquis graecorum et latinorum orationibus.

(3) Refert hoc ipsum Arrianorum argumentum Augustinus serm. CXVII. 6. et sic detestatur: *hoc respuit fides, respuunt aures catholicae, anathematur, extra est qui hoc sapit, non pertinet ad participationem societatemque sanctorum.* Tum pergit explicare per ingeniosas similitudines quomodo filius coaeternus sit patri. *O arriane, si invenero genitorem non praecedere tempore illud quod genuit; si genitum non esse minorem tempore, illo a quo generatus est, iustum est ut concedas mihi posse ista coaeterna inveniri in creatore.* Et cetera, quae a me recitari ob prolixitatem non debent.

V. 46. caverunt, non me extollo, sed Deo gratias ago. " Magnificat anima mea Domi-
num ,, : quia parvam me, magnam fecit; exiguam, eximiam; despectam, visita-
tione respectam. Non enim omnis anima magnificat Dominum; peccatoris et in-
iusti non magnificat || . . .

. . . non iustificantem se, sed potius criminantem; qui dum alterum per- P. 46. inv.
cutiebat, se extollebat. Vide publicanum inclinatum oculis in terram, erec-
tum mente in caelo, qui multitudinem peccatorum brebi (a) lacrimarum muta-
vit commercio, et in planeto (b) conparavit iustitiae gaudium; et intelleges
V. 52. " deposuit potentes de sede et exaltavit humiles ,, . Et quia pater panem cae-
V. 53. lestem, panem vivum, transmisit in terram "esurientes implevit bonis ,, ut re-
pleti elament "replevimur (c) in bonis domus tuae ,, . Quos autem esurientes replevit?
de quibus dixit " beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam ,,. Et gentes legis (d) evan-
geliis, prophetarum et apostolorum pascens sermone, replevit bonis; et divites iu-
daeos populos (e), qui ad nuptias et cenam (f) rogati noluerunt venire, dimi-
sit inanes. "Dico enim vobis quod nemo virorum illorum, qui rogati sunt, gustabunt
V. 54. caenam meam ,, Pro his quos suscepit | in caena (g) et nubtias. Suscepit Israel ,, men- P. 45. inv.
te Deum videntem, fide laudantem, sine dolo et macula conversantem, simplicitate et
innocentia concordantem. " Israhel puer meus, suscipiam eum ,,. Ut quid? memorare mi-
V. 55. sericordiae suae. Ut quos iustitia inclinabat, ampla misericordia erigeret. " Sicut lo-
,, cutus est ad patres nostros, ad Abraham ,,. Erit semen tuum advena (h): et extendam
misericordiam meam, et educam eos de malignitate Aegyptiorum. Et semini eius
in saeculum ,,. Sicut miseretur pater filiis, ita misertus est Dominus timentibus
V. 56. eum. Et quoniam confirmata est super nos misericordia eius (i) — *Mansit Maria
cum illa quasi mensibus* tribus. Ut castitatem suam et pudicitiam stabiliret, et
virginitatem et continentiam confirmaret: ut exemplo sterilis, gratum virgo pondus
sufferret in utero: ut diligeret Christum, ut virum sponsum, ut custodem: ut ante
Pauli dicta, quae sunt Pauli servaret; " anus ut adulescentulas || . . .

. . . condonavit: ut oculus stupeat miraculum, mens intendat repentinum myste- P. 31. recta
rium. Credo enim Elisabeth, dum opprobrio haberetur, cum propheta orabat: " miserere
,, nobis, Domine, miserere nobis, quia multum repleti sumus contemtione; multum re-
,, pleta est anima nostra obprobrium (k) abundantium, et despectione supervis (l) ,,. Quia
V. 57. taliter sincere oravit, iustitia remunerationem suscepit ad laudem (m). — *Elisabeth autem
impletum est tempus pa*riendi. Non omnium tempus pariendi impletur: quidam de-
formata carne iactantur; quidam mortui proiciuntur ex utero: plerique ut peccato-
res et impii necantur in partu (1). Sicut scribtum est " alienati sunt peccatores ab ute-

(a) Ita cod. pro *brevi*. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Cod. *populo*. (f) Ita cod. At mox *cae*. Utraque scriptura occurrit in aliis priscis codd. (g) Vel dee *nuptiis*, vel antea scribe *in caenam*. (h) Cod. *advenam*. (i) Spatium unius versus, quantum ferme occupabant verba a me suppleta. (k) Ita cod. etsi superius *opprobr*. (l) Ita cod. (m) Spatium unius versus, in quo oblitterata verba reposui.

(1) Intelligitne auctor originale peccatum, an potius futura actuum peccata a Deo praevisa?

„ ro, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa „. Et Iob “ quare autem a bulva (a) non
„ sum proiectus, et ex utero procedens statim obii ? „ Haec autem quia iusta erat,
P. 32. recta et filium iustum parturiebat, impletum est tempus ut praeconem plenitudinis pareret. Non inplebit (b) tempus | Iohannes, sed impletum est ab illo qui omnia implet,
caelum gloria, terram misericordia. (c) — heredem substantiae, restauratorem sacerdotii. Peperit filium non sibi sed Deo, non terrae sed caelo, non saeculo sed
paradisso, non mundo sed regno, non hominibus sed sacro martyrio. Sicut enim
mater filiorum Macchabeorum peperit martyres, qui septimanam felici passione (d)
ornarunt; ita et haec peperit filium qui mundum salvavit praeconio, regnum ornavit victoria. (e) - *Et audierunt vicini et cognati eius quia magnificavit Do-* V. 58.
minus. *Alii* qui proximi domui erant, alii qui familiaritate conmixti originis, qui
primum esse opprobrium iudicabant. Et audierunt novam gloriam factam. Et auditus factus est, parvam (f) faciens magnam; deiectam, erectam; humilem, gratia (g)
exaltatam; sterilem, fecundam; fraudatam beneficiis, visitatam || . . .

CAP. IIII.

P. 22. inv. . . . et iactura; et ipse altus crudelitate, altiorem ruinam perficeret. Super
hunc montem dies Domini sabaoth est, ut temtator magnus maiore poena iudicis condemnetur. (h) *Et duxit illum diabolus in montem excelsum*. - quia est invisibilis et V. 5.
aerius (1) angelus, et volucer spiritus, circuit mundum ut cito subvertat, lustrat in
ictu oculi ut subversis citius parturiat mortem. Ostendit autem regna cuncta scienti,
ut quae ipse dederat, sua deceptione perficeret. “ Per me reges regnant, et potestates
„ scribunt iustitiam, et tyranni obtinebunt terram (i) - *Et ait tibi dabo*. O temeritas, cuius fiducia citius Dei damnatur potentia ! (k) - *potestatem hanc univer-* V. 6.
sam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt. „ Ambitione et contemtu (l)
hominum erumpente pro imperio et sublimitate, pro coronis et divitiis concertantibus. A Satana (m) mihi tradita sunt meo auctore (n) - *Tu ergo si adoraveris* V. 7.
P. 21. inv. *coram me*. Tantum meis inescatus insidiis, me ministeriis placet, honoret obsequiis.
(o) - non me sed ante me Satanan, et idolorum (p) eius culturam, in quibus inlicientes veneratur Hore (q) - quae deceptione mea propria facta sunt. Infelix, ultro confiteris, quae (r) te victo futura . . . (s) mtate spondes, quae (t) pietate sunt
corrigenda. Ut omnes gentes mutatis moribus, si non natura, pro diis (u) veneratores Dei exultent (v) in caelo. Non habes spatium in terra, locum in mare, perfugium in deserto, diserte (x) omnia mihi dare promittis ? In porcos non

(a) Ita cod. (b) Ita cod. *inp*, cum alibi sit *imp*. (c) Spatium duorum ferme versuum. (d) Cod. *passionem*. (e) Spatium versus unius cum dimidio, ad quod suppleta verba quadrant. (f) Cod. *parum*. (g) Cod. *gratiam*. (h) Spatium prope duorum versuum, quod ita explevi. (i) Rursus spatium dimidii versus, quod sic explevi. (k) Spatium prope duorum versuum. (l) Cod. *ambitionem et contemtum*. (m) Cod. *a Satanam*. (n) Spatium unius versus ita explevi. (o) Spatium unius versus. (p) Cod. *dolorum*. (q) Ita cod. Sequitur autem spatium dimidii versus. (r) Cod. *qua*. (s) Spatium quatuor circiter litterarum. (t) Cod. *qua*. (u) Cod. *idis*. (v) Cod. *exultant*. (x) Cod. *deserte*.

(1) Loquitur ex illorum falsa sententia, qui angelos aeream substantiam existimabant.

habes potestatem, porcorum possessor; et regna regi, gloriam glorioso, polliceris? (a) - Non " retro me „ ut imiteris et sequaris, sed " vade retro „ temerarie, condemnate, audax, calcate, inferno digna, morte et interitu deputate, ut ultra gentibus non praecedas, sed quicumque revertitur . . .

V. 17. . . . constautiam non deposuit, sed poena (b) ingentem, et feliecm confessionis requiem consecutus est (c). *Ut revolvit librum*. Qui caelum involvit, ut librum conplicuit; cameram construxit ut tabernaculum, extendit ut pellem, scribsit sine atramento stellarum fulgorem (d). *Invenit locum ubi scriptum erat*. Non eventu, sed scientia sua. Nihil enim inventu, sed cognitione divina scit unigenitus Deus (e); quod scribsit invenit; et quod dictavit, magno opere conpraehendit, ut disposita rebus, dicta factis impleret P. 28. inv.

V. 18. (f). *Spiritus Domini super me*. Quidam male accipiunt, quod sicut sub lege, ita sub spiritu factus est. Sed spiritus Domini, non Dominus super illum est, ut eum dominico spiritu (g) signaret, et patris volumtatem (h) beneplacitam declararet dicentis (i). — Ubi sunt qui alterum legis structorem, alterum evangelii adserunt (1)? Erubescant || et cognoscant, quia utrorumque ordinator ipse est. Et ideo spiritus super illum extensor est. Propterea uncxit me, propter praeterita, praesentia, et futura (k) omnia beneficia, quae primum Galilaeis et post haec toto (l) intulit mundo. Deus ante saecula uncxit me Deum. « Propterea uncxit te Deus tuus ». In saecula uncxit me sancto spiritu et virtute, iuxta Petrum; ut unctus athleta de malignitate diaboli reportet victoriam. Vel unctus unguam credentes misericordiae oleo. „ Evangelizare pauperibus uncxit me „ ut nuguento evangelistam suum perficeret. Et nuntians caelestes eius provisiones. Pauperes qui facultates suas honesto spiritu erogaverunt; aut pauperes qui ignorantia et perfidia erant, ad divitias paternas et thensauros perducere sapientiae: ut in divitiis divitem praedicarent; et cuius beneficiis corde gaudebant, ore proferrent: divex (m) in omnibus qui invocant eum || . . . P. 27. inv.

V. 43. . . . (2) quod et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; ad hoc enim missus sum „. Ut missus mittentem, regnator regnatorem designaret (n), ut pro- P. 12. inv.

V. 44. missis (o) a rebus dicta factis determinaret. (p) — *Et erat praedicans in synagogis Galilaeae* „. Praeco patris, minister altissimi, nuntius (q) celsitudinis, saeerdos Dei summi, doctor heatitudinis. " Et erat praedicans „ quid praedicavit, ante retulit dicens (r) - *captivis remissionem*, *caecis visum*, *praedicare annum* Domini acceptum

(a) Spatium unius versus et fere dimidii. (b) Ita cod. Mallem *praemium ingens*. (c) Spatium dimidii versus. (d) Cod. *fulgore*. Sequitur autem spatium versiculi cum dimidio. (e) Ita cod., non *Dei*. (f) Spatium unius versus. (g) Codex videbatur habere *suum*. (h) Ita cod. et sic in aliis antiquis mss. (i) Spatium prope unius versus. (k) Cod. *factura*. (l) Ita cod. (m) Ita cod. ut alibi *milex*. (n) Peyr. *dissignaret*. (o) Peyr. *promissis*. (p) Spatium versus fere cum dimidio sic explevi. (q) Lacuna apud Peyr. (r) Rursus tantundem fere spatii explevi.

(1) Manichaei videlicet et Marcionitae, de quibus legesis Photium amphiloch. CLXXII. coll. vat. T. I. p. 331.

(2) Ab hoc loco usque ad pag. seq. voc. *prophetas*, et deinde a voc. *Gennesareth est civitas* usque ad *ministros adnumeret*, edidit breve fragmentum ex eodem codice ambrosiano cl. Peyronius in comm. ad catalogum bibliothecae bob. p. 131—133.

misit me. „ Et erat praedicans „ rex constitutus a rege(a), filius a patre, unigenitus a genitore, qui pro Iudaeis et istas gentes in hereditate et possessione suscepit. "Erat praedicans praeceptum Domini „ non ut vanus sed ut sapiens (b)" in sinagogis (c) Galileae, ut sinagogas „ Galileae pietatis gratia enutriret, cognitione inlustraret, veritate inluminaret, vita aeterna firmaret.

CAP. V.

Cum turbae irruerent in eum ut audirent verbum Dei. O praedicatio scientiae cognitionis, salus, profectus! Ita enim suaviter praedicavat, ita (d) dulcius mellifluo (e) sermo-
P. 11. inv. ne | decurrens, *ut* (f) non solum convenirent, sed inruerent turbae (g) *in eum ut audirent verbum Dei*. Velut apes (h) ad tymum aut (i) flosculos catervatim, ita ad rosam salutiferam virginis et lilium odoriferum patris; non ut speciosam personam viderent aut pulcerrimam tantum faciem (k) mirarentur; sed ut audirent verbum Dei; non mosaycum aut propheticum solum, sed evangelicum verbum: in quo creata sunt omnia et firmata, salvata et reparata. O auditus credulitatis principium! intellectus sacramentum, operis virtus, virtutis fecundissimus fructus! Et nos taliter audiamus, ut auditum in opere, intellectum in facti magnitudine ostendamus: ut dicatur de nobis, non enim auditores legis iustificabuntur; et qui fecerit et docuerit, hic magnus vocavitur in regno caelorum (l) — Conpellet nos evangelicus sermo honorare auctorem, glorifi-
P. 14. inv. care omnium conditorem. " Et ipse „ iuxta ceteros prophetas. || " Et ipse „ quia et Moyses stans ad ripam caelum rupit clamoribus: et Iesu Nauve meritis Iordannen discidit: Helias et Helisseus mortua pelle: et praece (m) Iouas de profundo pelagi et utero (n) coeti superna caeli regia penetravit. Iuxta illos (o) *et ipse stabat secus stagnum Genesareth*. Gennesareth (p) est civitas Palestinae. Ab hac lemnisci (1) palus habet inductum, quae argenteo stagnantem (q) colore possidet aquam; periculosa navigio, piscibus copiosa, naufragio perfida, multitudine fructuum fida. Iuxta (r) stabat piscator, fons caelestis, portus salutis. Gensareth (s) ipse. Namque (2) lacus velut quodam maris ambitu (t), sinus amplissimus in longitudine centum

(a) Lacuna apud Peyr. (b) *Sapiens* non potuit legi a Peyr. (c) Ita cod. *i* pro *y*. Sed Peyr. habet *syn*. (d) Vocab. *ita* non legit Peyr. (e) Peyr. *melifluo*. (f) *Ut* deest in cod. (g) Spatium unius versus explevi. (h) Vocabula *velut apes* non legit Peyr. (i) Cod. *ut*. (k) Cod. *facie*. (l) Spatium unius vocabuli. (m) Cod. *praeces*. (n) Cod. *uter*. (o) Spatium unius fere versus cum dimidio sic explevi. (p) Peyr. *Genesareth*. (q) Cod. *stagnatum*. (r) Cod. *iusta*, quod vocabulum non legebat Peyr. (s) Ita cod. (t) Cod. *ambitus*.

(1) Sic ego mihi legere videbar. At Peyr. *abhaclemnis et palus*. Videant ergo qui codicem prae manibus habent. Certe si *lemnisci* lectio vera est, iam hinc habere videmur novam etymologiam palaestini vocabuli *Gennesareth*, addendam illis quas profert Vallarsius in adnotationibus ad nomina hebr. et ad comm. in Math. cap. XIV. s. Hieronymi. Nam graeca etymologia Hegesippi, sive Ambrosii, criticis non placet.

(2) Ex hoc vocabulo usque ad *habilis*, verba sunt Hegesippi, sive potius Ambrosii, de excid. hierosol. lib. III. 26. (non 18, ut ait Peyr.); idque in codice ambrosiano adnotaverat manu sua cl. Bugatus, qui hunc palimpsestum hac illac carptim exscribere coeperat, neque tamen quicquam ediderat; immo satis pauca et brevia fragmenta, illinc desumpserat. Idem *In* scholiis conferendos monuit Isidorum orig. XIII. 19; et Bedam de loc. sanctis cap. XI. XII, et homil. V. post trinit.

quadraginta extenditur stadia, latitudine centum quadraginta diffunditur, crispanti-
bus aquis auram de se ipso excitans: unde Gennesar dicitur graeco (a) vocabu-
lo, quasi generans sibi auram: aqua dulcis | et ad potandum babilis. Ut pro pi- P. 13. inv.
scibus susciperet hominis (b), et ex hominibus electos ministros adsumeret. O sta-
tus Christi, meritorum probatio, electionis privilegium, vocationis honor, honoris
gloriosa sanctificatio! (c)
V. 2. *Et vidit duas naves secus stagnum*. Quos ante praevidit divinitatis ocu-
lo, maiestatis praescio (d) lumine, in quibus nautae (e) remigantes et pisca-
tores superflnum navigium vacuumque digesserant artificium. (f) — Non duas syn-
agogas legiferam et profeticam, sed per omnem orbem terrarum multiplices fi-
de recta ecclesias (g) stare iuxta fontem vitae, laudis muneribus plenas; et gra-
tias agere patri, quoniam aput te fons vitae, et in lumine tuo videvimus lu-
men. (h) *Piscatores autem descenderant*. Ut confessione beata ascenderent ad
ecclesiam (i), et pro piscibus, ad vitam conpraehenderent homines sine iactura trac-
tatu (k) salutis. (l) *Et lavabant retia*. Futurae || praedae (m) se praeparantes. Tunc P. 4. inv.
retia lavabant, nunc animas fidelium baptismate sancto; tunc sordes deponebant
a lino, nunc peccata de mentibus auferunt mala; ut servi baptizati, filii reci-
piant bona. Quod Esaias praecepit eloquiis (n), hii adimplebant muneribus: lava-
V. 3. mini, mundi estote, auferte malum, et discite facere bonum. (o) - *Ascendens au-
tem in unam navim, quae erat Simonis*. Illis descendentibus ipse ascendit, ut
(p) hii post ipsum et per ipsum credulitate ascenderent unam navem, unicam
sibi domum perficerent illi spirituale suum mansorium (q), quam propheta orabat:
unam petii (r) a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. Hanc
ascendens sibi habitaculum, credentibus templum perficit: festinat per ligni ge-
nus, crucis deformare victoriam. Non enim in alia nave (s) ascendit, nisi quae
erat Simonis disciplinosi, obedientis et subiecti: in quo manebat alacer animus,
mens calida, voluntas (t) et propositum ardens. Ut subiecto sermone | erectum fi-
de discipulum faceret, rogavit eum. O humilitas! Dominus servum rogat, creator P. 3. inv.
creaturam, guvernator caeli et terrae piscium piscatorem: quia novit plus subie-
cta praece quam imperio elicere, potius obsecratione quam terrore perficere. Qua
causa? ut induceret a terra aliquantulum, et proxime constitutus (u) provisionem
terrae perficeret? Audis ut a terra induceret aliquantulum: intellege a terrenis operibus,
a saeculi cura; ut paulatim *terram* relinquendo, bonis credulitatis operibus caelum
sibi patriam facerent. Et te hodie Dominus rogat, qui imperat ut naviculam cor-
poris tui aliquantulum a terra inducas, et terrena vita (v) derelicta, caeli vir-
tutibus splendeas. Cur autem ascendit,. et cur rogavit? Audi profectum.

(a) Cod. *graeco*. (b) Ita cod. (c) Spatium unius versus explevi. (d) Cod. *prescio*. (e) Cod. *naute*. (f) Sequitur spatium versus unius et plus dimidio. (g) Cod. *eclesias*. (h) Spatium unius versus sic explevi. (i) Cod. *aeclesiam*. (k) Ita cod. (l) Spatium trium fere verborum explevi. (m) Cod. *praede*. (n) Cod. *eloquiis*. (o) Spatium unius versus cum dimidio sic explevi. (p) Cod. *ex* pro *ut*. (q) Cod. *mansorium*. Certe *mansitorium* est apud Forcell. in expulsis. (r) Cod. *peti*. (s) Ita cod., quae est graecae syntaxeos licentia, vel potius latina rusticitas. (t) Ita cod. ut in cod. Cic. de rep. (u) Cod. *proxime constitutus*. (v) Cod. *vitta*. Nimis immutandum erat ut scriberem *terrenis vitiis derelictis*.

Et sedens docebat de navicula turbas (a). Primum navi sedens, thronos docto-
rum et doctrinae conposuit, et in litore basilicam urbis, ut docendo legem in evangelio
P. 6. inv. (b) commutaret: et quidquid vetus || possidet instrumentum, nova gratia reforma-
ret; vindictam in indulgentiam copiosam (c) transferret, mores componeret, celsi-
tudinem et eminentiam (d) patris narraret, maiestatem suam et magnitudinem prae-
dicaret. O doctrina paterna, traditiu immensa, ipsius auctoritas meditanda, et offi-
ciositas fili, fidei status, veritatis columna, credulitatis (e) salus! (f) - qui num-
quam tacet, sed (g) iugiter loquitur, quia verbum et praeco est natus (h) -
Aspicis desiderium. Probo religiosum propositum, et ideo festino simpliciter credulita-
te et actu firmare. (i) *Duc in altum*, ubi multiplex maris est et aqua, ubi co- V. 4.
piosae undae et (k) fecundissimi fluctus immensuraviles (l). Tibi non mihi perficit,
pelagus, ut ex multitudine aquae ad meliorem crescas profectum. Duc in altum,
ubi abyssus. Legis abyssum evangelii invocat in voce cataractarum divinae prae-
P. 5. inv. stantiae (m), ubi est mysteriorum profunditas. | Dic cum Iona, velut sponsus, coeti
talamo (n) clausus, erumpe et clama: de profundis clamavi ad te, Domine. Duc
in altum, ubi altitudo divitiarum, ubi sapientiae et scientiae pendet thensaurus. Prae-
dica cum Paulo oratore Christi, filosopho (o) fidei, et gratiae instructore: o altitu-
do divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Et radicati et fundati: ut possitis conprae-
hendere cum omnibus sanctis quae sit altitudo, longitudo, latitudo, et profundum,
scire supereminentem scientiam caritatis Christi, ut nulla possit vos altitudo daemo-
nis et profundum ab amore meo et martyrio separare. (p) *Laxate retia vestra
in capturam*. Quae lauta a vobis (q) sunt et implicita, ea laxate in captura (r)
piscium; postea in comprensione fidelium hominum. Requirendum quia non po-
tuit eos Dominus rebus aliis et miraculis ad credulitatem perducere, nisi ex pi-
scium praeda? sed intellegi || . . . .
P. 26. inv. . . . incrementum. Cum rogasti inducere a terra, cognovi (s) in V. 8.
provisione provisorem, in doctrina doctorem; in humilitate altum, in pi-
scibus omnium conditorem, (t) — etsi in nave es (u), Dominus es; caelum
tibi famulatur, terra obsequitur, mare piscibus cunctis deservit: noviscum
(v) es ut servus qui ubique es dominus, et sedes dominus ad dexteram patris
(x) - Supervia (y) te expello, ut Amissias sacerdos Amos expulit extra templum, et
Iuda (1) sicuti [a retibus (z)] ceteros expulerunt in prophetas. Sed ego cum Geras-
senis humilitatis et paenitentiae causam rogante me rogo (aa) — *Exi a me*. Donec

(a) Sic explevi spatium versus unius. (b) Ita cod. pro *in evangelium*. (c) Cod. *vindicta in indulgentia copiosa*. (d) Cod. *eminentia*. (e) Cod. *credulitans*. (f) Spatium unius prope versus. (g) Tres circiter litterae obscuratae. Reliquae sunt litterae *dicitur*. (h) Spatium unius versus. (i) Tantum erat spatii in codice. (k) Cod. *unde et et*. (l) Cod. *inmensuravile*. (m) Cod. *prestantiae*. (n) Ita cod. sine adspir. (o) Ita cod. (p) Spatium unius versus sic explevi. (q) Cod. *bobis*. (r) Ita cod. (s) Ita cod. pro g. (t) Spatium duorum verborum. (u) Cod. *est*. (v) Ita cod. (x) Spatium unius versus. (y) Ita cod. (z) Locus oblitteratus. (aa) Interpunguntur haec in codice, ut legamus *rogantem erogo*. Sequitur autem spatium sesquiversus et paulo amplius.

(1) Amos cap. VII. 12.

paenitentia et ieiunio digni effecti dignum mererentur suscipere; instar eorum et
ego, donec emendes me, peto. (a) -. *Quia homo peccator sum*, ne iniustitia mea
te iustum offendat, ne iniquitas tibi sancto displiceat. Nubilo delictorum plenus,
non fero solem coruscum iustitiae | sustinere; tenebris coopertus, diem cum lumine P. 25. inv.
contemplare; pauper divitias patris videre; egenus sapientiae, prudentiae thensau-
V. 10. rum. (b) - Filii Zebedei. Non Petrus solus, nec socii navis, sed Iohannes et Ia-
cobus fili Zebedei, socii artificii, quia non poterant ex multitudine piscium prae-
statorem digne (c) laudare. Miraculo tenebantur; visus perfecit (d) stuporem; aspe-
ctus mentis excessum. Credo dicebant, quod hic est, qui aquae molem separa-
bit (e) a terra, et pelagus piscibus fecundabit (f) -

Ait ad Simonem Iesus, *noli timere*. Non enim veni peccatores perdere,
sed peccatores requirere; non iniquos punire, sed sanctos perficere; non damna-
re interitu, sed misericordia reparare; non mortificare, sed vitam donare. Me ti-
me, et neminem times (g). " Ex hoc iam eris ". Tempore evangelico acce-
ptabili, die (h) salutis non (i) . . . vos quo lumine . . . lin . . || et P. 37. recta
marmoreis pelagi undis, orbibus retium maculosos, tristis contextu, insidio-
sa arte, piscium greges ducas ad mortem. Sed homines captos duo milia et
quinque milia retibus evangelicis conpraehensos per aquam et spiritum deducas ad
vitam. Ut impleatur quod per Hieremiam est dictum: et mittam piscatores, et
V. 11. piscabunt eos; et venatores, et venabuntur. (k) *Et subductis ad terram navibus*,
relictis omnibus, secuti sunt salvatorem et salutaria dicta. Credo dicebant: susci-
piat terra naviculas nostras, quasi mater (l) progeniem suam: relinquamus parentes
et omnia, ut meliorem parentem et cuncta praeparata inveniamus: discamus cum
navibus corpora derelinquere, et imitantes dominum animas victrices martyrio con-
secrare, ut sectantes pro terra caelum, pro saeculo paradissum, pro mundo regnum
mereamur; et gloriemur triumfatores cum Paulo (m) *sequor autem* ut conpraehen-
dam, in quo | conpraehensus sum a Christo; et sequor ad brabium (n) supernae P. 38. recta
vocationis, quae est in Christo Iesu domino nostro. Et quia iustum erat ut creden-
tes apostoli credibilioribus miraculis fierent (o). *Et factum est cum esset in una ci-
vitatum*. *Sine* dubio docens, amore et dilectione, concordia et unanimitate, pace
sancta et caritate invicta civitates conponens, cives sanctorum et domesticos per-
ficiens fide. (p) *Ecce vir plenus lepra*. Nisi esset amator virtutum, numquam vi-
rum sed hominem intulisset: plenus erat lepra, sed intus plenus erat religione;
corpore sordidus, animo mundus; carne contaminatus, mente purgatus; membris
horridus, conscientia pulcher; ignominiam portans in facie, gloriam (q) corde; ut
ostria (r) lapidosus manebat, et intrinsecus margaritam intellegentiae lucentem te-
nebat: loricae modo chartemanus (s) erat vulneribus, et contra diabolum pio pug-
nans proposito. Deo || . . .

(a) Spatium unius prope versus. (b) Spatium sesquiversus. (c) Cod. *prestatorem dignae*. (d) Cod. *profecit*. (e) Pro *separavit*. (f) Spatium prope sesquiversus. (g) Ita cod. (h) Cod. *dies*. (i) Vox ut obscuratus in codice. (k) Tantum fere spatii est in cod. (l) Cod. *matrem*. (m) Spatium sesquiversus. (n) Ita cod. (o) Spatium sesquiversus. (p) Spatium dimidii circiter versus. (q) Cod. *ignominia portat in faciem gloria*. (r) Ita cod. pro *ostrea*. (s) Ita cod. Num pro *carteromachus*?

. . . salvo. Tertio quia scribtum in lege est, qui tetigerit leprosum, im- V. 13.
mundus erit usque ad vesperum: tetigi, et non inquinatus sum, sed inquina-
P. 43. recta tum mundabi (a): tactus non solum eutem purificabit (b) sed animam. Sol in-
stitiae siccabit ernorem (c) vulnerum, et hominem super solem sanitate (d) splen-
desecre fecit (e). Erubescat Marchio (f), qui de hoc loco fantasmatis et putatibi (g) cor-
poris adsumit defensionem: quia fantasmatis habuit corpus, ideo inquinari non
potuit: sed felix (h), quia hos mundat, ipse non inquinatur (i) - Ante tactus of-
cinm beneficia praecesserunt; et ante dictum, factum salutare ostensum est. Ve-
lut hieme et tempestate celeriter discedente, vernum tempus cum salute flo-
res (k) adgessit: fugit velut servus obnoxius passio, et dominans (l) sanitas intro-
ducta est. Totus homo velut infans mollis | et tener corpore factus est, mente
P. 44. recta. perfectus (m) - *Et ipse praecepit illi*. Qui curabit et visitabit, salvabit et repa- V. 14.
bit, praecepit ut magister discipulo et ministro (n) - *Ut nemini diceret*. Ne con-
fitendo, furorem iudaicum igni accenderet, iracundia (o) flammas adcrescere face-
ret invidiae, pro laude (p) mortem pararet (q); dispensatio medici pro mercede
quaerit silentium, pro praemio taciturnitatem sermonis. Quid praecipis, Domine,
ut nemini dicam? cum omnes me viderunt innominiosa (r) facie et lepra reple-
tum, et modo vident me gloriose mundatum, super solem medici gratia resplen-
dentem. Si interrogaverint me, quis te curabit (s)? quomodo curabit? et non pu-
blicavero nomen curantis (t), *metuo* ne forte consequar mortem, quia non potest qui
gaudet silere, nec (u) qui beneficium possidet. Et quomodo dicis ut nemini di-
P. 24. inv. cam? taceat os, et facies adloquatur: sileat lingua || virtus et opus declament. Quid
agam, si nemini dicam? (v).

Vade, ostende te sacerdoti. Sacerdoti (x) me ostendo, qui me exu-
lem et captibum extra templum et civitatem perfecit. Vadens (y) mundus,
ut legem evangelica gratia impleam, profetarum dicta evidentibus factis; ut
sciat Iudaeorum (z) sacerdos quid fecit patris sacerdos. Quomodo eo? (aa) *Offer
pro emundatione tua sicut praecepit* Moyses in testimonium hoc vobis. Tu cu-
ras, Domine, et aliis praecipis ut mercedem persolvam? Tu operaris, et aliis offe-
ro munus? Tu laboras, et illi suscipiunt fructum? Offer; ne cures: in testimonium
hoc vobis est, ut testificemini quod Moysi praeceptum beneficiis consummabi, vete-
ra instrumenta novis cum modis adimplevi: aut cum me Pilato tradiderint (bb), et
suasorem plebis et dissolutorem accusaverint legis; occursus (cc) tu facie mundus,
P. 23. inv. mente inlustris, et Iudaeos redarguas testificans | quod et sacerdotes honorabi mira-
culis meis, et legem cumulabi operibus. Praecepto autem Moysi de curatione le-
prae insistit, hysopum et aciam (dd) tortam inferre: hysopum pro corporis et men-

(a) Ita cod. *b* pro *v*. (b) Ita rursus cod. *b* pro *v*. Et sic infra. (c) Cod. *verborum*. Nisi quis mavult *verberum vulnera*. (d) Cod. *sanitatem*. (e) Cod. *fect*. (f) Ita cod. pro *Marcio*. (g) Ita cod. pro *putativi*. (h) Num pro *filix*? (i) Sequitur spatium versus unius et ferme dimidii. (k) Cod. *florens*. (l) Cod. *dominantis*. (m) Spatium dimidii versus. (n) Spatium priore aliquanto maius. (o) Cod. *iracundia*. (p) Cod. *invidiam pro laudem*. (q) Cod. *parare*. (r) Ita cod. pro *ignominiosa*, quia illo modo fortasse pronunciabatur. (s) Ita cod. *b* pro *v*. (t) Cod. *cum ante*. Tum deest verbum *metuo*. (u) Cod. *nec silero*. Deest autem, ut reor, aliud verbum. (v) Spatium unius ferme versus. (x) Cod. *sacerdotem*, (y) Cod. bis *vadens*. (z) Cod. sine diphth., at recte infra. (aa) Spatium unius versus (bb) Cod. *tradiderunt*. (cc) Ita cod. pro *occurrens*. (dd) Ita cod.

tis munditia (a); arparges (b) me hysopo et mundabor: aciam tortam, fidem spem et caritatem. Tria haec inmaculatam Deo hostiam faciunt. *Fides* est quae credit; spes est quae (c) credita tenet futura; caritas quae victrix odiorum honorat Deum amore martyrii. Est et aliud pro emundatione praeceptum, par turturum et duos pullos columbinos (d): castitatem et pudicitiam, simplicitatem et innocentiam; quas et pro purgatione sua offeret Christus. Talibus victimis Dominus delectatur, qui
V. 15. non expensis sed religione laetatur. (e) *Perambulabat autem magis sermo de illo*. Et virtus quasi ad spectaculum trahet auditores. Loquebantur, quia talis ac tantus medicus venit, qui aspectu ||. . . .

V. 18. . . . generalis medicus cunctis peculiare (f) remedium inferebat. Hoc salutifero commodo invitati, misericordia faciente profectu. (g) — *ecce viri* quattuor (h) portantes in lectulo hominem qui erat paralyticus. Velut tibus (i) dissolutus; velut organum fistulis fractis, nullum modum suavitatis eruptuans (k); velut domus lapsa iacens in solo, totus mortuus, praeter vocem et oculos (l), habebat lectulum pro sepulcro, passionem infelicissimam ad interitum. Et refero infirmi calamitatem, ut (m) laudes medici bonitatem. Hunc quattuor viri plus fide fortes quam corpore, devotione quam manibus, misericordia (n) flexi, affectu inclinati, simili genere (o) condolentes portabant, non ad tumulum sed ad salutis perfugium. | Tunc eo tempore (p) a quatuor (q) est viris portatus; et nunc a quattuor evangelistis portatur dum legitur. (r) *Et quaerebant eum inferre*. Summo studio et diligentia unica. *Et ponere ante eum*. Ut visus ad misericordiam conmoveret, aspectus ad
V. 19. curam. *Et non invenientes*. Sic totam domum circumcinserunt (s) populus, ut esset velut ecclesia (t) plena, velut civitas circumdata hostibus. Dum non inveniunt locum, faciunt fidei locum, dum non spatium sumunt, faciunt religionis officium; dum non possunt inpetrare (u) viribus, inpetrant actum (v) devotionis consilio, sine scalis credulitate. *Qua parte eum inferrent prae turba*. Et ut adversarii contrarii proelia pia exercent, vella (x) felicia committunt pro salutari conpendio. *Per tegulas submiserunt eum*. Melius hominis reparationem, quam domui (y) ornamenta deiudicantes. Index || . . .

P. 16. inv.

P. 15. inv.

V. 27. . . . est audax; moritur corpore et malis desideriis vivit. Volucres aera (z) tenent, pisces in sinu (aa) fluctuum habitant, vestiae abitaculis (bb) contentae (cc) sunt: in die dormiunt, in nocte escam requirunt: sola semper avaritia esurit: dracones ipsi et reguli in desertis et abditis capiunt (dd); solum avarum et publicanum mundus non capit. Vidit talem, et visu avaros trans- P. 2. inv.

(a) Cod. *munditiam*. (b) Ita cod. (c) Cod. *qui*. (d) Subintelligitur *offerendi*. (e) Spatium unius versus et fere dimidii. (f) Cod. *specullaria*. (g) In codice spatium aequis versus. (h) Legebat ergo *quattuor* etiam apud Lucam Anonymus; quod vocabulum vulgata editio non habet nisi apud Marcum II. 3. (i) Ita cod. Et notemus vocabulum pro *tibia*. Nisi quis mavult *tubus*. (k) Ita cod. (l) Cod. *oculis*. (m) Cod. *et*. (n) Cod. *misericordiae*. (o) Ita cod., non *generi*. (p) Pleonasmus. (q) Cum unica *t*, etsi alibi prisce cum duabus. (r) Tantum spatii est in cod. huic et in reliqua pagina. (s) Ita cod. (t) Cod. *aeclesia*. (u) Cod. *inpraetare* et mox *inpraetant*. (v) Ita cod. (x) Pro *bella*. (y) Ita cod. (z) In codice sic *a-e-ra*; ut intellegamus esse ab *aer* non ab *aes*. Est autem ab orthographis notanda haec dubiae syllabae à diphthongo distinctio. Quare nec licebit deinceps eos reprehendere qui scribunt *aëra*, superpositis duobus punctis, ut distinguant ab *aera*. (aa) Cod. *sinus*. (bb) Ita cod. (cc) Cod. *contenti*. (dd) Ita cod. Et hac syntaxi utimur Itali in vulgari lingua.

tulit; cogitatos (a) vocabit (b), et malos mores in melius conmutabit. O visus emendatio rerum! o vox virtutem parturiens! clamor salutis profectum (c)! *Sequere me*. Dimitte avaritiam, et sequere caelestem misericordiam; dimitte rapinam, et sequere elecmosynam spiritalem; dimitte arcam telonei, et sequere in arca virginis patris thensaurum. Clama et dicito, tu et arca (d) sanctificationis tuae. Contemne grafium, et suscipe calamum evangelicum. Scribe et praedica. (e) – Sper-
P. 1. inv. ne mundum, | et sequere regnatorem cum regno (f). *Relictis omnibus*. Quasi inpedimenta et honera peccatorum, quasi qui nihil habuit, et omnia meliora invenit. (g) — et avaritia, misericordia et fide desiderata (h); quasi claudus ad statum, aegrotus ad sanitatem; ut cervus ex laqueo liberatus; ut capriola ex conpedibus; ut columba ex retibus, plaudentibus pinnis; ut ignis modicus ad magnam fidei flammam. Expectans salutaria dicta, imitans et conplens praecepta vitalia. Acuta vox Dominus, sed acutius Matthei propositum; illa celer (i) imperio, isto celerior ministerio; illa habilis praeceptio, hic agilior devotionis officio: qui sequendo et servando mandatum, statum perfectum fecit religionis (k). *Et fecit convivium magnum Leuvi in domo sua*. Iuxta expensas et crudelitates, obsequium; ut magnis V. 29.
magnum honeribus honeraret, pascendo corporaliter, se spiritaliter || . . .

V. 28. (beside line beginning "ne mundum")

CAP. VI.

P. 34. inv. . . . corporaliter paleas, qui spiritualiter impios repellunt, et separant V. 1.
frumenta purgata. Pro molare lapide dente (l) confringebant, ut non satietatem naturae sed substentationem perficerent. (m) *Quidam Pharisaeorum dicebant illis*. V. 2.
Invidia conpellentes, malignitate (n) conpellentes. *Quid facitis quod non licet in sabbatis?* Voves (o) et cetera iumenta a messibus detinentur; et vos ut ostes (p) et barbari inimici et contrarii nostri spicas evellitis, agris et messibus facitis lesionem (q)? Nec solliciti sumus quod scinditis disciplinam, nec curamus de damno, sed procuramus de sabbato, quod expedita (r) contemnitis et inlicita agitis: et si ex piscatoribus sine lectionibus rustici estis, vel non audistis in synagoga quod quidam avarus sabbato colligens manna, lapidibus vitam finibit (s)? Sabbatum ad requiem
P. 33. inv. datum est, non ad poenam; | ad libertatem, non ad opus servile (t); ad animae salutem, non corporis. Et vos requie et libertate (u) contemta, servile opus perficitis? (v) — *Et respondens Iesus etc.* Ut calumniam ratione (x) placaret, invi- V. 3.
diam bonitate (y). — Qui universa neglegendo contemsistis; ut scientia, vestra inscientia demonstretur; cognitio, ignorantia. De natibitate (z) mea legistis, descendit

(a) Ita cod. (b) Ita *b* pro *v*, ut etiam in seq. (c) Ita cod. Tum sequitur tantum spatii, quantum supplemento occupavi. (d) Cod. *archa*, sed recte asperitus. (e) Spatium unius prope versus. (f) Spatium dimidii versus. (g) Tantundem spatii. (h) Ita cod. (i) Ita cod. (k) Spatium versuum duorum. (l) Cod. *dentes*. (m) Spatium unius versus et paulo amplius. (n) Cod. *malignitates*. Sequitur autem spatium unius versus. (o) Pro *boves*. (p) Sine adspir. (q) Sine diphth. (r) Ita cod. (s) Ita cod. (t) Cod. *servilem*. (u) Cod. *requiem et libertatem*. (v) Spatium dimidii versus et amplius. (x) Cod. *rationem*. (y) Spatium dimidii versus et amplius. (z) Ita cod.

sicut pluvia in bellus (a), et sicut stillicidia stillantia super terram. Et ecce virgo concipiet et pariet filium. Et hic Deus noster. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (1). Et nec legistis, in flumine pertransibit pede? Et vox Domini super aquas? De salute et miraculis legistis: ipse Dominus veniet, et salvos faciet nos. Et salvabo eos in domino Deo ipsorum. Et salbatorem et medicum contemsistis. Nec hoc legistis, quia legere, intellegere est? intellegere, || facere? Diem defenditis, et hominis (b) aegritudinem condemnatis. Iesus (c) P. 48. inv.
Nave Hierico muros deposuit sabbato, et sabbatum inviolabile mansit. Helisseus sabbato puerum suscitabit. Et diem, inquam, (d) sabbatum inlustrem miraculis inlustriorem (e) perficio. (f)

V. 7. *Observabant autem eum scribae*. Aspero et torto aspectu in circuitu contemplatis. O ira, quae si (g) lumine pietatis emendat, et magis patientia praeferenda aspectu facit correptionem (h)! — Propter tuam (i) misericordiam in synagogam (k) ingressus sum, ut miseria flexus tollam tuum dolorem; quia in meo adventu (l), Esaiae praeconium adimplevi. Consolamini manus remissae. (m) - *manus* tua culpa contracta, tuo officio, meo beneficio extendatur: consumma ministerio (n) creatoris imperium | - (o)
- ante vocem praebens devotionem, ante praeceptum religionem (p) - Ut ex una P. 47. inv.
manu (q) omnium membrorum artifex cognoscatur; ut qui percussit, iterum salutem restituat. Ego percutiam et ego sanabo. Puto sanatus dicebat: dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltabit me. Castigans castigabit me Dominus, et morti non tradidit me. Videte ne aliquis in ecclesia (r) avaritia (s) aridam habeat manum, aut rapina (t): aut si habet, festinet misericordia et elemosynis magnis extendere, ut piis actibus mereetur salutem. Ipsi (u) autem, capita malignantium, culmina perversorum, vertices iracundiae, qui debuerant Christo docente et operante sanctitatem replere (v), repleti sunt iniquitate, (x) cuius extra legem est opus. (y) - acervo (z) conventu (aa) acerviorem aspirantes crudelitatem . . .

* * *

RELIQUA DESIDERANTUR.

(a) Contra alibi *valla* pro *bella*. (b) Cod. *hominem*. (c) Cod. *Iesum*. (d) Cod. *inqut*. (e) Cod. *inlustriore*. (f) Spatium unius versus. (g) Ita cod. (h) Cod. *correptione*. Tum spatium duorum prope verborum. (i) Corrige *tui*. (k) Cod. *in synagoga*. (l) Cod. *adventum*. (m) Spatium dimidii versus. (n) Cod. *menisterio*. (o) Spatium unius versus. Tum haec pagina habet tantum versus 20 (in schedis certe meis) quum ceterae habeant 23. (p) Spatium unius versus. (q) Cod. *manum*. (r) Cod. *aeclesia*. (s) Cod. *avaritiam*. (t) Cod. *rapinam*. (u) Cod. *ipse*. (v) Num pro *sanctitate repleri*? (x) Cod. *iniquitatem*. (y) Spatium unius prope versus. (z) Ita cod. *v* pro *b*. (aa) Cod. *conventum*.

(1) Notemus Baruchi auctoritatem ab antiquissimo auctore laudatam.

SERMONUM ARRIANORUM

FRAGMENTA ANTIQUISSIMA

IN RESCRIPTIS MEMBRANIS REPERTA

ET NUNC PRIMUM CUM IDONEIS REFUTATIONIBUS EDITA (1).

FRAGMENTUM I.

P. 279. NUPER me, *carissime frater*, *de calumniatoribus admonendum* censuisti (2) adversus fidem nostram, quae est vera, dicentibus, quomodo vos unum Deum dicitis esse, et iterum, filium habere Christum adseritis? Necesse, si filium habet Deus, et uxorem habet (a), aut certe femininus est, et aliunde concepit et genuit filium. Ecce vos dicitis iam plures deos; quomodo nos insultatis, quod deos dicimus esse (3)?

Haec nobis (b) opponere sacrilegos, a vobis didicimus. Quapropter necessarium arbitravimus (c) et illorum occurrere errori, et tuam instruere sanctitatem de spe nostra, quam gerimus. Nec enim potuimus amplius contradicere, desiderante (d) sanctitate tua verae fidei conscriptam accipere instructionem: non tamen ex nobis, sed secundum divinarum scribturarum traditionem, per gratiam Dei omnipotentis, auxiliante domino nostro Iesu Christo, subministratione spiritus sancti, qui dividet (e) gratias sine haesitatione credentibus Deo per Christum (f). Praesumpsimus ita-

(a) Ita cod. (b) Cod. *vobis*. (c) Sic activa forma etiam in aliis fragmentis vat. (d) Cod. *desiderantes*. (e) Ita cod. pro *dividit*, ut infra *loquetur* pro *loquitur*. Nimirum *e* pro *i* saepe occurrit in quarti saeculi scriptis. (f) Heic relinquitur breve spatium.

(1) Fragmenta haec partim ex ambrosiano codice rescripto, partim e vaticano item rescripto proferuntur, ut dixi in prologo. Ambrosianae quidem sunt codicis paginae 17. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 26. 29. 30. 31. 32. 115. 116. Reliquae vaticanae. Superfuisse haec arriana fragmenta, saltem in palimpsestis, nemo mirabitur, dicente Hilario lib. adv. Const. ff. 7: *impiissimis Arrianorum blasphemiis plenae omnes ecclesiarum chartae, plenique iam libri sunt.*

(2) Spatium est vacuum in codice trium brevis laterculi versiculorum, quem ego hiatum coniecturaliter explevi, habita spatii ratione. Causa lacunae est, quia solebant veteres auro vel suco aliquo scripta exordiri, quae materia in conficiendo deinde palimpsesto evanuit.

(3) Hanc esse obiectionem ethnicorum constat. Ceteroquin eadem aliquando processit etiam ab haereticis anomoeis, quorum putida vel potius αἰσχρὰ verba recitat s. Hilarius lib. contra Const. ff. 13. Porro ineffabilem esse filii Dei aeternam divinitatem neque humanae similem, late dicit idem Hilarius de trin. III. 17. sqq. In breviario fidei adversus Arrianos sic. *Si ecclesiam interrogas de patre quid sit, dicit Deum: sed et filium* et *spiritum sanctum dicit Deum; et tamen non dicit tres deos, ne gentibus comparetur, qui plures deos coniungunt. Credamus scripturae dicenti, quia Deus unus est: et si unus maior, alter minor est, ut Arriani dicunt, unus dici non potest; inaequalitas unitatem excludit. Unitatem facit aequalitas virtutum; trinitatem proprietas personarum.* Videsis etiam Arnobium de Deo trino et uno, Ferrandum epist. Casin. ff. 2, et Fulgentium de trin. cap. 2.

que orationibus tuis confidentes, bonum esse quoque desiderium sanctitatis tuae
probantes |; cui, adnuente Domino, satisfacere festinavimus, carissime frater: quoniam P. 280.
saepius suggerente adque frequentius inportuno, iam amplius dissimulare non potuimus: non sublimitate sermonis, vel conpositae orationis verbo confidentes, quorum omnino studium non habuimus (1); sed ad misericordiam Domini confugientes, ad cuius gloriam loqui proposuimus, credentes ei qui dixit „ dilata os tuum, et ego adimplebo eum (a) „ Et iterum dicente propheta „ dominus davit (b) verbum „ evangelizantibus virtute multa „. Et iterum „ non vos estis qui loquimini, sed „ spiritus patris vestri „. Loqui itaque et nos sacrilegorum (c) permovit insultatio: tuae quoque caritatis conpulit inportunitas. Qui autem dedit os ad loquendum, potens est et nobis orationibus tuis subministrare verbum, ut gratia ipsius confoti oportune (d) ad communem loquamur utilitatem, et gloriam eiusdem factoris naturae nostrae. Nam sanctae ac divinae scripturae profundos adque infinitos ha-
bentes in se thensauros, lucentes || non requirunt; dicente Domino: " scruta- P. 281.
„ mini scribturas, quoniam in ipsis vitam aeternam putatis habere. Et hae sunt „ quae (e) testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam „ aeternam habeatis? „. Et iterum: " qui credit in me, sicut dixit scribtura, flu„ mina (f) de ventre eius fluent aquae vivae „. Ait autem et hoc dominus noster Iesus Christus: " ego sum lux huius mundi: qui sequitur me, in tenebris „ non manet, sed habebit lumen vitae „. Hunc sancti prophetae solem iustitiae pronuntiaverunt. Hic est itaque sol iustitiae Christus filius Dei. Hic (g) est lumen verum, quod inluminat omnem hominem, veniens in hunc mundum, quod tenebrae non conpraehenderunt. Hic in mundis cordibus lucet, limpido autem videtur oculo animi in unigeniti singulare adque incorruptibile (h) propria natura, qui omnibus cupientibus evidentissime (i) ostendit unius veri Dei scientiam dicens ad Iudaeos:
" quomodo potestis credere, gloriam | ab invicem accipientes? Et gloriam ab uno Deo P. 282.
„ non quaeritis „. Et iterum ad patrem ait: " venit hora; honorifica filium tuum, „ ut et filius honorificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod „ dedisti ei, det illis vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant

(a) Ita cod. *eum*. (b) Ita cod. ut alibi. (c) Cod. *sacrilegum*. (d) Ita cod. cum unica *p*, ut in aliis antiquis codd. (e) Cod *qui*. (f) Ita heic cod.; at idem alibi *fluenta*. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Cod. *aevidentissime*.

(1) Indisertum et ineruditum se dicit hic Arrianus, qui sine dubio episcopus credendus est. De hac quidem adfirmatione lectores fragmentorum, prout videbitur, iudicabunt. Ceteroquin de veterum episcoporum doctrina insignis est Hieronymi locus de arrianis nominatim loquentis episcopis in dialogo adv. Lucif. ff. 11. *Revera de Platonis et Aristophanis sinu in episcopatum adleguntur. Quotus enim quisque est, qui non apprime in his eruditus sit? Denique ex litteratis quicumque hodie ordinantur, id habent curae non quomodo scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamatorum flosculis mulceant. Accedit ad hoc quod arriana haeresis magis cum sapientia saeculi facit, et argumentationum rivos de Aristotelis fontibus mutuatur.* Confer Ambrosium de fide I. 5. et 13, qui Arrianos ex philosophia omnem impietatis suae traxisse colorem, vimque sui veneni in dialectica constituere solitos dicit.

„ te solum et verum Deum, et quem misisti Iesum Christum (1) „. Cognoscere itaque necessarium est eos, qui volunt esse christiani, unum verum Deum, qui est sine initio ingenitus solus; et unigenitum filium eius in sua propria ac singulare genita natura verum Deum oboedientem (a) adque subditum (2) voluntate adque natura ingenito Deo patrique suo. Quia igitur diximus secundum scribturarum traditionem unum verum Deum, sicuti et est secundum veram rationem unus Deus verus (3), unus rex, unus dominus, unus creator et opifex universitatis. Quia solus igitur sine initio eminentem (b) possidens potestatem, solus non eget aliquid (c), solus non est sub lege alterius, neque expectat mandatum; solus non habens superiorem (d), si se nec aequalem
P. 209. nullius || fecit; qui est totus non natus Deus, totum natum filium fecit; per quem omnia creavit, sicut scribtum est: " omnia per illum facta sunt, et sine illo factum est nihil„: creator creatorem, Deus Deum totius creaturae subiacentem et obtemperantem in omnibus mandatis suis. Hunc non proficientem in posterum, sed statim perfectum, sicut diximus: qualem potuit totam virtutem et totam sapientiam in substitutione fili

(a) Ita cod. (b) Cod. *aeminentem*. (c) Ita cod. (d) Ita cod.

(1) Hunc locum evangelicum pervenuste interpretatur Augustinus contra serm. Arrian. ff. 1. *Illud quod in evangelio scriptum est, ut cognoscant te unum verum Deum et quem misisti Iesum Christum; hoc eum dixisse accipiendum est, ut te et quem misisti Iesum Christum cognoscant unum verum Deum. Quia et de Christo dictum est a Iohanne, ipse est verus Deus et vita aeterna.* Sed contra Arrianos, quorum caput erroris erat, unum esse Deum verum patrem, prodest in primis recitare Tertulliani antiquissimi hominis, qui multo ante nicaenum concilium, atque adeo ante natum Arrium, scripsit, locum palmarem et classicum de filii vera divinitate atque homousia cum patre Deo. Sic ergo apolog. cap. XXI. *Hunc* (λόγον) *ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco filium Dei et Deum dictum* EX UNITATE SUBSTANTIAE. *Nam et Deus spiritus: et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de spiritu spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra, et indefecta materiae matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris. Ita et quod de Deo profectum est, Deus est et Dei filius, et unus ambo. Ita et de spiritu spiritus, et de Deo Deus: modulo alterum, non numero; grado, non statu fecit; et a matrice non recessit, sed excessit. Iste igitur Dei radius, ut retro semper praedicabatur, delapsus in virginem quamdam, et in utero eius caro figuratus, nascitur homo Deo mistus; caro spiritu instructa nutritur, adolescit, adfatur, docet, operatur, et Christus est.* Alium Tertulliani classicum aeque locum habemus in libro ad Praxeam cap. II, quem librum theologiae studiosis familiarem esse oportet.

(2) Quomodo filius subiectus dicatur Deo patri, catholice explicat Hilarius de trin. XI. 30. 43. Lege etiam Cyrill. thesaur. assert. XXIX. Tum eandem doctrinam exponit Ambrosius de fide lib. V. 13—15. evidenter ostendens Christum patri nonnisi secundum carnem dici subiectum. Et quidem cap. 14. ait: *non igitur praeiudicat, quia subiectus dicitur: non praeiudicat quia servus legitur, quia crucifixus adseritur, mortuus praedicatur: quia cum moreretur, vivebat; cum subiiceretur, regnabat; cum sepeliretur, resuscitabat.* S. Zeno tract. VI. ff. 4. contra Arrianos: *non deminutiva sed religiosa subiectione est filius patri subiectus, cum quo coaeternitatis omnipotentiaeque una substantia, una aequalitas* etc. Denique praedictus Hilarius lib. XI. 1. ff. 6. queritur de Arrianis qui scripturarum locationibus de Christi humanitate ad infirmandam eius divinitatem abutebantur: *dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis, et impietatis causas arripiunt de salutis nostrae sacramento. Quod si apostolicae fidei tenaces essent, intelligerent eum qui in forma Dei esset, adsumpsisse formam servi* etc.

(3) Sequentes blasphemias, quarum summa est, filium diversum esse a patris substantia, solumque patrem esse verum Deum, prolixe castigat coarguitque Hilarius toto libro quinto de trinitate. Confer etiam Alcuin. conf. fid. part. III. 2.

consignans, sicuti scriptum est, quem pater consignavit Deus. Inde etiam imaginem Dei invisibilis hunc apostolus praedicat, invisibilem suam virtutem sive sapientiam ostendentem Deum in substantia fili. Ergo quantum potuit Deus virtute et sapientia ostendit in filio: unde apostolus Dei virtotem et Dei sapientiam docet esse filium: non illam (a) igitur, quae *in* invisibile Deo est, sine initio virtutem sive sapientiam (1); sed sedentem in dextris Dei, ut esset a patre accipientem, filium dilectionis Dei, quem diligit Deus. Nihil illum fraudavit, cui omnia tradidit, sicuti evangelium praedicat " pater diligit filium, et omnia tradidit in manu | eius ". Filius etiam P. 210.
omnia suscipiens a patre, super omnes, ante omnia, cum omnibus patrem adorat. Hunc igitur suscipimus per scripturas Deum esse totius creaturae: natum subditum Deo non nato (2): dominum totius creaturae natum, ministrum vero domini *non* (b) nati: regem totius creaturae natum sub potestate regis (c) non nati: lumen verum natum, subiacens lumini non nato inaccessibili: sapientiam natam obtemperantem in omnibus solo (d) sapienti non nato: creatorem natum sub creatore non nato: pastorem bonum totius creaturae, natum agnum Dei non nati: vitam natam vivificantem totam creaturam volente patre, subiacentem (e) solo vivo sine initio Deo, sicuti dicit filius " sicuti pater habet vitam "; in semet ipso habet et non accepit; ita et filio dedit vitam (f) habere in semet ipsum (g) inconparabilem in sua inpropria nata substantia; sicuti pater in sua non nata substantia, incomparabilis esse dinoscitur. Unum ergo et unum (h) confitemur Deum non duos deos (3): non enim dicimus duos non natos, aut duos patres || . . . .

(a) Cod. *illa* - *virtute* - *sapientia*. (b) Deest in cod. *non*. (c) Cod. *regi*. (d) Ita cod. heic et infra pro *soli*. (e) Cod. *subiacente*. (f) Cod. *vita*. (g) Ita cod. (h) Ita cod., et sic etiam in fragm. IIII.

(1) Doctrina arriana haic similis est apud Hilarium contra Auxentium ff. 6., multisque in locis innuitur etiam apud Eusebium caesariensem. Sed age opponamus impio Arriano orthodoxum nostrum Augustinum de trin. VII. 12. sic loquentem. *Credat in patrem et filium et spiritum sanctum, unum Deum, solum, magnum, omnipotentem, bonum, iustum, misericordem, omnium visibilium et invisibilium conditorem. Neque cum audierit patrem solum Deum, separet inde filium aut spiritum sanctum: cum eo quippe solus Deus, cum quo et unus Deus est: quia et filium cum audimus solum Deum, sine ulla separatione patris aut spiritus sancti oportet accipere. Atque ita dicat unam essentiam, ut non existimet aliud alia vel maius vel melius vel aliqua ex parte diversum.* Confer Alcuin. conf. fid. part. I. 15.

(2) Augustinus coll. cum Maximino arriano ff. 14: *profitear, sicut dicis, patrem innatum; sed non ideo sunt diversae naturae atque substantiae, quia ille non natus est, ille natus est.*

(3) Respondet Arrianus iustae catholicorum accusationi, quam apud Ambrosium de fide L. 1. cognoscimus. *Unum ergo Deum non duos aut tres deos dicimus; ut impia Arrianorum haeresis, dum criminantur, incurrit. Tres enim deos dicit qui divinitatem separat trinitatis. Cum Dominus dicendo " ite baptizate gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti " unius esse trinitatem potestatis ostenderit. Nos patrem et filium et spiritum sanctum confitemur; ita ut in trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis et unitas potestatis.* Eandem criminationem urget Ambrosius I. 13. *Nunc videamus qua distant a gentilibus Arriani. Illi deos appellant dispares sexu, dissimiles potestate; isti trinitatem adserunt differentis divinitatis et dissimilis potestatis* etc. Denique lib. V. 3. *Arriani dicendo patris et filii discretam esse substantiam differentemque, duos utique deos ad-*

FRAGMENTUM II.

P. 207. . . *bene*ficia Christi adiuvantem orationem credentium, et interpellantem pro
hisdem gemitibus *inenarrabilibus*, et adducentem sanctos (a) ad filium, perducendos *per* filium ad patrem. Sicuti dicit sanctus apostolus Paulus: „ nullus potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Et filius designat: „ nullus potest venire ad patrem, nisi per me „. Necesse est ergo nos hanc trinitatem confiteri. Spiritus sanctus filium magnificat, sicut filius dicit: „ ille me honorificavit, quia de meo accipiet, et adnuntiabit vobis „. Et filius patrem honorificat, sicuti dicit: " ego te honorificavi super terram; manifestavi nomen tuum hominibus quos mihi dedisti. „ Hic ergo spiritus manet in universis sanctis, sicuti dixit filius: " ego rogabo patrem meum, et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in aeternum, spiritum veritatis, quem mundus accipere non potest; quoniam non videt eum, neque novit illum: vos autem agnoscitis eum, quia apud vos manet, et in vobis est „. Manet ergo, sicuti diximus, in universis sanctis non
P. 208. divisus | sed integer: nec enim dividi potest illa natura: qui enim conpositus non est ex membris, nec dividi potest, sed integer in omnibus perseverat. Nam spiritum sanctum Deum non dicimus (1), quia nec scriptura dicit; sed subditum Deo filio (2), et mandatis illius fili in omnibus obtemperantem, sicuti filius patri. Et quemadmodum pater totam virtutem | et totam sapientiam et bonitatem in substitutio-

(a) Cod. *sanctum.*

servat. Obiectionem catholicorum pessimo effugio vitabat Eusebius contra Marcel. lib. II. p. 109, definiens duas substantias honore dispares; quasi vero sic non duos faceret deos, maiorem unum, minorem alterum.

(1) Respondet Arriano huic Nicetas aquileiensis, quinti saeculi homo, a me nuper e vaticano codice evulgatus, in opusculo suo de spiritus sancti *potentia* (idest *persona*, ut loquitur Victorinus comm. in. ep. ad Galat. IV. 6. et contra Arium lib. III. 17). In eo quippe excellente aureoloque scripto Nicetas, postquam e sacris scripturis adtributa divina spiritus sancti recitavit, sic vincenter concludit p. 26. *Faciam itaque recapitulationem dictorum: si de patre procedit spiritus sanctus; si liberat; si sanctificat; si dominus est, ut dixit apostolus; si creat cum patre et filio; si vivificat; si praescientiam habet, sicut habet pater et filius; si revelat; si ubique est; si adimplet orbem terrarum; si habitat in electis; si arguet mundum; si iudicat; si bonus est; si rectus est; si de eo clamatur, haec dicit spiritus sanctus; si prophetas constituit, si consolator est; si ablait et iustificat; si temtatores suos interficit; si is qui in eum blasphemaverit, non habet remissionem neque in hoc saeculo neque in futuro, quod utique Deo proprium est; si haec ita sint, immo quia vera sunt, quid a me quaeritur ut dicam quid sit spiritus sanctus, cum per operum magnitudinem, quod est ipse se manifestat? Non utique alienus est a patris et filii sanctitate, qui non est ab operum virtute alienus: frustra illi nomen divinitatis negatur, cuius potestas non potest abnegari: frustra prohibeor eum cum patre et filio venerari, quem confiteri cum patre et filio ipsa veritate compellor.* Legesis aliam recapitulationem de spiritu sancto apud Fulgentium ad Trasim. III. 35. Confer Didymum de trin. II. 6; Augustinum de trin. I. 13; Ambrosium de spiritu s. III. 18. 19; Hilarium de trin. I. 29. XII. 55. sqq.; Leonem magnum serm. LXXV. et LXXVI. Et quidem baptismi formula a Christo praescripta demonstrat apprime spiritum sanctum Deum, ut passim patres observant, quos inter magnus Basilius de sp. s. cap. X.

(2) Negat hoc refutatque docte Augustinus contra serm. Arr. cap. XX. sqq., quem locum tum propter prolixitatem recitare supersedeo, tum quia Arrianus nullam effati sui confirmationem heic ponit.

nem fili consignavit, ita et filius totam virtntem et totam sapientiam in spiritn sancto, patre iubente, monstravit. In illo itaque spiritu sancto arcangeli (a) et angeli, et omnes virtutes spiritales, et omnes sancti adorant filium, et per filinm patrem. Ita enim et filius post resurrectionem mysterium tradens salubre trinitatis discipulis suis dicit: " data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Enntes „ docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus saneti: „ docentes eos servare omnia quae mandavi vobis: et ecce ego vobiscum omnibus „ diebus usque ad consummationem saeculi (1). ||

FRAGMENTUM III.

. . . . pater singularis, simplex spiritus, solus bonus, solus habens immortalitatem (2) et lumen habitat inaccessibile (b); ita et filius in sua nnigenita natura, quam a patre aecepit, singularis est. Omnia quae post illnm et per ipsum providentia Dei facta sunt, incomparabile (c) eminentia melior est; ita ut nihil eorum quae per ipsum facta sunt comparari possit ad eum; quia Dens est omninm, vivificans omnia voluntate patris. Hie ad patrem suum non comparatur (3), a quo ut sit vita omninm consecutus est: neque ad illum, sicut diximus, aliud qnicquam comparari posset, quae ut essent et ut vivant, per ipsum voluntate Dei consecuta sunt: quorum prior est spiritus sanctus paraclitus(4), providentia Dei per Christum factus(5), melior et maior ceteris omnibus, in tertio loco post patrem et post filium in sanctis scripturis pronuntiatur. Hic spiritus in tertio loco singularis atque solus in sua singularitate dinoscitur. Tales (d) neque ad Christum filium Dei factorem naturae suae comparari posset(6): neque ad [illum] de ceteris, qui | per illum providentia Dei ut essent aeciperunt (e), comparatnr aliquid: singularis est P. 66.

(a) Ita cod. sine adspir. (b) Cod. inaccessibilem. (c) Ita cod. (d) Ita cod. pro talis. (e) Ita cod.

(1) Explicit opusculum. In codice enim relinquitur spatium vacuum ante paginam expletam, cum asteriscis, quae sunt duo finis indicia.

(2) Sic Arrianus quidam loquitur apud Hilarium de trin. VI. 4: *novimus unum Deum solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem, solum optimum, solum potentem.* Ipsismet verbis loquitur Arrius apud Ambrosium epist. X. clas. I. Atque hoc erat arrianae haereseos fundamentum, quae ab his adtributis filium excludebat.

(3) Solita Arrianorum blasphemia haec est, a qua ne Eusebius quidem abest, heu nimis Arrianis deditus, comm. in ps. LXXXVIII. p. 560. Sed enim nos audiamus papam nostrum Leonem magnum serm. LXXV dicentem: *detestamur Arrianos, qui inter patrem et filium aliquam volunt esse distantiam.*

(4) Immo Didymus de trin. II. 6. ff. 1. cum fobo demonstrat, non spiritum sanctum esse primam creaturam, sed satanam.

(5) Spiritum sanctum non esse creaturam, late demonstrat Didymus de trin. II. 6. Lege etiam Fulgent. contra Fab. fragm. XXXIV. Breviter Hilarius de trin. XII. 55. *Spiritum sanctum numquam dicam creatum.* Didymus de sp. s., Hieronymo interprete, ff. 4. *Ipsa vox spiritus sancti subiacentis essentiae demonstratrix est; patri filioque socia, et a creaturis penitus aliena.* Tum ff. 8. *Si spiritus sanctus alterius est naturae a creaturis, et in propria subsistit essentia, increatus et ineffectus ostenditur.* Denique ff. 13. *His ita edissertis, alterius substantiae a visibilibus et invisibilibus creaturis spiritus sanctus ostenditur. Si autem hoc verum est, impiissime quidam sater omnia connumerant spiritum sanctum; dicentes in ea quod omnia per Verbum facta sunt, significari etiam spiritus sancti factarum.* Lege etiam ff. 14.

(6) Pergunt blasphemiae arrianae contra spiritum sanctum; ob quas refutandas sufficit etiam Nicetas aquileiensis a me, ut dixi, nuper editus.

enim sanctificans virtus. Hic spiritus non est Deus (1) nec dominus, quoniam nec creator: nec enim eorum quae non erant, ut essent, aliquid fecit, nec facere potest; quoniam non est Deus sed minister Christi fili Dei sui (2): in hoc ministrans, ut ea quae per Christum voluntate Dei facta sunt rationabilia sanctificet, et inluminet, et doceat, et mandata Christi retinere commoneat, et omnibus credentibus gratiam dividat: adiuvat infirmitatem orationis nostrae, et pro nobis postulat gemitibus (3) inenarrabilibus (a), et nutu Christi remittit (b) peccata paenitentibus, et adducit ad veram et certam scientiam Christi. Hic a se non loquitur, sed (c) quaecumque audierit, loquetur (d), et docet, et futura adnuntiat credentibus. Hic Christum dominum et Deum suum profitetur esse dicens: „ dixit Dominus Domino meo (4), sede ad „ dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. „ Et iterum ad Christum Deum suum dicit idem spiritus: " sedis (e) tua Deus in saeculum „ saeculi; virga aequitatis virga regni tui; di||*lexisti iustitiam* . . .

FRAGMENTUM IIII.

P. 71. . . . *ut cognoscat* mundus quod diligo patrem (f); et quomodo mandatum mihi dedit pater, sic facio „. Illud itaque quod saepius dictum est, ego in patre et pater in me, non unam substantiam sed duo significat, patris ingenitam et fili unigenitam (5): et ideo intellegitur filius in sinu patris quod sentitur in caritate (6)

(a) Ita cod. (b) Cod. *remit.* (c) Cod. *sed.* (d) Ita cod. pro *loquitur*; ut *talis* pro *tales*. (e) Ita cod. (f) Cod. *patre.*

(1) Sic negant spiritum sanctum esse Deum Arriani apud Augustinum contra Maximin. II. 12. Porro idem Augustinus de trin. I. 13. ait. *De spiritu sancto collecta sunt testimonia, quibus ante nos qui haec disputaverant abundantius usi sunt, quia et ipse Deus et non creatura. Quod si non creatura, non tantum Deus, sed etiam verus Deus. Ergo patri et filio prorsus aequalis, et in trinitatis unitate consubstantialis et coaeternus.* Spiritum sanctum dictum esse *dominum* in scripturis demonstrat Ambrosius de sp. s. II. 1. III. 14. 15. De spiritus autem sancti divinitate pressius concludit cit. lib. cap. XVIII. XIX. Tum legendus est Didymus ff. 18. sqq. et Fulgentius contra Fab. fragm. XXXIX.

(2) Arrianorum haec doctrina summatim scribitur in Hieronymi dialogo contra Lucif. ff. 9. *Arrianus aliud nihil credit (claudite quaeso aures qui audituri estis, ne tantae impietatis vocibus polluamini) nisi in patre solo vero Deo, et in Iesu Christo salvatore creatura, et in spiritu sancto utriusque servo.* Fulgentius ad Trasim. III. 34: *Deus illos tormentis est interminabilibus traditurus, qui sancti spiritus naturam a substantia patris filiique discernunt; ut vel omnino eum personaliter esse non putent; vel tamquam ministrum, meriti prorsus inferioris existiment.* Lege eundem Fulgentium contra Fab. frag. III, ubi *subministrationem* distinguit a *ministerio*.

(3) Idest *gemere et postulare nos facit*, ut adversus Arrianos interpretatur Augustinus op. contra Maximin I. 9. II. 19; nec non Fulgentius contra Fab. fragm. V.

(4) Perversa haec arriani hominis interpretatio est. Non enim spiritus sanctus sic in persona propria loquitur de Christo, sed loquentem potius facit Davidem: propheta autem patrem loquentem cum filio introducit; at haec psalmi CIX. verba vulgo intelligunt ecclesiastici patres.

(5) Heu subtilitatem ridiculam arriani hominis! Rursus tamen hinc patet quam necessarium sit ex ecclesiae patrumque consensu divinas scripturas interpretari. Sed audiamus Hilarium de trin. III. 23. *Audis, ego et pater unum sumus. Quid discindis et distrahis filium a patre? Unum sunt: scilicet it qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo a quo est. Cum audis filium dicentem, ego et pater unum sumus, personis rem accommoda, gignenti et genito professionis suae permitte sententiam: sint unum, ut sunt qui genuit, et qui genitus est. Cur naturam excludis, cur veritatem interemis?* etc. Lege eundem lib. III. 1. VII. 40. IX. 52.

(6) Hoc pertinet ad eandem haeresim arrianam, quod filius non natura sed adoptione et caritate sit;

adque in potestate illius qui omnia tenet: ipse autem est infinitus: hic et illum circumtenet. Ille (a) vero omnium, quae post illum et per ipsum facta sunt, a patre accipiens potestatem (b), circumtenet universa. Non est igitur unus et ipse pater et filius; qui circumtenet, et qui circumtenetur (1); ingenitus, et unigenitus; genitor, et qui genitus est; qui mandat, et qui mandatum accipit et obtemperat; qui dat, et qui datum suscipit; qui iubet, et qui iussionem (c) obtemperat; qui mittit, et qui mittitur; qui visus est, et quem nemo vidit hominum nec videre potest; qui inpassibilis est, et qui pro nobis passus est; qui resurrexit a mortuis, et qui eum resuscitavit pater; qui ascendit super caelos filius, et qui numquam descendit pater; qui sedet in dextera Dei, et qui ius|sit eum in dextera sua sedere pater; filius qui negavit se scire diem illam (2), et pater qui in sua posuit potestate; qui iudicaturus est filius, et qui neminem iudicat pater, sed omne (d) iudicium dedit filio (3). Noli ergo errare; non est unus et ipse pater et filius, neque duo aequales secundum alii (e) erroris adsertionem, sed unus et unus (f) pater. Est enim ingenitus solus et sine initio (g), et non sunt duo sine initio dii, aut duo aequales, aut duo patres, aut duo fratres, aut duo filii; sed unus ingenitus Deus, omnipotens Deus, qui solus est et dicitur verus, et solus bonus, et solus habens

P. 72.

(a) Cod. *illius*. (b) Cod. *potestate*. (c) Ita cod. (d) Cod. *omnem*. (e) Ita cod. (f) Ita cod., ut in fine fragmenti I. (g) Cod. *initium*.

quam passim refutant patres; et quidem Hilarius contra Const. ff. 9. Faustinus autem in libro fidei cap. II. 5: *haec vestra, Arriani, doctrina est, haec vestra interpretatio singularis, hoc secretum, hoc fidei vestrae mysterium: adoptione, inquit, Christus est filius, et non verus filius.* Pergit deinde ad refutationem Faustinus, atque inter cetera notabilia dicit: *et ne forte unum de adoptivis crederes, amputavit* (Iohannes ev.) *sensus impii occasionem, cum eum dixit non solum filium, sed etiam unigenitum filium. Hoc nomen non habet socios: et licet dicantur alii filii, adoptione tamen, non natura, sunt filii. Sed Christus solus unigenitus filius est, quia solus filius est non adoptione sed natura, non nuncupatione tantum sed et genere.*

(1) Hanc fere obiectionem haeretici cuiusdam anomoei refert Hilarius contra Const. 13: *quantum enim filius se extendit cognoscere patrem, tantum pater superextendit se, ne cognitus filio sit.* Quibus recitatis, tumultus exortus est. Vigilius autem tapsensis de trin. lib. VI. ed. Chifl. p. 284. aic: *Arriani dicunt, non totum patrem posse capi a filio, vel conspici. Ego credo quod sicut filius in patre est, et a patre totus videtur, ita et pater a filio totus videtur, et totus est in filio.* Eandem obiectionem Arrianorum copiose dissolvit salseque irridet Augustinus contra Maximin. II. 9. Denique Isaacus in libro fidei ait de filio: *quomodo creditur minor, qui inaestimabilis, immensus, et infinitus est?*

(2) Arrianorum celebre argumentum, quod late optimeque dissolvit Hilarius de trin. IX. 56. sqq. qui ff. 71. sic concludit. *Scientia apud Deum, non cognoscendi id quod nescierit intelligentia est, sed loquendi. Et per id quod solus pater scit, filius non intelligitur nescire; cum filius idcirco nescire se dicat, ne et alii sciant: et patrem ob id solum dicat scire, ne et ipse non nesciat. Si enim tunc cognovisse Deus dicitur amari se ob Abraham, cum hoc non celavit Abrahae; necesse est, ut et pater diem ob id scire dicatur, quia non celaverit filium; Deo scientiam non de repentina cognitione sumente, sed in tempore protestante. Si itaque et diem filius secundum sacramentum nescit, ut taceat; e contraria necesse est, idea diem pater solus ostendatur scire, quia non tacet.* Lege etiam Ambrosium de fide lib. V. 16.

(3) Nempe non agnoscit hic haereticus adtributa distinctionesque personarum divinarum. Praeterea quae de Christo homine praedicantur, ea confundit cum divinis eiusdem praedicatis. De his autem praeclare Augustinus contr. serm. Ar. ff. 4.

immortalitatem (1), et lumen habitans inaccessibile (a). Solus igitur in sua singularitate tales (b) est, et alter non est tales sine initio (c) Deus (2), et omnitenens, et solus auctor omnium. Deus etiam est et filius Dei unigenitus natura, voluntate Dei et patris sui verus invertibilis, sed unigenitus creatus et factus et genitus (3) ab ingenito Deo, Deus omnium quae post illum et per Iesum facta sunt providentia Dei et patris eius. Pater autem et filio Deus est, cuius et auctor est, et omnium; et
P. 197. ideo solus verus Deus (4), quia Dei Deus est (5), et tenet filium in sua potestate, et omnia subiecit sub pedibus eius secundum apostolum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Et ideo pater unus Deus, qui neque potestatem, neque ut esset ab alio accepit, sed est quod erat sine initio ingenitus (6), omnitenens Deus. Hunc igitur sanctae scribturae pronuntiant unum Deum et dominum, et unum bonum (7),

(a) Cod. *inacessibilem*. (b) Ita cod. pro *talis*. (c) Cod. *initium*, ut supra.

(1) Recole p. 213. n. 2. Augustinus contra Maximinum arr. I. 3: *tu de patre sole vis intelligi quod scriptum est " solus habet immortalitatem „ tamen et pater et filius habent immortalitatem. Alioquin si eum non habet filius, pater eum non dedit filio* etc.

(2) Augustinus contra serm. Arr. ff. 1. *Arriani cum dominum nostrum Iesum Christum fatentur quidem Deum, sed Deum verum et cum patre unum Deum nolunt fateri, duos nobis inducant deos diversae disparisque naturae; unum verum, alterum non verum.* Eadem dicit Fulgentius contr. Fab. frag. XI. et XXXIII, et praedictus Augustinus contra Maximinum I. 1. II. 13; denique Boethius de trinitate sub initio.

(3) Ambrosius de fide I. 16. *Nunc ipsos Arrianos interrogo, utrum idem putent esse genitum quod creatum? Si enim idem dicant, nihil utique distat inter generare et creare. Ergo quoniam et nos creati sumus, inter nos et Christum et elementa, nulla distantia est. — Si autem distat inter creatum et genitum, ut ego arbitror, cum legerimus genitum, non utique idem et genitum intelligimus et creatum.* Idem demonstrat Ambrosius op. cit. I. 13. ff. 85. et V. 3. Lege etiam Cyrillum thesaur. assert. XXVIII.

(4) Contra hanc blasphemiam legimus in nicaeno symbolo de filio *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero.*

(5) Pessimum et retro iam memoratum Arrianorum dogma qui patrem solum proprie Deum (nam filium aliter quodammodo deum dicebant) late refutat invicteque Hilarius de trin. lib. V. Tum contra Auxentium ff. 6. *Volunt enim hunc suum Christum non eius divinitatis esse cuius et pater est* etc. (quae ibi legenda sunt ob erroris perspicuam intelligentiam) *ut id quod unum esse filius et pater in evangeliis praedicantur, in voluntatis tantum sit et caritatis societate, non in divinitatis veritate* etc. *Si Deum verum Arriani praedicant Christum. Deum sine fraude confessi sunt: quod si Deum dicunt, et negant verum; tribuant nomen, et adimunt veritatem. Quamquam igitur impiissimis eorum blasphemiis* etc. Rursus Hilarius lib. VI. 4. 5. profert Arrianorum fidem blasphemam, cuius fundamentum erat unum patrem esse verum Deum. Denique Ambrosius de fide III. 4. *Satis claret et solum Deum non esse patrem sine filio; et solum Deum non intelligi filium sine patre.*

(6) Audi, Arriane, Fulgentium de incarn. ff. 4: *sine initio est aeterna generatio patris, sine initio aeterna nativitas filii, sine initio aeterna processio spiritus sancti. De dei enim patris aeternitate, quae sine initio manet, talis est utique nativitas filii, et processio spiritus sancti, ut et illa nativitas et illa processio coaeterna sit illi origini, in qua initium nullatenus potuit inveniri.* Et de fide ad Petrum ff. 11: *pater de sua natura sine initio genuit filium.* Legesis etiam Victorinum comm. ad Philipp. p. 63.

(7) Argumentum arrianum dissolvit Ambrosius de fide II. 1. sqq. *Scriptum est*, inquiunt (Arriani) *nemo bonus nisi unus Deus. Scriptum agnosco, sed littera errorem non habet: utinam arriana interpretatio non haberet! Apices sine crimine sunt, sensus in crimine.* Summa vero responsionis ambrosianae est, quod Christus ita scribae dixerit, a quo non Deus sed homo credebatur. Tum pergit dicere: *non igitur a Domino bonitas negatur, sed talis discipulus refutatur. Nam cum scriba dixisset, magister bone; respondit Dominus, quid me dicis bonum? id est quem Deum non credis, non est satis ut bonum dicas.* Sic etiam Cyrillus thesaur. assert. X; Paulinus

et solum habentem immortalitatem (1), et lumen habitantem inaccessibile (a). Non quia filius non sit Deus nec dominus, sed quia pater et filio (b) Deus est (2), et omnium; filius autem Deus est unigenitus et dominus omnium quae per ipsum facta sunt, et bonus, et benignus, immortalis etiam et immutabilis natura. Sed haec omnia a patre consecutus est, et in omnibus oboediens invenitur Deo patrique (c) suo. Non itaque dicuntur pater et filius unus Deus (3), sed pater solus dicitur unus Deus, qui et filio Deus est, sicut dictum est, et omnibus: filius autem patri non est Deus, sed omni creaturae dominus et Deus est filius: patrem autem adorat, et petet (d) et colet (e), et gratias agit, et debitor est, quia propter ipsum et vi||vere se decla- P. 198.
rat, et omnem accepisse potestatem ab eo gloriatur in caelo et in terra, secundum evangelicam traditionem, ubi refertur Iesus ad samaritanam mulierem dicens: " nos adoramus quod scimus, vos autem adoratis quod nescitis (4) ". Et orantem Christum patrem suum frequenter ostendit evangelica traditio; et gratias agentem patri suo, et dicentem manifestat: " gratias tibi ago, pater, quoniam exaudisti me, " et ego scio quia semper me exaudis ". Ergo semper adorat, quia semper sibi exaudientem patrem profitetur. Adverte itaque evangelicum sensum, quoniam gratias aget (f) manifeste Iesus propter eos qui adstabant; sicut ipse declarat dicens ad patrem suum: " etenim ego scio quia semper me exaudis; set propter eos " qui adstant dico, ut sentiant quia tu me misisti ". Attende itaque studio, et vide (g) salubrem traditionem, quod Christus cognosci vult quod est, non ut dicatur quod non est: qui enim dicit Christum quod non est, praevaricat notitiam eius qui est. Noli itaque errare: non enim illi qui unum et ipsum pronuntiant patrem || Iesu Christo maiorem, cognoscunt patrem ipsius, secundum domini P. 199.
et salvatoris nostri Iesu Christi sententiam dicentis: " si diligeretis me, gaude- " retis utique, quia vado ad patrem, quoniam pater meus maior me est (5) ". Cum

(a) Cod. *inaccerattilem*. (b) Cod. *filius*; sed infra corrigitur. (c) Cod. *patreque*. (d) *Petet* pro *petit*; ut retro *tales* pro *talis*. (e) Ita cod. (f) Ita cod. nempe *e* pro *i*. (g) Cod. *vides*.

aquil. contra Fel. III. 10. 11. Argumentum arrianum prolixius adhuc dissolvit Augustinus contra Maximin. II. 23, qui locus utiliter sane legetur.

(1) In breviario fidei sic. *Dicunt Arriani, ideo maior est pater, quia est immortalis. Interrogandi sunt, utrum filium in substantia deitatis suae mortalem esse fateantur. Quod si dixeriat, quam contra rationem dicunt, omnis homo agnoscere potest, qui etiam humanam animam immortalem esse non ambigit.*

(2) Hoc utique fatetur Hilarius de trin. V. 37: *Deo, ex quo sunt omnia, Deus nullus est: filio autem Deus pater est; ex eo enim Deus natus est.* Idem Hilarius lib. IX. 56. ait: *maior itaque pater est, dum pater est: sed filius, dum filius est, minor non est. Nativitas filii patrem constituit maiorem: minorem vero filium esse, nativitatis natura non patitur.*

(3) Atqui, o Arriane, catholica omnis ecclesia id adfirmat, ut ait Ferrandus epist. casin. ff. 2.

(4) Totam hanc obiectionem ex adoratione, quam Christus patri exhibuit, atque ex colloquio cum Samaritana petitam dissolvit Ambrosius de fide V. 4. Ait enim Christum ibi ut hominem loqui; haud secus quam, ut homo, fatigatus fuerat ex itinere, sitim extinguere poscebat, iudaeum religiosum se agebat.

(5) De hoc famigerato dictu locuturus sum ad fragm. XVI.

hac igitur scientia patris et fili et spiritus sancti hanc, quae in praesente psalmo
(1) promittitur, habitationem in tabernaculo Domini et in monte sancto eius requiem
oportet nos studio requirere: quoniam quae sine macula anima est, illam quae in
excelsis (a) ducit potest ambulare viam, de quo superius tradidimus, et limpi-
do et simplice oculo et illud potest iter celebrare, et ea quae praeparata sunt sem-
per intuere (b) bona, secundum quod dictum est: " ubi est thensaurus tuus, ibi erit
" et cor tuum ". Videt (c) etiam semper largitorem bonorum Deum, sicut dictum
est: " beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ". Hoc est itaque quod
dictum est " qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam ". Instruxit quales
(d) debet esse qui ad eorum, quae in caelis praeparata sunt, bonorum posses-
P. 200. sionem festinet: deinde velut grados (e) tradet (f) mandata, ‖ quoniam qui in altum
ascendunt, per grados ascendere videntur; et primum super proximiorem ascendens
gradum, in sequentem accedet: deinde tertiarium et quartum, quousque ad destina-
tum perveniat, quod sine labore facere non potest. Itaque qui in excelsis habita-
tionem adpraehendere desiderant, labores pietatis adque sudores cum omne (g)
studio instare debent, ut ad destinatum pervenire possint. Post immaculata igitur
scientia pietatis facta anima (h) in operibus bonis adornare atque instruere eam
debent qui eum, qui (i) in excelsis ducit, celebrare cupiunt iter; secundum quod
dictum est: " sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant vestra bona
" opera et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est ". Secundum hanc se-
quentiam respondens Dominus, exponet (k) et qui desiderat in excelsis habitare, qualis
debeat esse, vel quid operare (l), dicens: " qui ingreditur sine macula et opera-
" tur iustitiam, loquens veritatem in corde suo ". Adhuc et in hoc sequenter do-
P. 69. cet per ordinem ‖ ut primum in se et in corde suo confirmet veritatem, et quasi ra-
dicem mittens conprobaret, ut iustus secundum apostolicam doctrinam inveniatur
dicentem sic: " corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem ".
Et ideo ait " loquens veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua ".
Nec enim oportet eum, qui caelestia desiderat bona, dolum loqui; neque quaecum-
que sibi libet narrare, sed veritatem scrutinatam adque probatam in corde per
labia emittere ad salutem et sibi et audientibus. Hoc enim et apostolus docens ait:
" nullum verbum malum de ore vestro procedat, sed siquid bonum sit ad aedifi-
" cationem fidei, ut det gratiam audientibus ". Provenit enim, ex quibus neg-
legenter sine sollicitudine qui (m) loquitur, nocere animam proximi: et ideo ser-
vare atque mensurare debet sermones suos qui vult in caelis habitare; si-

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Num pro *videte*? (d) Ita cod. pro *qualis*. (e) Ita cod. heic et infra. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita se habet locus in cod. (i) Ita cod. etsi sequitur *iter*. (k) Ita cod. *e* pro *i*. (l) Ita cod. (m) Malim *quis*.

(1) Existimassem fieri heic commentarium vel recitari homiliam in psalmos, nisi foliorum nexus plane mihi demonstravisset, hanc quoque partem ad arrianum tractatum, ut ceteras, pertinere. Et sic Tertullianus loquitur de alio psalmo lib. ad Prax. cap. XXVII.

cut dictum est in centesimo et undecimo psalmo : " iucundus homo qui mise-
reretur et commodat , disponet sermones suos in iudicio . Et dominus Iesus do-
cens in | evangelium (a) ait : " ex verbo tuo manifestum quia iusto (b) sine dolo et P. 70.
" hypocrisi iustificaveris (c) ; et ex verbo tuo manifestum , quod doloso et pravo
" damnaveris ". Hac (d) de causa servare et mensurare sermones nostros docemur ,
ut nos doceamus proxi[mum] . In tabernaculum Domini cupientes ingredi non facie-
mus nec in verbo nec in ficto proximo malum , secundum quod dictum est " et non
fecit proximo suo malum ". Oportet autem illum , qui illam beatam vitam consequi
desiderat , eos quos circum se habet instructos in disciplina dominica habere , ne
ab aliquo super eos inproperium accipiat . Consueverunt (e) enim homines , quando
aliquos vident ineruditos et indisciplinosos esse , inproperare eis qui circa se vel
sub se eos habent . Est enim secundum veritatem inproperium eis , qui instruere
debent , si lascivi vel indisciplinosi , qui sub manu eorum sunt , inveniuntur ; eo
quod minus constringantur ad disciplinam , sicuti dictum est " inproperium patri
filius non eruditus " Docet itaque hoc verbum cupientes || . . .

FRAGMENTUM V.

lege . . . rum deitatis non viderunt sed . . . . carnalibus (f) oculis vi- P. 75.
derunt et in . . . et ipse . . . ima hoc verbo adserente qui vidit me, vidit et eum
qui me misit patrem, secundum ill . . igitur erra . . . siquis vidit filium in cor-
pore humano , talem aestimat et patrem corporalem ; quod est horribilis impietas .
Nam secundum verum sensum si voluerint suscipere hoc , qui vidit filium missum
a patre et operantem patris mandata , hic vidit patrem , hoc est cognovit . . sunt
lumen . . . non . . . . . Nam siquis filium Dei , hoc est Iesum , in sua
propria singulare natura et dignitate quam *a* (g) patre genitus accepit , ac n . . .
Iudaeis . . adseren . . nominibus nominatum patrem et filium , ex his quae su-
perius dicta sunt , hic vero in lumine Dei . . . saepius dictis Iudaeis secun-
dum . . . profetam . . . ecce ponam in Sion lapidem effusionis et petram
(h) scandali , et qui credit in eum | non confundetur ". Et iterum " qui cadit super P. 76.
lapidem hunc , confrangitur ; super quem autem ceciderit , conquassabit eum ". Et
iterum " ecce hic positus est ad ruinam et resurrectionem multorum ". Manife-
stum est igitur , quia ad resurrectionem credentium qui non confundentur; ad rui-
nam autem eorum qui non credent , qui scandalizantur ex ipsius doctrina cum
Iudaeis , non recte tractantes , ipsi comminutabuntur (i) . Dominum Iesum igitur
Christum filium Dei qui viderunt , dupliciter viderunt ; carnalibus (k) oculis corpus
viderunt humanum , oculo autem animi per opera Deum cognoverunt , Dei filium .
Cum igitur dicit ; qui me vidit , vidit et eum qui me misit patrem , quod est

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. *v* pro *b* heic et infra. (d) Cod. *ac.* (e) Cod. *consueverunt.* (f) Cod. *carnalis.*
(g) Praep. *a* a me additur. (h) Cod. *patram.* (i) Ita cod. (k) Cod. *carnalis.*

dd *

tale; quod qui vidit opera fili et per opera dealitatis cognovit virtutem, ipse vidit, hoc est cognovit qui me misit et mandavit mihi haec opera magis, aut qui operatur (a) per me (1). Qui ergo viderunt [fiunt] videntes, cognoverunt et viderunt inluminati a filio et instructi eum, qui illum misit, patrem; secundum ipsius fili adsertionem dicentis || . . .

FRAGMENTUM VI.

P. 193. . . . vel votum faciendi habuerint, promoveri (b) a Deo non possunt. Sed alias (c) fere quinquaginta quaestiones vanissimas et inutilissimas sibi adauxerunt (d); quae non eos ad regnum Dei et Christi eius perducunt, sed in ima gehennae demergunt. Sed nos unde egressi sumus, illuc redeamus. Causa nobis (e) maxime est adversus eos qui se dicunt orthodoxos, qui ecclesias nostras invaserunt, et more tyrannico obtinent (2), dicentes aequalem esse filium per omnia et in omnibus Deo patri, et spiritum sanctum aequalem esse per omnia et in omnibus Deo patri et Deo filio: et haec ipsa adsertio eorum una est de fere trigipta sectis (3) eorum. Et quia non se filius aequalem patri dixit, sed consentientem se patri confirmavit (4), ipse filius nobis adaperuit dicens qui *filium* (f) non honorificat, non honorificat patrem (5) qui misit illum. Sicut enim pater habet vitam in semet ipsum (g), ita dedit filio vitam habere in semet ipso: et potestatem dedit illi iudicium faciendi: ac si dixisset, Deus non genitus genitor meus, qui est et fuit Deus sine initio,
P. 194. vivus, potens, bonus, sapiens, perfectus, sempiternus, qui est sine initio | et sine fi-

(a) Cod. *operantem*. (b) Cod. videtur habere *promovi*, vel *pro me ui*. (c) Cod. *alia*. (d) Cod. s. manu *adaugrunt*; mox videtur factum *adaugerunt*. (e) Cod. *nobis esse*. Sed *esse* videtur expunctum. (f) Deest hoc vocabulum. (g) Ita cod.

(1) Sic explicat haereticus, ob excludendum sensum catholicum verborum *ego et pater unum sumus*; quae quidem ad indifferentiam naturae non ad voluntatis unitatem esse referenda, demonstrat valide contra Arrianos Faustinus de fide cap. I. ff. 12. sqq. ubi notabilia sunt verba haec: *nolo impie haeretice, ut indifferentium substantiae patris et filii adimas, et importune unitatem voluntatis interseras*. Item Tertullianus contra Praxeam cap. XXV: *dictum est, ego et pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem*.

(2) De hac re consulendae sunt christianorum Caesarum leges in cod. theod. lib. XVI. tit. de haereticis. Leges imperiales contra Arrianos commemorantur etiam apud Augustinum coll. cum Max. ff. 4. Arrianae haereseos prostratas vires dicit aetate sua Augustinus tract. XL. 7. in Ioh.

(3) *Secta* hoc loco dicitur pro *dogmate*. Et quidem ita loquitur Didymus de trinitate, Hieronymo interprete. ff. 5. 21. 37. Legesis ibidem adnotationes ad ff. 5, et confer ff. 32. Quin adeo sic loqui videtur etiam Iulius Paris a me nuper editus, lib. II. 2. 2. Num ergo arriani a catholicis triginta fere dogmatibus dissidebant?

(4) Spuriam hanc Arrianorum interpretationem novit refutavitque Hilarius de trin. VIII. 5. sqq. At non ita intellexerunt Iudaei ipsi Christum loquentem: quin immo auditis his verbis *ego et pater unum sumus*, sustulerunt lapides ut Iesum occiderent, quia se Deum faciebat; qua super re legesis eundem Hilarium VII. 23. sqq.

(5) Immo Nicetas a me editus de rat. fid. p. 6. ait: *cum pater dicat, hic est filius, hunc audite; filius dicat, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem; quae caecitas mentium est, intermissa honorificentia, contumelias concinnare? quae oblivio spei est, infirmum et minorem et contemptibilem aestimare Christum?* etc.

ne, me ante omnia voluit esse vivum, potentem, bonum, sapientem, perfectum, sempiternum. (Sempiternum autem sic dicimus filium, quia cum initium habeat filius, finem tamen *non* (a) habiturum, sed mansurum in sempiternum (1), et ceteris omnibus bonis sempiternitatem daturum.) Et talem possibilitatem tribuit in me, in quo voluit me esse, ut possem omnes voluntates et dispositiones et imperia eius implere: et sic complevi et compleo semper: nam volente et iubente patre ego innumerabilis spiritus vivos, virtutes et dominationes sempiternas (b) creavi: sed et ipsum spiritum sanctum qui est ante omnia et maior omnibus creationibus, et cetera caelestia et terrestria visibilia et invisibilia tempora et saecula, volente patre et iubente, ego creavi (2): et nulla fuit discrepantia inter patrem iubentem et me perficientem (c): sed quemadmodum pater voluit, difinivit (d), iussit mihi; sic et ego volens et potens sine ullo impedimento || et discrepantia omnia perfeci: sed P. 203.
et cetera omnia quae postmodum facta sunt sive diluvium, sive incendium Sodomae et Gomorrae, et cetera omnia quae semper fiunt et reguntur, iubente patre " quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia veniet hora in qua „ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem fili Dei: et procedent qui „ bona fecerunt in resurrectionem iudicii „. Ac si dixisset (e), nolite increduli esse, quia videtis me carnem esse, et putatis me hominem tantummodo esse: videbitis enim vos omnes, qui putatis me hominem tantummodo esse, non solum Deum vivum esse, *sed* etiam omnes mortuos vivificantem: et in gloriam aeternam ingredientes iustos bonos et fideles, malos autem et impios, fures et latrones, et eos qui diffiderunt (f) veritati, crediderunt autem iniquitati, qui doctrinam meam abiecerunt, et suam statuerunt, iusso (g) patris mei per me ab angelis meis mittentur in metallum ignis (h) aeterni. Luce clarius nobis patefecit dominus noster et Deus Iesus | Christus filius Dei patris omnipotentis illud quod dixerat superius " amen amen P. 204.
„ dico vobis non potest filius a se facere quicquam, nisi ante viderit patrem fa-
„ cientem (3): quaecumque enim pater facit, haec eadem facit filius „. Similiter nihil

(a) Deest *non*. (b) Cod. *sempiternos*. (c) Cod. *inter patre iubente me perficiente*. (d) Ita cod. (e) Cod. *dixisse*. (f) Cod. *diffiduerunt*; sed prior *u* fortasse deleta. (g) Cod. *iosso*. (h) Cod. *in ignis*; sed *in* fortasse deleta.

(1) En ut Arriani negabant nativitatem aeternam, quam orthodoxi patres praeclarissime comprobant Tertullianus contra Prax. cap. V. Hilar. de trin. I. 24. II. 20. III. 3. IV. 6. XII. 21. sqq. 51; Ambros. de fid. I. 8; Cyril. de trin. dialog. II; Fulgent. ad Trasim. II. 7, et contra Fab. frag. XIX. XX, aliique passim.

(2) Non esse creaturam spiritum sanctum demonstrat (praeter iam dicta p. 213. n. 5) Ambrosius de sp. s. lib. I. 5. 7. Praeterea legesis locum Nicetae aquileiensis iam a me relatum p. 212, et Didymum de sp. s. cap. XIV. sqq. et de trin. II. 6. Tum vero sic Basilius de sp. s. cap. XXIV. 56. τίς οὕτως ἐλπίδων αἰωνίων ἄμοιρος, ὡς τῇ κτίσει συντάξαι τὸ πνεῦμα, τῆς θεότητος ἀποστήσας; *quis adeo spei aeternae expers est, ut spiritum a deitate distractum, creaturae copulet?*

(3) Aliter loquitur orthodoxus Hilarius de trin. XI. 12. qui recitato evangelico texta, pergit dicere: *dum non ab se facit, ad id quod agit secundum nativitatem sibi pater auctor est: et tamen cum quaecumque facit pater, eadem et filius facit similiter, non in aliquid quam in Deum subsistit, ad facienda omnia quae Deus pater faciat, paternae omnipotentiae in se subsistente natura* etc. Eandem obiectionem prolixe admodum dissolvit Ambrosius de fide IV. 4. sqq. sic fere concludens: *quod dixit scriptura quia non*

filius sibi praesumere, sed omnia imperata patris facere (1).

Iterum dicamus pauca adversus Macedonianos (2), qui dicunt filium similem per omnia et in omnibus patri, et nullam esse differentiam inter patrem et filium (3): et adversus eos qui se dicunt orthodoxos esse, qui filium aequalem Deo patri per omnia et in omnibus mortifere defendunt: quia de patre et filio convenit illis, et de spiritu sancto dissentiunt; quia isti et spiritum sanctum per omnia et in omnibus coaequant patri et filio; Macedoniani autem spiritum sanctum iussu patris per filium creatum defendunt, et nuntium et ministrum patris (4) eum esse praedicant, sicut et nos. (5) || (*)

FRAGMENTUM VII.

P. 73. . . . manupositionibus suis praeponunt patrem filio, dum dicunt: Deus maxime, mundi conditor et effector, Deus et pater domini nostri Iesu Christi. Item, Deus clarioribus clarior, celsis celsior, potentium virtus praepotentior, Deus in praecipuis, in summis summus, in singulis singularis. Item nullo modo praeponunt in scribtis suis patrem filio; insuper et damnant, qui praeponunt patrem: et tam (a) ipsi praeponunt patrem filio in symbolo, dum dicunt: " credis in Deum patrem omni-„ potentem, creatorem caeli et terrae? credis et in Iesu Christo filio eius (b)? „. Item nullo modo praeponunt filio patrem in scribtis suis: insuper damnant omnes, qui praeponunt patrem filio: et tamen ipsi in benedictionibus suis praeponunt patrem filio, dum dicunt: " Deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui te rege-„ neravit ex aqua, ipse te linet spiritu sancto „ et cetera. Nullo modo praeponunt patrem filio in scribtis suis; insuper omnes, qui praeponunt patrem filio (6), con-
P. 74. demnant; et tamen ipsi praeponunt | patrem filio in oblationibus suis dicentes (7): " dig-

(a) Ita cod. pro *tamen*, ut recte scribitur infra. Nihilominus ita fit etiam apud Frontonem p. 175. v. 5. a fine.
(b) Sic mutatur casus in cod.

potest a se facere quidquam, ad inseparabilis et individuae caritatis retulit unitatem.

(1) Obiectioni Arrianorum quam ex obedientia Christi petebant, respondet Ambrosius de fide II. 10, qui sic concludit: *in forma hominis constitutus, subditus era Ioseph et Mariae. Numquid ergo minor et hominibus, quia subditus? Aliud pietatis, aliud potestatis est: sed non praeiudicat pietas potestati. In qua ergo legis subditum patri? in corpore scilicet, in quo erat subditus matri.*

(2) Damnati sunt Macedoniani in concilio I. cpolitano anno Christi CCCLXXXI. Neque fere ab hac ipsa aetate distare videtur noster hic auctor arrianus.

(3) Macedonianos consensisse cum catholicis de patre filioque; ac de spiritu sancto tantummodo dissensisse; dicit etiam Augustinus contra Maximin. II. 23.

(4) Didymus orthodoxus de sp. s. ff. 30: *missus a patre spiritus sanctus, non servus, non alius, nec disiunctus a filio, intelligatur.*

(5) Immo exploratum est macedonianam haeresim ex arriana fuisse progenitam, ut ait Damasus epist. ad Paulin. Praeterea narrat Didymus de trin. II. 10, Macedonium ab arrianis episcopum fuisse ordinatum; ab hoc autem factum episcopum Marathonium homoeusiae coryphaeum.

(*) Explicit tractatus, ut paginae vacuum spatium demonstrat.

(6) Quare in ecclesiasticis scriptis praeponatur pater filio, rationem reddit Photius in edita a me quaestione amphilochiana CXC. Et quidem a s. Paulo priorem patre aliquando nominari filium observat Cerealis contr. Max. cap. XIX.

(7) Notemus sequentia ex praefatione antiquissima et canone missae fragmenta.

„ num et iustum est nos tibi hic et ubique gratias agere, domine sancte omnipotens Deus: neque est alius, per quem ad te aditum habere, precem (a) facere, sacrificationem (b) tibi offerre possimus, nisi per quem tu nobis misisti „ et cetera. Item: " dignum et iustum est, aequum et iustum est, nos tibi super „ omnia gratias agere, domine sancte pater omnipotens aeterne Deus, qui inconparabili tuae bonitatis honestate lucem (c) in tenebris fulgere dignatus es, mittens nobis Iesum Christum suspitatorem (d) animarum nostrarum, qui nostrae salutis causa humiliando se ad mortem (e) usque subiecit, ut nos ei quam (f) Adam amiserat immortalitati (g) restitutos, efficeret (h) sibi heredes et filios: cuius benignitati (i) agere gratias, tuae tantae magnanimitati (k) quibusque (l) laudibus nec sufficere possumus, petentes de tua magna et flexibili pietate accepto ferre sacrificium istud, quod tibi offerimus stantes (m) ante conspectum tuae diviuae pietatis, per Iesum Christum dominum et Deum nostrum, per quem petimus „ et rogamus „. Nullo modo praepo||*nunt*.

FRAGMENTUM VIII.

. . . patrem et filium, hoc est inter lumen natum et inter lumen non natum. Nos vero christiani, quibus inpositum est falsum nomen Arrianos (1), sic credimus et honorificamus, ut supra scribtum est: quia Deus pater omnipotens ipsum filium ante omnia (2) voluit esse, et est et permanet: et quia Deus pater omnia et nos creavit per filium, quia pater iussit filio, et statim filius fecit: regimur a patre per filium, quia pater iussit filio, et filius regit nos. Pater dedit legem Moysi per filium, profetas instruxit per filium, quia pater iussit filio, et legem dedit et profetas instruxit: redemit nos pater, et remisit nobis peccata per filium, quia filius iussu patris et redemit nos et remisit nobis peccata: dedit nobis pater spiritum sanctum per filium, quia pater iussit filio, et P. 277.

(a) Cod. *praecem*. (b) Cod. *sacrificatio*. (c) Cod. *luce*. (d) Ita cod. (e) Cod. *a morte*. (f) Cod. *quo*. (g) Cod. *immortalitate*. (h) Cod. *efficere*. (i) Cod. *benignitates*. (k) Cod. *magnanimitate*. (l) Ita cod. (m) Cod. *stante*.

(1) Dic *arriani* vel *arrianis*. Sic autem loquitur Palladius arrianus apud Vigil. taps. concil. aquil. lib. I. p. 488: *diximus probaturos nos christianos in concilia pleno*. Sed multo iustius dicitur ab orthodoxo apud Hilarium ad Const. aug. I. 2: *catholicus sum, nolo esse haereticus; christianus sum, non arrianus*. Et ff. 6. *Cogunt non ut christiani omnes sint, sed ut arriani*. Sic loquitur saepe Lucifer. Tum nominatim contra Const. ed. Coleti 47. et 223: *cum sis arrianus te fingis christianum*. Et p. 97: *cum sitis arriani, quomodo dici christiani poteritis? cum negetis Christum unicum Dei filium* etc. Item Ambrosius de incarn. cap. II. de arrianis ait: *sub optione nominis christiani, et quadam nuncupativa fidei germanitate, parricidialibus gladiis nos cupiunt vulnerare*.

(2) Nempe ante omnia creata, vel ante omnia coeptarum rerum saecula. Hic enim erat arrianus sensus; ita ut filius nonnisi excellentissima et antiquissima esset creatura. Contra hunc errorem, ab aliis patribus passim refutatum, Claudius Piceni episcopus apud Hier. dial. adv. Lucif. ff. 18. aiebat in ariminensi concilio: *siquis dixerit filium Dei esse quidem ante omnia saecula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat* (puta patrem) *anathema sit. Dixerunt cuncti, anathema sit*.

statim filius dedit nobis spiritum sanctum: exaudivit (a) nos pater et miseretur per P. 278. filium, quia genua et cervicem flectimus patri per filium: susci|tavit pater templum fili sui per filium, quia pater iussit filio ut susciperet corpus, deponeret, iterum reciperet tertia die et rediret ad patrem. Suscitaturus est pater omnes mortuos per filium, quia pater iussurus est filio ut suscitet omnes mortuos: indicaturus est pater omnes vivos et mortuos per filium, hoc est bonos et malos, iustos et iniustos, quia pater iussurus est filio ut suscitet omnes mortuos, et iudicet (b) vivos et mortuos, hoc est bonos et malos, iustos et iniustos: daturus est Deus pater iustis vitam aeternam, iniustis poenam perpetuam per filium, quia filius iussu patris dabit vitam aeternam iustis, poenam perpetuam iniustis. Et ideo nos ecclesia Dei sancta et Christi eius omnes primitias patri damus, sequentias vero filio; sicut etiam Paulus apostolus haec omnia breviter definivit dicens: « etsi sunt dii aut domini sive in „ caelo sive in terra, nobis unus est Deus pater, ex quo omnia, et nos ex ipso: „ et dominus Iesus, per quem omnia, et nos per ipsum (1)„. Nam de his, qui se dicunt orthodoxos esse, qui filium per omnia et in omnibus coaequant (c) Deo patri, et spiritum sanctum per || . . .

FRAGMENTUM VIIII.

P. 283. . . . ria nos infamant. Sed Macedoniani post haec omnia corrigunt se, et dicunt: filium similem per omnia et in omnibus Deo patri esse dicimus (2): his, autem qui dicunt esse differentiam inter lumen natum et inter lumen non natum, non communicamus, quia nullam differentiam esse inter Deum natum et inter Deum non natum dicimus: aequalis (d) honore, aequales virtute Sozifanes (3) princeps eorum scribsit. Ob hoc etiam coguntur a nobis, ut ostendant nobis si scribta sunt de patre ea quae scribta sunt de filio (4): dicant et ostendant de scribturis si pater a filio ante saecula natus sit, et omnia iusso (e) fili pater fecerit, omnia et regat: aut si Deus pater omnipotens minister nuntius et sacerdos sit fili sui: aut si iussu fili pater corpus ex virgine accepit, deposuit, et recepit: aut si Deus pater rogavit filium, et accepit spiritum san-

(a) Cod. exaudi. (b) Cod. iudicat. (c) Cod. coaequant. (d) Ita cod. pro aequales. (e) Ita cod. At infra iussu.

(1) Rectam huius loci intelligentiam docet nos Ferrandus epist. casin. ff. 6. p. 174—175.

(2) Neque idcirco Macedoniani rectam de filio fidem habebant, quem dicebant *homoeusion*, *similis substantiae*; non *homoousion*, *consubstantialem*. Ita Didymus de trin. I. 34. *Καὶ Μακεδονίου δὲ παῖδες ὡς τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὕτω καὶ τοῦ μονογενοῦς τὴν δόξαν οὐ σώζουσιν, ὁμοιούσιον τῷ πατρὶ καὶ οὐχ ὁμοούσιον λέγοντες αὐτόν, ὡς νοεῖσθαι ὅτι ἄλλης ὁμοίας οὐσίας ἐστίν.*

(3) Sozipahnis Macedonianorum praecipui nullum extat scriptum, ac ne memoria quidem, ut reor.

(4) Abutitur in sequentibus arrianus auctor scripturis divinis, quae modo personas distinguunt, modo de Christo Deo, modo de homine loquuntur, modo adtributa diversa narrant. Adi Photium a me editum amphiloch. CLXXXVIII. Breviter Nicetas p. 6. *Haec omnia non infirmant filium, neque depretiant, sed a patre distinguunt.* De his Arianorum fraudibus loquitur etiam Hilarius de trin. XI. 6. Obiectiones autem haereticorum adversus filii divinitatem ex biblicis locutionibus petitas, prolixe refutat Didymus toto libro tertio de trinitate.

ctum, et dedit, donavit, misit spiritum sanctum apostolis: aut si iubente filio susci-
taturus est pater omnes mortuos, et iudicaturus est vivos et mortuos, | hoc est bonos P. 284.
et malos, iustos et iniustos. Scribtum est in evangelio: „ sic enim dilexit Deus
„ hunc mundum, ut filium suum unicum mitteret, ut det animam suam pro sae-
„ culi vita (a); ut omnis qui crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam
„ aeternam. Nec enim misit Deus filium suum in hunc mundum ut iudicet mun-
„ dum, sed ut salvetur mundus per eum. Item in evangelio: „ pater diligit fi-
„ lium, et omnia dedit in manus eius „ Item in evangelio: „ sicut enim pater ha-
„ bet vitam in semet ipso, sic dedit et filio vitam habere in semet ipsum, et po-
„ testatem dedit ei iudicium faciendi „. Item in evangelio: " quia discendi (b) de cae-
„ lo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui me misit, patris (1).
„ Haec est autem voluntas eius, ut omne quod dedit mihi pater, non perdam ni-
„ hil ex eo, sed resuscitem (c) novissima die „. Item in evangelio: " haec est
„ enim voluntas patris mei, qui me misit, ut omnis qui videt filium, et credit in
„ eum, habeat vitam aeternam: et resuscitabo ego eum || . . . .

FRAGMENTUM X.

. . . . . Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et P. 67.
de peccato damnavit peccatum. Item Paulus apostolus: " ad (d) ubi venit ple-
„ nitudo temporis, misit Deus filium suum factum per mulierem „. Et alia mi-
lia talia scribtura divina nobis tradidit. Ostendant nobis (2) ergo Macedoniani, di-
cunt filium per omnia et in omnibus aequalem esse Deo patri, et hi etiam
qui se dicunt esse orthodoxos, qui non solum filium coaequant (e) patri, sed et-
iam spiritum sanctum per omnia et in omnibus coaequant patri et filio, si alicubi
scribtum est: sic enim dilexit Deus hunc mundum, ut patrem suum mitteret
(3), ut det animam suam pro saeculi vita (f) ut omnis (g), qui cre-
diderit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam: non enim mi-
sit filius patrem suum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per

(a) Cod. *vitam*. (b) Ita cod. *di* pro *de*, ut infra. (c) Cod. *resuscitet*. (d) Ita cod. pro *at*. (e) Cod. *coequant*. (f) Cod. *vitam*, sed *m* videtur deleta. (g) Cod. *omnes*.

(1) Augustinus contra Maximin. II. 20, relatis his verbis ait: *potest accipi secundum id quod est unigenitum verbum; ut ideo voluntatem non suam dixerit esse, sed patris, quoniam de patre est quidquid est filius; non autem est de filio quidquid est pater etc. Non absurdum est tamen, ut etiam hoc secundum id quod homo factus est, dixisse accipiatur.* Cum priore Augustini sententia conspirat Paulinus aquileiensis contra Felicem III. 7; sed dissentit a posteriore.

(2) Morem hunc Arrianorum exagitandi adversarios variis interrogationibus exhibet nobis prolixe etiam Rufinus de fid. cap. 52. sq. qui et eorum peracuta sophismata multa coarguit.

(3) Iam demonstravit Augustinus contr. serm. Arrian. cap. III, itemque de trin. IV. 27. non idcirco esse filium minorem aut diversum natura patris, quia ab hoc missus est. Adde Nicetam de rat. fid. ubi eleganter demonstrat, sicque concludit: *haec ideo sunt posita, ut vera eius divinitas non negetur.*

eum. Ostendant nobis scribtum esse: confiteor tibi, fili domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ita fili,
P. 68. quia sic placuit bona voluntas tua ante te. Legant si | nobis scribtum est: filius diligit patrem, et omnia dedit in manus eius. Probent nobis, scribtum est: sicut enim filius habet vitam in semet ipsum, sic dedit patri suo habere vitam in semet ipsum: et potestatem dedit ei iudicium faciendi. Aut si poterint ostendere scribtom, quia discendi (a) de caelo, non ut faciam volontatem meam, sed voluntatem eius qui me misit fili mei: haec est enim voluntas eius, |ut omne (b) quod dedit mihi filius, non perdam nihil ex eo, sed resuscitem eum in novissima die. Item legant nobis: omnis (c) qui audit filium et didicit, venit ad me; non quia filium vidit quisquam, nisi qoi est ex ipso, hic vidit filium. Ostendant nobis, scribtum est: mea doctrina non est mea, sed eius, qui me misit, fili mei. Aut probent nobis scribtum esse: propterea filius meus diligit me, quia pono animam meam, et iterum sumam illam. Nemo tollit illam a me, sed ego ponam eam a memet ipso: potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo sumendi eam; hoc enim praeceptum a filio || . . . .

FRAGMENTUM XI.

P. 23. . . . . . Item in psalmo: « beati qoi habitant in domum tuam (d)! in „ saecula saecolorum laudabont te „. Item in evangelio: " ot (e) omnis qui eredi„derit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim dilexit Deus „ hunc mundum, ut filiom suum unicum mitteret; ut omnis qui erediderit in „ eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam „. Item in evaogelio: " qui u„nico credit filio, habet vitam aeternam: qui non credit filio, non videbit vi„tam, sed ira Dei manebit super eum „. Item in evangelio: „ respondit Iesus et „ dixit ei; omnis qui bibet de aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit de aqua, „ quam (f) ego dabo ei, non sitiet in (h) aeterno; sed erit et fons aquae salientis „ in vitam aeternam „. Item in evangelio: " qui metet, mercedem aeeipit; et qui „ congeret, fructum|in vitam aeternam „. Item in evangelio: " amen amen dico vobis, „ quoniam qui verbom meum aodit, et eredit ei qui me misit, habet vitam aeter-
P. 24. „ nam; et iudicium (h) non ve|niet, sed transiet de morte in vitam „. Item in evangelio: " dicit ergo Iesus, amen amen dieo vobis, non Moyses dedit vobis panem de „ caelo; sed pater meus dat vobis panem de caelo illum verum. Ille est enim pa„nis qui discendit (i) de caelo, et vitam dat huic mundo. Dixerunt ergo ad eum: „ Domine, da nobis honc panem. Et dixit eis Iesus: ego sum panis vitae; qui ve„nit ad me, non esuriet; et qni eredit in me, non sitiet umquam „.

(a) Ita cod. (b) Cod. *omnem*. (c) Cod. *omnes*. (d) Ita schedae, quas idcirco appello, quia pars haec e codice mediolanensi est, a quo nunc absum. (e) Sch. *aut*. (f) Sch. *quem*. (g) Sch. *iten* pro *in*. (h) Corrige *in iudicium*. (i) Ita sch.

Item in evangelio: " haec est autem voluntas patris mei qui me misit, ut " omnis qui vidit filium et credit in eum, habeat vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissima die ". Item in evangelio: " amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam ". Item in evangelio: " ego sum panis vivus, " qui discendi(a) de caelo, ut si quis manducaverit ex hoc pane, vivat in aeternum ". Item in evangelio: " qui manducat hunc panem, vivit in aeternum ". Item in evangelio: " qui manducat meam carnem et bibet (b) meum sanguinem, habet vitam " aeternam ". Item in evangelio qui sunt ex obibus (c) meis || . . .

FRAGMENTUM XII.

. . . " *Tollite* portas, principes vestri; et elevamini portae aeternales, et introivit (d) rex P. 25.
" gloriae. Quis est iste rex gloriae? dominus fortis et potens, dominus potens in proelio. Tol-
" lite portas principes vestri, et elevamini portae aeternales, et introivit rex gloriae. Quis
" est iste rex gloriae? dominus virtutum, ipse est rex gloriae ". Item Paulus apostolus:
" imitatores mei estote, fratres, et conspicite eos qui ita ambulant: quos saepe dice-
" bam vobis, et nunc *etiam flens* dico, inimicos crucis Christi: quorum finis erit in-
" teritus; quorum Deus venter, et gloria in confusionem ipsorum: qui terrena sa-
" piunt: nostra vero conversatio in caelis est; unde et salutarem expectamus dominum
" nostrum Iesum Christum, qui transfiguravit (e) corpus humilitatis nostrae (f) con-
" formatum corpori (g) gloriae suae, secundum operationem, ita ut possit illi subicere
" omnia ". Item in evangelio: " cum venerit filius hominis in maiestate sua, et om-
" nes angeli eum eo, tunc congregabuntur omnes gentes ante eum; et segregavit eos,
" quemadmodum pastor segregat oves ab (h) hedis (i); et statuet eos ad dexteram
" suam, hedos autem ad sinistram. | Tunc dicit rex eis qui ad dexteram sunt, venite P. 26.
" benedicti patris mei; percipite regnum paratum vobis ab origine mundi. Esurivi
" enim, et cibastis (k) me; sitibi (l), et potum dedistis mihi; nudus fui, et coope-
" ruistis (m) me; infirmus fui, et visitastis me; in carcere fui, et venistis ad me. Tunc
" respondebunt dicentis (n): Domine, quando te vidimus esurientem, et civavimus?
" vel sitientem, et potum dedimus? aut quando te vidimus hospitem, et collegimus te?
" aut nudum et cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, et visitavimus te?
" aut in carcere, et venimus ad te? Quibus respondit rex dicit (o): amen dico
" vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis. Tunc dicit his
" qui ad sinistram (p) sunt: recedite a me maledicti in ignem aeternum, quem pa-
" ravit pater meus diabolo et angelis eius. Esurivi enim, et non dedistis mihi
" manducare; sitibi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non recepistis; nu-

(a) Ita sched. di pro *de*, ut supra. (b) Ita sch. (c) Ita sch. *b* pro *v*. (d) Ita sch. heic et infra. (e) Ita sch. Sic infra *segregavit*. (f) Sch. *nostre*. (g) Sch. *conformam corporis*. (h) Cod. *ad*. (i) Ita sch. sine diphth. (k) Sch. *cibasti*. (l) Ita sch. heic et infra. (m) Sch. *cooperuisti*. (n) Ita sch. pro *dicentes*. (o) Corrige *dicens*. (p) Schedae *sinistra*.

„ dus fui, et non vestistis me; infirmus fui, et non me visitastis; in carcere fui, „ et non venistis ad me. Tunc respondebunt || . . .

FRAGMENTUM XIII.

P. 17. . . . admodum qui in principio evangelii verbum Deus esse praedicatur apud Deum. Propter haec quae superius antedicta sunt; et quando piis pium sensum propter eum tradidit; tunc procedens modicum, dicit: " et verbum caro factum (a) est, et habitavit in no- „ bis, et vidimus gloriam eius, gloriam tamquam unici a patre, plenum gloriae et ve- „ ritatis „. Ipsum igitur verbum Deum, ut non aestimes hunc innatum filium unigenitum Dei, certissime et manifestissime ostendit spiritus sanctus per beatissimum Ioannem; simul et modum humanitatis manifestissime adnuntians, obstruit os eorum qui dicunt eum animam cum corpore adsumpsisse (1). Ait: " et verbum caro factum „ est, et habitavit in novis (b): „ hoc est carnem induit, non quia inmutavit ipse verbum Deus in naturam (c) carnis, sed carnem suscepit et habitavit in nobis, hoc est in carne nostra, et in ipsa passus est inpassibilis verbum Deus; et corruptelam sustinuit incorruptibilis Deus, ut nos ad incorruptibilitatem commutet. Non autem dea-
P. 18. litas ipsius verbi mortua, | aut corruptionem sustinuit; sed separatio paulisper a corpore dealitatis, corruptio eius corporis cognoscitur. Verbum autem Deus nihil passus est, nisi iniuriam tantummodo propter nos. Si enim morientibus nobis nostrae animae non moriantur, sed recessio animi a corpore corruptela hominis (d) nostri fit; multo magis dealitas unigeniti Dei non moritur; sed quando voluit, nutu patris ultro mortuus est; hoc est a corpore recessit, et separatio eius mors eius dicitur (2) (e). Post tertiam autem diem resumpsit iterum paterna voluntate corpus; et resuscitavit eum (f) ad incorruptionem; et ascendit eum eo super caelos; et habet eum gloriosum templum sanctum vivum; et in ipso corpore, in quo salvavit genus humanum, in ipso in dextra virtutis Dei adoratur ab (g) omnibus. Eorum igitur cer-

(a) Schedae *factus*; sed infra *factum*. (b) Ita cod. (c) Cod. *in natura*. (d) Sch. *homini*. (e) In schedis oblitteratae sunt quatuor circiter litterae. Nulla tamen videtur esse lacuna. (f) Ita sch. pro *id*. (g) Sch. *ad*.

(1) Hunc ipsum Arriomanitarum errorem refutat Augustinus coll. serm. Arrian. ff. 7. *Ecce in quibus verbis suis omnino manifestant negare se quod ad unitatem personae Christi etiam humana anima pertineat; sed in Christo carnem et divinitatem tantummodo confiteri. Quandoquidem cum penderet in ligno, illud ubi ait " pater, in manus tuas commendo spiritum meum „ divinitatem ipsam volunt eum intelligi commendasse patri , non humanum spiritum quod est anima* etc. *Fateantur Christum non tantum carnem, sed animam quoque humanam unigenito coaptasse* etc. Lege etiam Ambrosium de incarn. cap. VII; Fulgentium ad Trasim. I. 18. III. 18. 19. 21. 24. et contra Fastid. cap. 22; item Ferrandum epist. casin. ff. 9. In eodem hoc errore Macedonianos quoque versatos fuisse, docet nos Theodoretus in dialogo contra illos; quo quidem errore nihil absurdius esse potuit. Nam quum Iesus tristitiae et pavori in passione obnoxius fuerit; hae autem adfectiones in corpus non cadant; consequeretur ut divinitas tristis metuens dolensque fuerit; siquidem Iesus anima carebat, eiusque vices occupabat divinitas.

(2) Immo vero christiana doctrina est, divinitatem in Christi morte neque corpus eius exanime, neque divisam ab eo animam, deseruisse. Lege etiam Fulgentium ad Trasim. III. 25. 31.

tam notitiam disce a beatissimo et primo martyre dealitatis Christi Stefano (a) dicente: " video, inquid (b), caelos apertos, et filium hominis stantem ad dextram virtutis Dei ". Filium hominis corpus quod || . . . .

FRAGMENTUM XIIII.

. . . *minis*terii ad aedificationem corporis Christi, videntibus discipulis ascendit. Ascendit P. 31.
autem cum corpore ad suum patrem, ubi erat antea; et munus acceptabile obtulit patri nostrum corpus; et recipiens ad dexteram sedem suam; venturus inde iterum cum gloria et virtute iudicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera eius. Misit nutu patris spiritum sanctum discipulis suis, sicuti promisit dicens: " si ascendo ad patrem, mitto vobis spiritum veritatis. Set (c) hunc spiritum oportet nos necessarie (d) confiteri, qui sumus veritatis defensores, tertium post patrem et filium natura (1) et ordine, et eundem in natura et dignitatem (e) possidentem. Hic est primum et maius patris per filium opus (2), creatum per filium (3), natura sanctum, sanctificantem possidens (f) virtutem, ut sanctificet simpliciter credentes in patrem per filium dominum et Deum nostrum Iesum Christum: et ut doceat et commoneat et inluminet animas eorum, et dividat gratias, et ad scientiam veritatis omnes ducat et adducat ad filium. | Hic spi- P. 32.
ritus sanctus non Deus (4) neque dominus (5), non creator neque factor (6), non colendus

(a) Ita sch. *f* pro *ph*. (b) Ita sch. (c) Ita sch. (d) Sch. *necessariae*. (e) Ita cod. (f) Sch. *possidentem*.

(1) Longe aliter Augustinus orthodoxus de trin. VI. 7. *Etiam spiritus sanctus in eadem unitate substantiae et aequalitate consistit. — Ita sunt illa tria, Deus unus, solus, magnus, sapiens, sanctus, beatus.* Et Didymus ff. 24: *indivisa est substantia trinitatis.* Quam rem demonstrat praecipue ex baptismatis formula; monetque ff. 27. *ne velimus ex filii et spiritus sancti operatione diversa, varias aestimare naturas.*

(2) Paschasius de sp. s. lib. II. 3. refutat Macedonium, qui spiritum sanctum dicebat excellentiorem creaturam. Praestat autem audire antiquissimum patrem Tertullianum de tota trinitate loquentem contra Praxeam cap. II. *Unus et omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem; et nihilominus custoditur oeconomiae sacramentum, quae unitatem in trinitate disponit, tres dirigens, patrem, filium, et spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia sed forma, nec potestate sed specie: unius autem substantiae et unius status et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formae et species, in nomine patris et filii et spiritus sancti deputantur.*

(3) Damasus quidem in epist. ad Paulinum dicit hanc *sacrilegam adfirmationem*, eamque anathemate ferit. Hanc autem et sequentes blasphemias omnes singillatim refutant Ambrosius, Didymus, Basilius, Theodoretus, Nicetas, Paschasius de sp. s. Item Augustinus de trin.

(4) Contradicit aquileiensis Nicetas p. 12. sic: *Quid faciat fides ecclesiae? contra omnium opinionem scripturarum tam veteris quam novi testamenti credat esse creatum spiritum Dei sanctum, quem nusquam creaturam legere potuit? Absit. — Dominus dicit in evangelio " hic de patre procedit " Quid nunc oportet fratres? Christum audire, an homines? Christus neque factum dixit spiritum sanctum, sed hoc solum, quia de patre procedit. Contrarii dicunt, quia factus est et creatus. Puto melius esset ita credere ut Christus revelavit, quam ut humana praesumptio concinnavit.*

(5) Atqui in symbolo constantinopolitano definivit ecclesia *credimus et in spiritum sanctum* DOMINUM. Lege Basilium de sp. s. cap. XXI.

(6) Contrarium demonstrant vulgo patres. In his Didymus de sp. s. ff. 32. sic concludit: *ex qui-*

neque adorandus (1), per divinas adnuntiatus agnoscitur scripturas; sed spiritus sanctus, qui quae (a) facta sint, per filium sanctificat et inluminat et consolatur et interpellat gemitibus inenarrabilibus pro nobis; et adiuvat infirmitatem orationis nostrae, et adducit ad filium Dei perducendos ad patrem. In isto spiritu et angeli adorant filium, et arcangeli (b) et omnes invisibilium et caelestium naturae (c) in isto adorant filium, et per filium, patrem: et in ipso spiritu (d) sanctificatae (e) omnes rationabiles creaturae accedent (f) ad filium Dei, et per ipsum glorificant patrem: et ipse spiritus sanctus ante omnia et pro omnibus et super omnia et cum omnibus filium adorat ipse solus (2) sine mediatore, per quem factus est ante omnia: sicuti et filius ante omnia et pro omnibus, et cum omnibus, et super omnia patrem adorat, et gratias agit sine mediatore, solus condigne (g), qui genuit illum ante omnia. Et sicuti filius a semet ipso facit nihil, sed || . . .

FRAGMENTUM XV.

P. 285. . . et regantur, non vivet in aeternum, sed potius damnabitur in metallum ignis aeterni. Hoc etiam tenore credimus solum Deum patrem (3) omnipotentem omnia creasse et regere universa: legem tradidit, spiritum sanctum dedit et dat semper sanctis, profetas instruxit: templum, quod filius sumpsit de Maria virgine et in cruce dimisit, pater suscitavit: mundum sibi reconciliavit, peccata dimisit et dimittit (h) cottidie, omnes mortuos resuscitaturus, et omnes vivos et mortuos indicaturus, bonis et fidelibus requiem et gloriam aeternam daturus, malos et perfidos in gehennam (i) missurus: primum quia psum filium sciens potens volens ante omnia creavit, fundavit, genuit, fecit (4), secundum quod ipse Deus pater omnipotens voluit, definivit, iussit filio, ut per ipsum omnia creata, facta, fundata, nata, substiterunt et reguntur iussu patris: per filium legem tradidit: filius spiritum sanctum dedit et dat semper sanctis: profetas instruxit: templum suum, quod sumpsit ex Maria virgine et in cruce dimisit, ipse filius
P. 286. suscitavit: mundum patri suo et sibi reconciliavit: peccata dimisit et dimittit cot|tidie, omnes mortuos suscitaturus, et iudicaturus omnes vivos et mortuos: bonis et fi-

(a) Sch. *quo ei.* (b) Ita sch. sine adspir. (c) Sch. *natura.* (d) Sch. *spirito.* (e) Sch. *sanctificati.* (f) Ita sch. quamquam sequitur *glorificant.* (g) Sch. *condignae.* (h) Cod. *demisit et dimittit.* Sed infra recte. (i) Cod. *in gehenna*; sed infra recte cum *m*.

bus ostenditur esse spiritum sanctum creatorem, ut iam in dogmatum volumine breviter ostendimus.

(1) Contra hunc errorem catholica ecclesia in symbolo constantinopolitano adfirmat: *qui cum patre et filio simul adoratur.* Tum Damasus papa ad Paulinum: *siquis non dixerit spiritum sanctum adorandum ab omni creatura, sicut filium et patrem, anathema sit.* Addo laudem illam antiquissimam *gloria patri et filio et spiritui sancto*, super qua lege Basilium de sp. s. cap. XXVII. 68. XXIX. 73.

(2) Quomodo adorat filium spiritus sanctus, si ut ait Augustinus contra Maximin. I. 19. ne patrem quidem dicitur unquam in scripturis adorare spiritus? Insuper spiritum sanctum nemini servire demonstrat Ambrosius de sp. s. I. 1, nec non Didymus de trin. II. 6. ff. 10. 11.

(3) Haereticum horum verborum apud Arrianos sensum alibi patefeci.

(4) Has item locutiones, quatenus erant haereticae, in superioribus refutavi.

delibus requiem et gloriam aeternam daturus: malos et perfidos in gehennam missurus. Unum autem imperium et unam potestatem sic dicimus esse, quia secundum patris imperium filius omnia perficit: sed et spiritui sancto angelis et hominibus ea imperat filius facere secundum quod pater vult et iubet filio, ut filius imperet ceteris omnibus. Eos autem, qui dicunt, quotiens scribtura divina (a) Iesum Christum commemorat, hominem tantummodo significat, corpus et animam non Deum, et ex eo esse Iesum Christum ax eo quod de Maria natus est, antea non fuisse, sicut Fotinus et antecessores eius adseruerunt, a communione nostra alienos habemus. Unum autem Deum et patrem omnium sic dicimus et credimus, ut istum spiritum sanctum, quem tertio loco a patre post filium in symbolo et in baptismo tradimus, non esse Deum creatorem (1) dicimus, quia nihil ab illo et per illum creatum est; quia omnia a patre per filium creata sunt; neque ipsum regere || . . . .

FRAGMENTUM XVI.

. . . provisor omnium, iudex et despensator (b), Deus qui omnia creavit et construxit: qui fecit omnia ex nihilo. Iterum idem ipse Athanasius antiquorum profert memoriam ac Dionisi (c) episcopi, ut ostendat ante esse patrem, quam filius generaretur (2), dicens: « ita pater quidem, pater et non filius; non quia „ factus est, sed quia est; non ex aliquo sed in se permanens: filius autem et „ non pater, non quia erat, sed quia factus est; non de se, sed ex eo, qui eum „ fecit, filii dignitatem sortitus est (3) „. Deinde ipse Athenasius: « non enim se eri„ git filius contra petrem, neque putat paria esse cum Deo (4): cedit autem patri suo, „ et fatetur; docens omnes quia pater maior (5): *maior* (d) autem non vastitate neque P. 275.

(a) Cod. *scribturas divinas.* (b) Ita cod. (c) Ita cod. *i* pro *y*. (d) *Maior* a me repetitur.

(1) Creatorem demonstrat spiritum sanctum magnus Basilius cap. XVI. Item Augustinus contra Maximin. II. 17. aliique PP., quos inter Ambrosius de. sp. s. II. 5. *Quis vero dubitare potest quia vivificet omnia spiritus sanctus, quando et ipse sicut pater et filius, creator est omnium; nec quicquam nisi cum spiritu sancto Deus omnipotens pater intelligatur operatus; quandoquidem et in principio creaturae spiritus superferebatur super aquam?* Cetera quae copiose addit Ambrosius, ex ipso fonte e curiosis petantur. Tum Didymus de trin. I. 36. *ἑκάστης ὑποστάσεως δυναμένης δημιουργῆσαι, καὶ πάντα ποιῆσαι, εὐδόκησεν ὁ θεὸς καὶ πατὴρ διὰ μὲν τοῦ υἱοῦ καὶ θεοῦ ὑποστῆναι πάντα· διὰ δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἁγιασθῆναι.* Quin adeo spiritum sanctum creatorem declarant Platonis comici versus eb eodem Didymo recitati op. cit. II. 27. Vide etiam Faustinum contra Arr. cap. VII.

(2) Capitalem hunc errorem quod filius ante tempora quidem (id est ante res creatas) sit genitus, sed non ab aeterno, late invicteque refellit Hilarius de trin. I. 34. II. 20. III. 3. IV. 6. XII. 21. sqq. 51; et de synod. ff. 25. Item Ambrosius de fide I. 8. sqq. III. 4.

(3) In Athanasii certe epistule de sententia Dionysii vix hae sententiae invenientur.

(4) Filium nonnisi secundum carnem subiectum patri demonstrat Ambrosius de fide V. 14. Alioquin dicit apostolus, *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Legesis praeterea Hilarium de trin. XI. 30. 43. sqq., et Leonem magnum serm. XXV. 2. Immo patres id passim concordes adfirmant.

(5) Famosissimus in theologia locus, super quo videndi saltem Hilarius de trin. IX. 56; Augustinus de trin. I. 15. 22. 23, et serm. CCCXLI. 6; Ambrosius de fide II. 8, et epist. X. class. I; Theodoretus dialog. de sp. s. cap. XIX; *Faus-*

magnitudine (1) (a), quae quidem corporum propria sunt, sed perpetuitate (2) et inenarrabili
eius paterna ac generandi virtute (b): ut quia ipse quidem sempiternus est, et in se
plenitudinem habens, et a nullo vitam habens. Similiter etiam Bithenus episcopus (3)
et cognitus (c) ad Papam (4) " Ergo filium genitum dicimus: filius autem ingenitus num-
P. 276. " quam fieri potest. Solum | autem patrem scientes ingenitum de sanctis scribturis:
" veneramur autem filium, quia (d) apud nos certum est hanc eius gloriam ad pa-
" trem ascendere ". Et post pauca idem: " Cum ergo maiorem se pater (e) osten-
" dat, certum esse quia non solum operationem (f) creaturae, sed quia ingenitus
" est ". Similiter idem ipse in alia epistula: " De patre autem et fili diceris si-
" cut scis superna baculum est ambulare (g). Ergo vere primum deprecamur do-
minum, ut veniam mihi tribuat propter necessitatem; et ita de is (h) incipiam, non
de plurimis quaestionibus, neque per circuitum, sed per compendium. ||

FRAGMENTUM XVII.

P. 201. " . . . (5) significatione ignis, in se ignem habens, et in igni ignis manens. Nam cum
" sit in eo splendor lumine (i) naturae, calor virtus urendi, mobilitas aestuandi, to-
" tum (k) tamen ignis est, et haec universa una natura est. Item Hilari " omnium
" ergo suorum quis (l) pater esto ". Item Hilari (6) " quaero utrum alterius generis Deus
" sit, qui in forma Dei Deus maneat, et secundum consignatas consignantesque species
" in signaculis cernimus cum inpresso plumbo ferrum et gemma cerae specie vel
" concavae (m) in se imago signata ". Item Hilari (7) " quaero itaque nunc, utrum di-
" visio ac separatio sit, cum ignis ex igne est; numquid absciditur natura? aut non
" sequitur natura, ne sit cum accenso lumine ex lumine? " Utile existimavimus haec
" pro patre exerere comparationis exempla: nec mentiri (n) de professione sua existima-
" retur, cum divinae professionis intellegentiam et (o) aliqua naturalia creaturarum

(a) Cod. *magnitudinem*. (b) Cod. *virtutem*. (c) Ita cod. (d) Cod. *qui*. (e) Cod. *patre*. (f) Num corrigendum *ob rationem*? (g) Ita omnino se habet in codice hic locus, qui Oedipum expectat. Num *tabernaculum eius ambulare*? (h) Ita cod. pro *his*. (i) Cod. *luminae*. (k) Ita cod. (l) Ita cod. (m) Cod. *concavo*. (n) Ita cod. (o) Cod. *ex*.

tinus lib. de fide cap. IV; Didymus de trin. I. 36. et III. 18; Anonymi breviarium fidei; Ferrandus epist. III. 13. et epist. casin. ff. 2. 7; Fulgentius de trin. I. 4; Ephraemius chronicus a me nuper editus v. 4768; Nicetas Choniates hist. VII. 5.

(1) Par sententia est in Athanasii oratione I. adv. Arianos ff. 58.

(2) Hoc refutavimus in superioribus, ubi de filii aeternitate testimonia doctorum ecclesiae laudavimus. Neque item maior pater est generandi virtute, quia tam bonum est filio, quod filius est; quam patri, quod pater est.

(3) Ignotus mihi hic *Bithenus* episcopus. *Bitinicus* episcopus arrianus occurrit in subscriptionibus concilii sardicensis apud Hilar. op. hist. fragm. III. *Bithynicus* haereticus sub Constantio imp. occurrit apud s. Athanas. opp. T. I. p. 377.

(4) Fortasse intelligendus Iulius papa ad quem fuit sardicensis epistula scripta. Hilar. op. hist. fragm. II.

(5) Sequentia verba s. Hilarii sunt ex opere de trinitate lib. VII. 29.

(6) Lib. VIII. 46.

(7) Lib. VII. 29. et 30. Quamquam in editionibus alius materiae ordo est.

„ exempla praestarent (a): sed quia simpliciorum fidem (b) furor haereticus turbaret, „ ut id de Deo credi non oporteret (c), quod difficile, nisi per corpoream compara- „ tionem (d), possit intellegi; idcirco secundum (e) illud Domini | dictum, quod P. 202. „ de carne nascitur, caro est; quod autem de spiritu, spiritus est; quia Deus spi- „ ritus est (1), et de Deo natus est. „ Vanissimus Hilarius circumvenit mentes innocentium; et quod Dominus de baptizatis et de his qui spiritaliter nascuntur dixerat, ille de nativitate fili Dei adseruit scribtum esse (2). Sed ipsa lectio necat Hilarium, dicente scribtura divina: " noli mirari, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo„. Videant ergo et intellegant.

PRIMUS CAPITULUS (f) FIDEI CATHOLICAE (3).

Confitemur, credimus, tenemus, Deum patrem omnipotentem sine initio (g) esse (4), innascibilem, inpartibilem, invertibilem, et | inmutabilem esse, summum, altissimum, incomparabilem et omnium Deum; et quod sciens, potens, volens, ante omnia saecula et tempora, et ante omnia omnino filium sibi creavit (5), fundavit (6), genuit, fecit: et manet ipse filius inpartibilis, immutabilis, cum Deo patre in sempiternis saeculis sine fine (h). Et quia volente et definiente, iubente Deo patre omnipotente, per filium unigenitum Deum spiritum sanctum, cetera omnia caelestia et terre-

(a) Cod. *prestarent*. Immo et in praecod. dic *ne mentiri*, et *ex aliquo*. (b) Deest *fidem* in cod. Item mox *credi*. (c) Cod. *oportere*. (d) Cod. *corporea comparatione*. (e) Cod. *sensum*. (f) Notemus *capitulus* pro *capitulum*. (g) Cod. *sine initium*. (h) Cod. *sine finem*.

(1) Hoc loco utitur Ambrosius de sp. s. III. 10. ad demonstrandam spiritus sancti divinitatem: quae verba adeo Arrianos intellexisse ait de spiritu, ut ea de suis codicibus fraudulenter abstulerint.

(2) Locus Iohannis III. 6. citatur quidem ab Hilario VII. 30; sed tamen de filii divina nativitate non usurpatur nisi VII. 14. Et revera apud Iohannem Christus dominus loquitur de renatis e baptismate; idque agnoscit etiam Ambrosius de sp. s. III. 10. ff. 63; tamen Hilarius satis apte utitur his verbis ut filium demonstret substantiam habere paternam, nempe esse Deum quia genitus ex Deo; non autem creatum fuisse ut alias res mundanas. Sane si renati baptismate, spiritus sunt, quoniam spiritu renati; multo magis filius ex Deo spiritu naturaliter natus, spiritus erit: idque consequens fortasse spectavit Hilarius, cum Tertulliano loc. cit. apud nos p. 210. n. 1, et Phoebadio cap. XI.

(3) Mirari licet impudentem arrianum, qui suam ecclesiam dicit catholicam; nempe, ut suspicor, post ariminense concilium, de quo gloriatur Maximinus arrianus apud s. Augustinum coll. cum Max. ff. 2; queriturque cum nimia verborum emphasi Hieronymus adv. Lucif. ff. 19: *ingemuit totus orbis, et arrianum se esse miratus est*. (Non quia scilicet defecerit tunc recta fides; sed quia, ut ait ibidem Hieronymus, decepti sunt orthodoxi episcopi ab Arrianis subdola fidei formula aliisque artificiis.) Et quidem etiam s. Hilarius initio libri VI. deplorat infausti arrianismi morbum in omnibus ferme romani imperii provinciis inficientem ecclesias; ita ut haeresis ex ingenti adseclarum numero auctoritatem sibi praesumeret. Porro ab hac diversae sunt arrianae fidei formulae, quas recitat s. Hilarius de trin. IV. 12. et VI. 5. et contra Auxent. ff. 13; et de synod. cap. 11. 28. 35. 38. De harum autem formularum multitudine conqueritur idem s. Hilarius lib. II. ad Const. et contra Const.

(4) Atqui Didymus de trin. I. 33. filium quoque dicit ἀληθινὸν Θεὸν καὶ οὐκ ἔχοντα περὶ αὐτοῦ Θεόν. Immo I. 7. et III. 2. ff. 14. demonstrat cum Paulo *atheos* fuisse qui filium Deum non agnoverint.

(5) En summam arriani erroris, quod filius nempe sit creatura. Porro s. Hilarius de syn. capp. 17. 18. sapienter docet vocem *condidit* (seu *creavit*) intelligendam esse ex sequente *genuit*.

(6) Etiam apud Hilarium VI. 4. haeresis arriana dicit filium *creatum et fundatum*.

P. 195. stria visi||bilia et invisibilia, creata, facta, nata, fundata, constituta, ficta (a), condita, substiterunt. Et quod filius in principio, et ante quam discenderet in Maria virgine (b) semper oboediens fuit Deo et patri suo (1). Et quia disponente et definicate Deo patre (c) omnipotente per filium omnes profetae (d) dixerunt adspirati, quod ipse filius venturus esset mittendus a Deo patre inluminator et salvator generis humani: et quod ex virgine esset sumpturum templum, id est carnem, ut filius Dei omnipotentis (e) propter carnis adsumptionem filius hominis et homo pronuntiandus esset, id est filius David, quia ex semine eius carnem accepit. Et quia mittente Deo patre filius in hoc mundo (f) venit, ut per suam doctrinam et passionem (g) et mortem crucis, et tertia die resurrectionem (h), et ascensionem in caelis (i) cum carne (k) illuc, unde (l) sine carne descenderat (m): ut per bonum (n) baptismi omne (o) genus hominum in se integra fide credentium salvaret, quos etiam ecclesia (p) cognominavit. Et hoc docuisse dominum et Deum nostrum Iesum Christum in terris, secundum quod illi (q) Deus pater iussit in caelis. Et summum sa|-
P. 196. cerdotem esse filium Deo patri (2), et mediatorem esse inter Deum patrem omnipotentem et omnem creaturam: et ipsum esse, per quem reconciliati sumus Deo patri. Credimus etiam quod filius postulat a patre suo: petit etiam et rogat pro omnibus sanctis et paenitentibus: et quod gratias egit agit (r) filius Deo et patri suo: et quod omnium orationes sive gratiarum actiones Deo et patri per filium offeruntur: et quod iubente Deo patre, filius eius ad dexteram suam sedeat (3), et interpellat patrem suum pro nobis: et omnia omnino Deum patrem filio subiecisse credimus. Et si omnia Deus pater filio subiecit, et spiritum sanctum subiecit (4). Si autem spiritus sanctus filio non est subiectus, non omnia Deus pater omnipotens filio suo subiecit. Sed et illud quod scriptum est "pater filio subiecit; diligit filium, et omnia dedit in manus eius, et „ omnia mihi tradita sunt a patre meo „ sic credimus esse: in quo pater genuit filium,

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *patri.* (d) Ita cod. etsi alibi cum *ph.* (e) Cod. *omnipotentes.* (f) Ita cod. (g) Cod. *passiono.* (h) Cod. *resurrectionis.* (i) Ita cod. (k) Cod. *cum carnem.* (l) Cod. *inde.* (m) Ita hoic cod. etsi alibi *di.* (n) Malim *donum.* (o) Cod. *omnem.* (p) Malim *ecclesiam.* (q) Cod. *illis.* (r) Ita cod. *egit agit.*

(1) Recole dictum s. Ambrosii p. 222. n. 1. Praeterea de missione filii, volente patre, in hunc mundum, repete sis p. 225. n. 3. Insuper sic Ambrosius de fide V. 7. *Si minorem putas eum qui mittitur, eo a quo mittitur; disce quod et minor maiorem misit. Nam et Tobias Raphaelem archangelum misit etc. Num et Pilato minor Christus, quoniam Pilatus misit eum ad Herodem? Sermo non praeiudicat potestati: scriptura quem missum dicit a patre, missum dicit a praeside.* Pergit deinde Ambrosius explicare quid in vocabulo missionis intelligendum sit. Eidem obiectioni Arrianorum naviter occurrit idem Ambrosius op. cit. lib. II. 9.

(2) Sacerdos est Christus secundum humanitatem, ut pulchre disserit Ferrandus epist. earin. ff. 14. 15.

(3) Ambrosius de fide II. 12. *Sedet ad dexteram patris filius: num tibi videatur inferior, qui ad dexteram sedet? num iniuria patris, qui ad sinistram sedet? Pater honorat, et tu iniuriam putas? Pater mavult id esse pietatis exemplum, et tu putas praeceptionis imperium?*

(4) Immo creaturas, non Deum spiritum sanctum, pater filio subiecit. Lege Augustinum de trin. VI. 7. 12. Errorem Arrianorum qui sub vocabulo *omnia* (cum de creatis sermo erat) comprehendebant etiam spiritum sanctum, castigat Didymus a me iam laudatus pag. 213. n. 5. Item Fulgentius contra Fab. fragm. XXXIV.

dixit ei, scito te creaturum omnia, recturum, et omnibus dominaturum, ut ego voluero, definivero, iussero tibi. Sed et filius libentissime hoc ipsut (a) || quod a se ne- P. 116. inv.
que est neque aliquid facit (1), sed Dei opificium in sua natura claritatis sine dubio ostendit, ministerium suum cum ceteris creatis exhibens, Dei providentia hominibus deserviens; velut gigans exultans currens viam ab oriente usque ad occidentem (b) naturae suae claritatis omnibus portans lumen; ut respiciens ad eum omnis homo rationabilem habens intellectum, gratias agat Deo, qui praeparavit huius claritatem ad lucem vitae humanae. Etenim cum hominem aliquem videris praeparantem lumen nocte sera, numquid illo (c) lumini gratias agis secundum rationem iustitiae? *Non*, sed ei qui praeparavit lumen (2). Secundum hanc (d) itaque iustitiae rationem, vel naturalem utens intellectum (e), solum opificem huius et largitorem magnificare debes; et ei, qui tibi condonavit huius luminis visum, gratias agere debebis; ut et tu quemadmodum sol exhibet tibi deservitionis ministerium, secundum Dei providentiam, quorum (f) debitor es, gratiarum actiones largitori tuo reddas, qui solem propter tuum constituens beneficium posuit in caelo, ita ut luceat super P. 115. inv.
terra. Ita est itaque quod dictum est " sole (g) posuit tabernaculum suum; et „ ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigans ad curren„ dam viam: a summo caelo egressio eius; et occursus eius usque (h) ad summum „ eius; et non est qui se abscondat a calore eius „. Tu itaque si permanens in erroris tui (i) ignorantia, negas unius Dei esse opificium, hanc quae videtur creaturam (k), et secundum insipientiae tuae impietatem plurium (l) deorum (3), qui non sunt, esse adfirmas opus; evidentissime ipsa creatura, aspectu (m) naturae suae, erroris arguit insipientiam; cum invicem ordinem custodiens, et temporum propria observans, et se (n) invicem succedens (o), et tamquam ex unanimitate, secundum unius Dei providentiam (p), usum ministerii sui hominibus exhibens. Manifestum est itaque quia qui creavit caelum, ipse creavit et luminaria in caelo; ipse quoque et terram creavit, et universa quae sunt super terram. Huius autem indicium evidentissimum hoc est, quod ea quae || . . .

(a) Ita cod. Et quidem in aliis quoque codicibus sic interdum scriptum vidi. (b) Sch. *ad accidente*. (c) Ita sch. Sic alibi auctor noster in dativo casu *toto*. (d) Sch. *hac*. (e) *Utor* cum quarto casu, id quod ipse Cicero facit de rep. (f) Ita sch. pro *quarum rerum*. Vel scribe *quarum* referens ad *gratiarum*. (g) Ita sch., non *in sole*. Si scribas *soli*, cum hebraica lectione consentias. (Ps. hebr. XIX. lat. XVIII. 5.) (h) Sch. *adque*. (i) Sch. *tuae*. (k) Sch. *haec creatura*. (l) Sch. *plurimum*. (m) Sch. *aevidentissimae ipse creatura aspecto*. (n) Ita cod. (o) Sch. *succidens*. (p) Sch. *providentiae*.

(1) Huius loci evangelici elegantissima est Didymi de sp. s. ff. 37. interpretatio, dum probat unam esse trinitatis operationem. *Filius non potest a semet ipso quicquam facere, quia a patre non potest separari*. Item Hilarius de trin. IX. 47. 48, et XI. 12. eadem utitur qua Didymus argumentatione, sed pluribus verbis dilatata. Tum idem Didymus de trin. I. 36. in huiusmodi locutionibus nihil aliud agnoscit nisi divinarum personarum concordiam.

(2) Papae! non est tamquam lucerna quaedam filius Dei. Porro Christus dixit honorificari patrem ab eo qui filium honorificat.

(3) Ex initio certe opusculi primi constat, loqui auctorem nostrum etiam contra idololatras.

FRAGMENTUM XVIII.

„ . . . *Nativitas eius ante aeterna tempora est. Si aliquid in rebus est, quod ante-*
venit aeternitatem, erit aliquid profecto quod sensum aeternitatis excedat. Tua enim res
est, et unigenitus tuus est: non portio, non protensio, non secundum efficientiarum opi-
nionem nomen aliquod inane; sed filius, filius ex te Deo patre, Deus verus, et a te in na-
turae tuae unitate genitus; post te ita confitendus, ut tecum: quia aeternae originis
suae auctor aeternus es. Nam dum ex te est, secundus a te est; dum vero tuus est, non
P. 19. (1) es separandus ab eo: quia nec sine tuo (a) confitendus es aliquando; ne aut in-
„ perfectus sine generatione, aut superfluus post generationem (b) arguaris „. Item Foe-
badi aquitane socio (c) Hilari. " (2) Qui ergo probaverit sine verbo, sine ratione,
„ sine sapientia, sine virtute, sine spiritu, aliquando patrem fuisse, is (d) probabit (e)
„ filium cum patre et in patre ante omne principium non fuisse. Et tamen nes-
„ cio, si his virtutibus carens, possit Deus dici. Non modo enim Deus, qui in
„ sua sempiternitate perfectus est, sed ne creatura quidem illa secundum genus
„ suum inconsummata constavit (f). Non potest quid esse, si non sit; non autem erit,
„ si illi defuerit quod esse debebit. Totum igitur defuit patri, si aliquid defuit.
„ Totum defuit autem, si filius suus, hoc est virtutum suarum plenitudo, initium
„ non caret (g). Et necesse est hanc opinionem in alterutram blasfemiae partem
„ profane (h) sacrilega definitione transire. Aut enim pater credendus est cum
„ filio suo initium fuisse sortitum, quia sine filio suo, hoc est sine virtutibus fuisse
P. 20. „ non potuit; etenim (i) huic illorum initio | nescio quis tertius Deus: aut si solus pa-
„ ter sine initio dicitur, utique (k) ad fili generationem inperfectus fuisse dicendus
„ est. Inperfectus enim, si coeperit habere quod ante non habebat, et habere tamen
„ debuit. Denique habere voluit (l) semper, qui semper debuit esse perfectus; quia non
„ accipit augmentum quidquid occupavit totum „. Item Ambrosius (3) quemadmodum con-
firmavit suprascribta Hilari et Foebadi. " Dicit aliquis, quomodo generatus est filius?
„ quasi sempiternus, quasi verbum, quasi sapientia, quasi splendor lucis aeternae (4): quia
„ splendor operatur, ut nascitur. Apostoli istud exemplum est, non (m) meum. No-
„ li ergo credere quod iverit vel momentum aliquod quod fuerit sine sapientia Deus,
„ aut sine splendore lux „. Item Ambrosius (5). " Accipe aliut quod clareat; filium sempi-
„ ternum apostolus dixit, quod sempiterna eius virtus sit adque divinitas „. Item
„ Foebadius (6): " hic blasfemiae aestus, hic (n) totus (o) sacrilegus dolor; quod in pa-
„ tre et filio recipitur Deus unus „. Item Foebadius " Pater Deus et filius Deus, *spiritus*
„ sanctus Deus, et haec omnia unus Deus. ||

(a) Nempe *filio*. (b) Schedae *generatione*. (c) Ita sch. (d) Sch. *his*. (e) Ita sch. *b* pro *v*. (f) Ita sch. pro *constabit*. (g) *Caveo* cum quarto casu est etiam apud Frontonem. (h) Ed. *profana*. (i) Ed. pro *etenim* habet *et erit auctor*. (k) Sch. *dicturoque* pro *utique*. (l) Ed. melius *debuit*. (m) Sch. *nomen* pro *non*. (n) Sch. *hunc*. (o) Male in cod. *dictus* pro *totus*.

(1) Hactenus lacunam codicis supplevi ex Hilario de trin. XII. 54.

(2) Ex Phoebadio contra Arrianos op. I. cap. XVI.

(3) De fide I. 13.

(4) Confer Fulgentium contra Fab. fragm. XXII. XXIII.

(5) De fide I. 10.

(6) Op. I. contr. Arrianos cap. XXII.

FRAGMENTUM XVIIII.

. . . tre et exterminabitur malum a vobis. Item in deuteronomium (a). " Describet sibi deuteronomium istum (b) in libro leuvitis (c) et sacerdotibus, ut sit cum eo: et leget eum omnes dies vitae suae, ut discat metuere dominum Deum suum, et observare omnia praecepta eius, et iustitias has facere, ut non exaltetur cor eius a fratribus suis; sed non trasgredietur a praeceptis dextra vel sinistra, ut sit longaevus in principatu suo ipse et filius (d). Item in deuteronomium. " Et non solis vobis ego dispono testamentum „ hoc et maledicta, sed et his qui comitantur vobiscum hodie in conspectu domi- „ ni Dei vestri, ut his qui non vobiscum hodie. Item in deuteronomium: " Et „ dicent omnes gentes terrae, quare fecit Dominus sic terrae huic? quae est haec „ ira furoris ingens? Et dicent, propter quod dereliquerunt testamentum domini Dei „ patrum suorum, quod disposuit patribus ipsorum, cum eduxit illos de terra Aegy- „ pti. Et euntes servierunt diis alienis, et adoraverunt eos quos non noverant, „ et non permanserunt ad dominum Deum suum. Et iratus furorem (e) Dominus „ super terram | illam, induxit super eam secundum omnia maledicta testamenti, „ quae scribta sunt in hoc libro. Et abstulit eos Dominus a terra eorum in fu- „ rore et ira et exacerbatione magna nimis: et proiecit eos in terram aliam „ et cetera. Hoc ius divinum, has scribturas sanctas defendit Constantinus senior dicens (1): " licet me sublimissimum adque omnium dominum me sentiam, mortalem me „ esse cognosco, et quandoque huius regni gloriam relicturum (f) intellego „. Quaerenda igitur fama aeterna, ac (g) sublimia illa quae ab aeterno domino et a sublimi Deo discendunt (h); quae divinae legis (i) promittunt; quod sacra fili Dei pollicentur; quae post huius vitae decursum ab ipso filio Dei sponsore exhibentur. Brebis (k) igitur huius temporis gloria deponatur, ut per fidem sine fide possideatur, quo (l) ipse secundum sacram Dei legem post vinculi mortem daturam (m) immortalitatem post brevissimam vitam sine fine polliceri (n); et cetera. Hoc ius divinum has scribturas sanctas defendit Constantius scribens ad sane||. (2) . . .

P. 29. P. 30.

(a) Ita sch. (b) Ita sch. (c) Ita sch. (d) Sch. *filiu*. Sequitur autem mendose in cod. *sinistra vel*. (e) Ita sch. (f) Sch. *relectum*. (g) Sch. *ad*. (h) Ita sch. ut supra. (i) Ita sch. pro *leges*. (k) Ita sch. (l) Ita sch. (m) Ita sch. (n) Ita sch.

(1) Quonam in scripto?

(2) Codicis hiatus prohibet nos quominus de his litteris Constantii accuratius cognoscamus. Ceteroquin compertum est hunc Caesarem ab arrianis episcopis et haeresi circumventum multa perperam sanxisse, orthodoxos episcopos edictis damnavisse. (Vetuisse eum edicto vocabulum quoque *homousion* notissimum est.) Litterarum huiusmodi meminit s. Hilarius lib. II. 2. ad Const., et Lucifer calaritanus ed. Colet. p. 17. Quin adeo Sulpicius Sev. hist. lib. II. diserte narrat haereticam epistulam ab arrianis episcopis Mediolani fuisse sub Constantii nomine compositam et divulgatam. Fidei formulas a Constantio arriano conditas memorat s. Hilarius in libro adversus hunc Caesarem ff. 7. et de synodis ff. 78. Denique Liberius papa (in opp. s. Hilarii frag. V.) conqueritur de sermone Constantii caesaris ad populum misso, quo ipse Liberius lacerabatur.

FRAGMENTUM XX.

P. 191. . . . (1) *profetas* Dei. Et cum audissent pseudoprofetas qui erant cum Ochusia (a) filium Achab, qui fuerat doctor eorum Gamarias (b) de monte Efrem, et ipse fuit frater Sedeciae, suasit Ochodiam regem Gomorrae et occidit Michaeam. Et coguovit Bechira, et vidit locum Eseiae et profetarum qui cum illo erant; ipse enim habitabat in Beelem; et abiit Hierosolymam, et coniuncti sunt et ipsi Asamar. Et factum est cum venisset Salmanassar rex Assyriorum, et accepisset Samariam, et abduxisset nomen . . . dixit . . bus in carcerem, et perduxisset eos in montem Medor . . . ad flumen Gozan, Bechira fuit invenior, et fugit et pervenit Hierosolymam in diebus Ezeciae regis Iudae: non ambulabat in . . . Samariae patris sui, quoniam timebat Ezeciam. Et inventus est in tempore Ezeciae loquens verba iniustitiae in Hierusalem, et s . . . . . a pueris . . . . in regione Beelem. Et contempsit Bechira Eseiam et profetas qui cum eo erant dicens, quoniam Eseias et profetae, qui cum illo sunt, profetabant in Hierusalem . . . a
P. 192. civitatis Iudeae, quoniam deseruntur, et in filios Iudeae et bon . . | quoniam captivi ducuntur. Et inde, domine rex quoniam galea grec . . per ferrum deduceris ipsi profetaverunt in Israhel et in Iuda et in Hierusalem: et ipse Eseias dixit se plus quam Moysen profetare. Dixit enim Moyses quoniam homo non potest videre Deum; dixit autem Eseias vidi Deum, et ecce vivo. Tu, rex, intellege quoniam mendax est: et ecce Hierusalem Sodomam dixit, et principes eius et Iudeae et Hierusalem populum Gomorrae nominabit (c). Et cum in multis detraxit Eseiae et profetis, et supersedit Beliae in corde Manasse, et corda principum Iudae et Beniamin et spadonum et consiliariorum (d) regis. Et placuerunt eis sermones Bechire, et mandavit rex, et apprehenderunt Eseiam. Fuit enim Beliae bilem habens in Eseiam propter quod in se ostenderit Samael, et quoniam ipse nuntiavit adventum dilectissimi de septimo caelo et transfigurati; quem eius et discensum et formam in qua transfiguraretur esse hominis, et persecutionem quam passurus est, et contumeliam quam || . . .

FRAGMENTUM XXI.

P. 205. . . . filios voci Micheae et reliquis profetis, dicens in eo, in quo profetiam meam audistis: " vidi angelum gloriosum non secundum gloriam angelorum, quos ego semper videbam, sed claritatem magnam et sanctam habentem, quam ego claritatem exponere non possum. Et accessit et tenuit manum meam, et dixit: et quis es tu, et quod tibi nomen est, et quo me tolles? accepi enim vires loquendi cum eo. Et dixit mihi: cum te imposuero et ostendero tibi visionem, propter quod (e) ad te missus sum, tunc intelleges qui sim,

(a) Cod. *Ochusiam*. (b) Cod. videtur *Camarias*, sed recte infra. (c) Ita cod. (d) Cod. *consiliario*. (e) Ita cod.

(1) Quae sequuntur, fragmenta duo, nempe XVIIII. et XX, petita videntur ex apocryphis veteris quodammodo testamenti libris.

nomen autem meum non dicam tibi, eo quod revertaris in carnem. Cum enim sustuleris te, tunc videbis. Propter hoc enim missus sum ut veniam. Simpliciter mihi respondet et ait mihi: et maius me videbis. Hilariter et simpliciter loquitur tu . . . [et eminent]iorum ipsius maiorum videbis. Propter hoc enim missus sum a septimo caelo, ut (a) omnia tibi ostendam. Et sustulit me, et ascendi ego ipse in primum solidamentum, et ibi vidi Samael et fortitudinem eius: et fuit in eo bellum grande, et angeli Satanae simul | invidentes; sicut enim susus (b) sic et in terra. P. 206.
Et dixi angelo, qui fuit mecum, quid est bellum hoc, et quae invidia haec? et dixit mihi: sic est ex qua (c) oculum factum (d) est, usque nunc est, sic erit bellum quoad usque veniat quem visurus est, et emundabit eum. Et postea posuit me super solidamentum; et fuit caelum, et vidi ibi sedem in medio, et ad dexteram eius et ad sinistram angeli erant; angeli ad sinistram (e), qualis (f) ad dextram (g): ad dextram enim claritatem magnam (h) habuerunt: et laudabant omnes una voce: et sedes erat in medio, et a sinistra postea benedicebant. Fuit autem vox a sinistro non sicut nec minus erat illis similis: et rogavi angelum qui me ducebat, et dixi ei: cui mittunt angeli hymnos (i)? et dixit mihi gloriae sedentis septimi caeli, qui est perpetui saeculi, et dilecto eius a quo missus sum ad te. Et imposui me secundum caelum, et fuit altitudo caeli qualis a caelo usque ad terram et ad firmamentum: Et vidi ibi quomodo videram in primo caelo angelos dextros et sinistros et sedes medias || . . . .

(a) Cod. *et.* (b) Ita cod. antiqua orthographia ut *rusus* apud Frontonem. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Cod. *ad sinistra.* (f) Ita cod. (g) Cod. *ad dextra.* (h) Cod. *magna.* (i) Cod. *hymnus.*

Quoniam in meis ad arriana fragmenta scholiis Hilario pictaviensi plurimum usus sum, venit mihi in mentem Hilarii alterius arelatensis, cuius deperditos de fonte ardente versus memorat biographus eius antiquus (apud Quesnel. op. s. Leon. T. I. p. 367), ego autem nuper legebam in vaticano codice satis vetere, ubi opusculum quoddam scribitur de mundi miraculis. Immo ante Hilarii versus, fragmentum legitur ex deperdita item Iulii Titiani (qui sub Commodo vixit) chorographia, quam Servius ad aen. IV. 43. laudat. In eodem opusculo phoenix quoque Lactantii citatur, et Berosus in babylonicis. Verum his omissis, tractum illum recitabo, qui I. Titiani Hilariique fragmenta nobis exhibet.
Quartum miraculum Aethna, cuius montis meminit et ille Iulius Titianus his verbis dicens. " Montes maximi in Sicilia IIII, Erycus, Nebrodes, Neptunus, et Aethna: quem videns saepius flammas e vertice volvere, sentire orbis prope fide credentium (1): *quamquam* id cum primo Romae nuntiatum est arsisse, et hoc iam in monstris procuratum est ". Quintum est de fonte gratianopolitano, de quo simul et latex manat et ignis. Nam vides e nymphis flammas supervolare, hauris aquam de medio fonte; carris, bibis, nec incenderis; portas, nec ab igne conprehenderis. Quod si cereum vel taedas admoveas, protinus ut flammas attigerunt, conprehenduntur. „ Manum quoque *si* mittas, non crematur. Hinc Hilarius quidem ait.

„ Si vere exurunt ignes, cur vivitis undae?
„ Si vero extingunt undae, cur vivitis ignes?
„ Lympharum in gremiis inimicus conditur ignis:
„ Communesque ortus imperat alta manus. Et reliqua (2)

(1) *Locus corruptus.*

(2) *Non retulit reliquos versus auctor opusculi, cuius aetas (saec. VI.) inde argui potest, quod in eo memoratur Sigeberti* (I) *regis obitus veluti eius temporis eventus.*

SERMONUM ANTIQUORUM RELIQUIAE

EX ALIO PALIMPSESTO BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE.

FRAGMENTUM I.

INCIPIT SERMO III (1).

Cod. P. 26. Dominus noster Iesus Christus ipse est fundamentum, ipse perfectio', ipse angularis. A terra est et a caelo: de caelo enim discendit (a) Deus, et hominem adsumpsit de terra, et sociatus est homini. Ecce de caelo, ecce fundamentum, ecce angularem. Hic bene conplacuit in hominibus: et his, qui de terra sunt, dedit spiritum sanctum de caelo; ut et superiores et inferiores unam faceret ecclesiam; hoc est divinitati humanitatem, divinitatem humanitati permiscens (2). Cum autem fundamentum audieris, Dominum intellege: ipsum (b) enim fundamentum demensus est. Lapides qui super aedificantur, parem fundamento debent habere mensuram, ut aedificandi (c) usibus conveniens fiat || . . .

* * *

FRAGMENTUM II.

EX SERMONE V.

P. 27. . . . quam per speculum intuemur, in eandem imaginem reformati de gloria in gloriam. Sicut enim aliquis regalia vestimenta, purpuram et diadema et cetera similia inspicit, et varietatem miratur, subtilitatem, gratiam, pulchritudinem pretiosarum (d) lapidum, et insatiabiliter aspiciens delectatur; vel quemammodum (e) . . (f) *a*spicit . . uo (g) remota et caelestem imaginem Christi ferventem habentem (h) in nobis et intellegentes pulchritudinem ineffabilis luminis intuentur: quemammodum reformantur de gloria in gloriam, varietatem et pulchritudines diversas, quae lingua carnali narrari non possunt, immo nec intellectu conpraehenduntur, quanta sint quae fiunt in hoc mundo cum sanctis. Ipsae enim parabolae imagines quaedam sunt: divina enim | ab his qui experti sunt agnoscuntur, et ab
P. 28. his in quibus oportuit veritate aspiciuntur. Ita igitur debes intellegere aut audire, id est ultra tuam scientiam, ultra sensum; quamdiu res ipsa mysterii gratiam (i) *in* mentem tuam infundat. Etenim (k) purpura et regalia vestimenta lucrum nullum

(a) Cod. *dicendit*. Certe *discendit* pro *descendit*, scribitur etiam in arriano palimpsesto. (b) Melim *ipse*, ut referatur ad *demensus est*. (c) Cod. *aedificanti*. (d) Ita cod. (e) Ita cod. Alibi vero interdum *quemadmod.* Immo et *quaemamm.*; prorsus ut in cod. Verrinarum Ciceronis. (f) Spatium vocabuli. (g) Spatium aliquot litterarum. (h) Num pro *habitantem*? (i) Cod. *gratiae*. (k) Cod. *haec enim*.

(1) Ita legebam in codice; nisi forte ante *III* erat *C*, ita ut sermo sit *CIII*, quod vix crediderim. Porro ante hunc sermonem explicit in eadem pagina alter his verbis: *ipsa est enim vera Dei agnitio, operatio spiritus sancti. Amen. Explicit de verbo substantiali.*

(2) Liberiore et vulgari veluti sensu loquitur auctor. (Sic etiam Tertullianus apud nos p. 210. n. 1. v. ult. col. 1.) Ceterum Christus unus est, non confusione substantiae, sed unitate personae.

nec vitam tribuunt videntibus, praeter id solum quod delectantur aspectu: divina autem gloria et caelesti imaginis pulchritudo vitam praestat aeternam, caritatem veram, cordis puritatem, cibum caelestem. Qui igitur hoc intuentur lumen divinum, in sua corda splendificans, nullis rebus occupantur terrenis; sed prorsus convexi sunt illi pulchritudini. Sicut enim parvulus matrem suam aspiciens in manibus se gestantem, gaudet et laetatur, quoniam vitam lactis sumit ex ea, et in eam aspicit; ita et verum lumen || habentes in se, attendentes ad hoc, requiescunt et gaudent P. 29.
gaudio quod non potest enarrari; ex ipso enim indiscunt (a) immortalem escam, et in ipso vivunt vitam veram in saeculo. Explicit sermo V.

FRAGMENTUM III.

INCIPIT SERMO VI.

Quam dispensationem habet Christi adventus? Primum ut mundam redderet naturam Adam, et hereditatem caelestem donaret spiritus sancti. Magnum igitur beneficium generi dedit humano, redimendo nos de carcere tenebrarum, et demonstrando viam vitae, et ianuam docendo (b) qua de vinculis exiretur, cum dicit " petite et dabitur vobis, pulsate et aperietur vobis ". Per hanc enim ianuam liberantur volentes quaerere et pulsare, et in ipsa duplicem gratiam consequentur, quod et anima liberetur gravissimis vinculis mortis adque (c) peccati, et quod semet ipsa recipiet, et cogitationes suas, et caelestem regem Christum tamquam sponsum secum habitantem (1) | . . .

FRAGMENTUM IV.

INCIPIT OMILIA (d) xxIIII. P. 1.

Interrogatio seniorum quorumdam, si vere in resurrectione omnia membra resurgunt. Responsio. | Deo omnia sunt possibilia, et ita promisit: hominis autem in- P. 2.
firmitas et cogitatio, quasi impossibile huic apparet (e). Quemammodum enim de limo terrae accipiens, et quasi quandam aliam construxit naturam, dissimilem a terra; et plurima faciens genera ut . . . capillos et pellem et ossa et nervos; quemammodum autem acus in ignem mittitur, mutat colorem et transfiguratur . . . quamvis solvatur, tamen stabilis est; ita in resurrectione omnia membra resurgunt, et capilli non disperient, iuxta quod scribtum est, et omnia efficiuntur lucida, et omnia in igne et in lumine tinguntur et transfigurantur: sed non, sicut quidam dicunt quod solvantur et ignis efficiantur etiam, et non stabit natura. Petrus enim, Petrus est; et Filippus, Filippus: et unusquisque in propria natura et substantia permanet, sicut et in plenitudine spiritus. Si autem || . . .

(a) Ita cod. (b) Cod. *dicendo*. (c) Ita cod. (d) Ita cod. sine adspir. Et quidem p. 29. codicis dicitur *sermo* non *omilia*. (e) Ita se habet anacoluthon.

(1) Paginam 30, paginasque duas reliquas palimpsesti, nempe 31. et 32. praetermisi, quia discedenti mihi Mediolano tempus exscribendo defuit.

FRAGMENTUM V.

EX OMILIA XXXII

P. 3. . . . quemammodum si sit civitas deserta aut diruta, et voluerit quis restaurare
eam; prius ea quae remanserant (a) vel corruerant, destruet ad purum; et sic in-
cipit ponere fundamenta, et erigere fabricam; et tamen domus necdum est perfec-
ta. Similiter et qui paradisum voluerit fabricare in locis desertis et abditis, primum
incipit mundare, et saepem circumdare, et aquales distinguere; deinde plantare,
ut post multum tempus afferat fructus paradisus. Ita et voluntas hominum praeva-
ricatione exasperata et deserta et spinosa facta est. Dixit enim ei Deus " spinas et
tribulos proferet tibi terra „. Oportet igitur, ut quis laboret et opere multo requi-
P. 4. rat, et ponat fundamentum, | donec veniat in cor eius ignis caelestis, et mundet
omnes spinas. Tunc demum incipiet sanctificari. Explicit omilia XXXII.

FRAGMENTUM VI.

INCIPIT OMILIA XXXIII.

Omnes rationabiles creaturae (dico autem angelos, animas, et daemones) integrae et simplices a creatore creatae sunt; quae quidam (b) ex eis in mala conversae sunt per liberi arbitrii voluntates; et erunt haec (c). Voluntate enim propria aversi (d) sunt a sancto et integro cogitatu. Hoc enim intellegimus, quia a fabricatore malum nihil constat esse creatum. Iudicem itaque dicimus Deum mittentem satanam in ignem. Sunt enim quidam haereticorum dicentium (e) esse materias sine initio (f), et materiae radicem, et virtutem radicis unius esse virtutis. Adversus haec habes rationabilem responsionem . . . || . . .

EX OMILIIS INCERTIS.

FRAGMENTUM VII.

P. 5. . . . oleum laetitiae prae consortibus tuis, et multam ac variam escam spirita-
lem et caelestem, incorruptam, glorificam, et vestem caelestis luminis . . . in
his enim vita, non in corpore. Qui autem remanserit in propria natura . . . cor-
rumpetur et morietur . . . Anima quando in sola propria natura remanserit,
et non participaverit divinae naturae, id est gratiae, morte aeterna morietur in
poenis, quia digna non est effecta aeternae vitae particeps esse. Sicut enim infir-
mantis corpus cum escam non poterit accipere vel potum, disperantes (g) de eo plan-
gent eum omnes proximi vel carissimi amici vel dilecti eius . . . | ascendet
P. 6. enim super te caelestis agitator, et fiet anima tua tota oculus, et tota lumen. Et
si cibum sumsit spiritalem, si vitae potum (h) potata es, et si indumentum ineffa-
bilis luminis induta es, ut possis adversus machinamenta resistere diaboli: si inte-

(a) Cod. *remanserunt*. (b) Sic se habet soloecismus in cod. (c) Sic legebam. (d) Ita cod. (e) Cod. *discentium*. (f) Cod. *sine initium*. (g) Ita cod. et sic Itali nunc loquimur *di* pro *de*. (h) Ita cod.

rior homo his omnibus per probationem confirmatus est; aut si vita vivet aeterna, in Domino requiescens. Si autem haec omnia non recepisti nec possides, non in veritate contristari debes (a), quod tantarum non sis particeps divitiarum, et tantam needum aeceperis vitam? Itaque dolorem paupertatis tuae habeto et inopiae, eo quod in propria peccatorum tuorum adhuc remanseris inopia. Si ergo quis habens dolorem propter inopiam propriam, et nondum satiatus, in securitate ambulat; qui autem dolorem habet, depraecatur petens Dominum, velocius percipiet redemtionem et caelestes divitias; secundum quod Dominus dicebat de iudice (b) iniquitatis. De vidua sermo narrans edocuit || . . .

FRAGMENTUM VIII.

. . . fissam enim habentes ungulam et rumigantia (c) animalia [comedenda] esse P. 7. lex praecepit (1). Hoc est enim necessarium, duplicem se intellegere hominem, contradicentem et non concordantem coinhabitanti peccato. Oportet autem animam separari eum cogitationibus suis, et diudicare per verbum et segretari (d) a communicatione peccati: et tunc Deus inversa (e) te discernit, et separat animam a malis spiritibus, qui sunt cogitationum radices. Sicut enim agricola utiliter terrae agens curam, primum renovat eam et mundat spinis et tribulis; et tunc semina mittit, ut opportune fructus restituat; ita oportet placere Deo volentem, et semen gratiae sperantem recipere, mundare et renovare et omni virtute ornare ex se, ipsam terram cordis sui, ut semen spiritus cadens in corde bonae terrae, fructum sancti spiritus reddat multiplicem. Vel quemammodum artifex qui diligentius operatur (f) pelles animalium, quae dicuntur pergamena, nisi primo auferat ab eis pilum, et superfluam pinguedinem carnis, vel nigrorem sanguinis, | et reliquam immunditiam, P. 8. ut diligenter munda et limpida ea perficiat; non potest in eis lex Domini scribi; sicut ergo artifex sapiens, quemammodum oporteat, omnia superflua auferet, mundans et nitorem praestans; et tunc ibi scribuntur Dei leges: et tunc erunt scripturae spiritales: eadem igitur similitudine et ii qui volunt, et qui sperant leges spiritus sancti in suo sensu vel anima scribi, et caelestem vitae imaginem Christi induere, omni sollicitudine et diligentia cor suum sicut artifices mundum exhibeant, emundantes se ab omni agrestis istius saeculi pinguedine, et a sollicitudine carnis et sanguinis; et ab omni terreno vinculo separati, et a terrenarum rerum distensione, quae est velnti nigror sanguinis, hoc (g) emundent; ut sic emendantes et praeparantes sensum proprium et cor, scribat ibi Deus sanctus proprias leges; secundum suam promissionem " dans leges in corde et in sensibus eorum scribens, " et erunt populus eius " Sicuti et apostolus dicit: " has habentes promissiones, " mundemus nos ab omni carnis || . . .

(a) Cod. *deflens*. (b) Cod. *de indicem*. (c) Ita cod. Confirmatur autem vocabulum unius hactenus Apulei auctoritate nisum. (d) Ita cod. pro *segregari*. (e) Ita legebam. (f) Cod. *operatus*. (g) Cod. *hunc*. Scripsi *hoc*, referens ad *cor*.

(1) Levit. XI.

FRAGMENTUM VIIII.

P. 9. . . . Iam nunc ergo sermonem exigat unusquisque ab anima sua, diiodi-
cans cogitationes proprias per praecepta divina; et probet in quibus sit deditus,
et a quibus detineatur; et videat si legibus Dei concordet cor eius vel cogita-
tiones eius. Sin vero; festinans convertatur unusquisque in omni virtute animae
vel corporis; ot quemadmodum corpus exterius (a) a fornicatione conservat et a
malitia et corruptione, veluti Dei templum; *sic* in interioribus animam et cogita-
tiones custodiat a corruptione spirituum malignorum: ut non communicet cogita-
tionibus eorum, nec coinquinet se, quia est sponsa Christi. Sicuti enim corpus for-
nicatur, ita et anima occulte communicans malignis virtutibus in cogitationibus, in
peccatis invisibilibus; corrumpitur enim et fornicatur . . . desideriis . . .
P. 10. in vana gloria, | in invidia, in rapina. Ubi enim communicat anima, illic et mi-
nistrat et servit: si autem divino spiritu communicat, ipsi et ministrat: si vero te-
nebrosis et malignis spiritibus, illis similiter ministrat et servit. Sicut ait: homi-
num enim corrupta mens. Et iterum: coinquinata est mens eorum et conscientia.
Et iterum: timeo enim ne *sicut* serpens Evam fefellit astutia sua, ita corrumpantur
sensus vestri. Est igitur fornicatio visibilis. Est et invisibilis fornicatio per cogita-
tiones iniquas. In lege enim mysterium aliquod sanctus spiritus demonstrans animae,
quadropedia immunda separabat a mundis: munda enim mondos necesse est pari-
ant fructus. Ita debent animae cogitationes naturae propriae esse mundae, per scien-
tiam verbi, a cohabitante peccato et ab immundis cogitationibus: ot anima naturae
propriae cogitationes, verbi notitia, mundas pariat; non consentiens nec communi-
cans malitiae fructus immundi, scientia ea quam natural . . . ignorantiam pa-
P. 11. riet || neque audit aut loquitur aut immergitur in peccati tenebras, quoniam a vi-
tiis est eruta. Etenim mens, quae vixit in tenebris, et non est morti nata . . .
haec de Christi corpore non est, non est de corpore luminis, sed socia est tene-
brarum et portio. Et iterum, quorum animae caeleste (b) lumine inluminatae sunt;
et effecti (c) sunt portio luminis. Sed dicet aliquis; quemammodum corpus tenebrarum
est diaboli anima, quae non est creatura eius? Hic respiciens itaque recte intelle-
ge. Sicut enim indumentum, quod (d) uteris, alter confecit vel texuit, et
eum (e) indueris; similiter domum alter fabricavit et constituit, ut habitares in ea:
ipsa ergo similitudine (f) et Adam praeceptum praevaricans, et malignum serpen-
tem obaudiens, et Dei praecepta sancta contemnens, distractus est; vendens se vir-
tutibus (g) nequitiae, et subdidit inimico (h) animam, quam Deus bonam fecerat,
P. 12. suae imaginis proprium habitaculum. | Propterea enim anima corpus efficitur tenebra-
rum nequitiae, quamdiu in peccatis est *etc.*

FRAGMENTUM X.

P. 14. . . . neqoe enim de Gabriel et Michael dixit faciamus secundom imaginem et
similitudinem nostram, nisi tantum de homine. Vide igitur honorem tuum, quem-

(a) Cod. *exteriorem*. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Cod. *ipsam similitudinem*. (g) Scili-
cet *potentatibus*. (h) Cod. *sibi nicos*.

ammodum sis praetiosus ab (a) angelis, quomodo Deus per se ipsum pro tua legatione vel redemptione in terram venerit. Deus ergo et angeli pro tua redemptione et salute venerunt. Rex, filius regis, fecit consilium (b), et veniens in crucem posuit animam suam. Tanta enim est caritas Dei ad hominem, ut immortalis pro te cruci affigeretur: sicut scribtum est " sic enim Deus dilexit mundum, ut filium „ suum unicum daret pro eo. Quomodo ergo non omnia cum ipso nobis donavit?„ „ Et alibi: " amen dico vobis, quoniam super omnia sua constituet eum „. Dicit enim alibi minister sanctorum: cum Elisseus esset in monte, et venissent ad eum allophyli, dicebat puer multi sunt || . . . .

FRAGMENTUM XI.

. . . *vocati* ad imperatorem (c) praefecti vel comites sub magno timore et tremore P. 15.
sunt, quemammodum ad interrogata respondeant, aut ne in aliquo offendant verbo
(1), et incidant in periculum (d); rustici autem et ignavi, qui numquam iudicem paenitus viderunt, in securitate transigunt: et in hoc saeculo ab imperatore usque ad pauperem securitatem videntur sub caelo habere. Qui autem ingre*di*untur ante tribunal Christi . . . semper sub timore et tremore sunt positi. Nam et divites terrae quando copiosum fructum in horreis reconderint (e), rursus operantur per singulos dies ut adquirant. Sin vero in reconditis sint praesumentes, et ea quae in horreis sunt reposita neglexerint, statim in inopiam et in infelicitatem ruunt. Idcirco laborare fortiter debent, et recondere potius. Et christianitas ita est, ut unusquisque gratiam Dei gustet. Est enim gustate et videte quoniam suavis est Dominus. | Est igitur gustus operationis in plenitudine virtutis, spiritus sancti gratia P. 16.
ministrante in corde. Quotquot enim luminis et regni sunt filii, vel ministri novi testamenti in spiritu, isti ab hominibus non docentur, sed a Deo sunt edocti: ipse autem scribens legem in cordibus eorum. Non enim in scripturis tantummodo debent instrui, quae atramento sunt scribtae (2); sed in latitudine cordis gratia Dei, et legis spiritus, et caelestia mysteria scribantur *etc.*

FRAGMENTUM XII.

. . . || Dico autem tibi quoniam et apostolos habentes paracletum securos in P. 17.
omnibus non fuisse (3). Aderat enim in eis gaudium et laetitia, timor et tremor
ex ipsa gratia; non enim de parte malitiae; | sed gratia ipsa custodiebat eos ne P. 18.
vel in modico averterentur. Quemadmodum si sit aliquis iactans lapidem in murum (f), quid laesus aut commotus est murus? aut velut sagitta in hominem (g) tectum clibano (4) mittatur, quid aut corpus aut ferrum nocuit inpingens et cadens? Ita pars aliqua malitiae etiamsi adproximavit eis in aliquo, in nullo tamen nocuit eos (h),

(a) Ita cod. loco *prae*. (b) Ita schedae *conf.*, non *cons.*, nisi mendum meum est. (c) Cod. *ad imperatore*. (d) Sch. *in periculo*. (e) Ita sch. pro *reconditerint*. (f) Sch. *muro*. (g) Sch. *homine*. (h) Ita sch.

(1) Hinc cognoscimus, auctorem scripti huius vixisse manente adhuc romano imperio.

(2) En sententiam adversus illos heterodoxos, qui nihil pensi habent praeter scriptum verbum Dei.

(3) Notent theologi hunc locum de apostolorum gratia.

(4) Noti sunt *clibanarii* milites, id est *cataphracti*.

quoniam induti erant perfectam Christi virtutem: et ipsi perfecti cum essent, habebant libertatem operandi iustitiam. Quoniam dicunt quidem, quod cum gratia sit animae securitas . . . . ||

FRAGMENTUM XIII.

P. 19. . . . animas multorum quasi immundis spiritibus impleverunt. | Sicut psalmus ait,
P. 20. quoniam repleti sunt obscurati domibus iniquitatum. Et posuit testamentum contra regem verum, legem peccati, et imagines nebulosas et doloribus plenas, et nummum reprobum spernendum signavit, et malitiae mores edocuit, legiones induxit, spiritus pravitatis qui obtinent animam in compedibus solidatis et serris ferreis ad observandam eam ne exeat; et coegit eam facere opera eorum, secundum illorum arbitrium; et corruperunt eam et fornicati sunt cum ea; et cooperuerunt tenebris oculos eius, ne videret dominum suum; et in mola tenebrarum commolere coegerunt, ut cogitaret carnalia et mundana, sentiret terrena et limosa: et excitavit in ea fontem caenosum, iniquitate scatentem; et consilia malignitatis spirituum sparserunt in ea, et in captivitatem duxerunt populum eius, id est multitudinem consiliorum; spoliaverunt et gloriae
P. 21. vestimen*tis*, *iniecerunt*que pannos || ignominiae et immunditiae, plenos amaritudine et felle; et impleverunt eam omni immunditia. Deinde postquam multa tempora transierunt, et ipsi consuetudine tenebrarum potestate decenti, nullam memoriam sui regis habebant, nec propriae libertatis, sed ita habebant ut si tales ab initio essent creati; misit ergo Christus rex caelestis et verus, primum per sanctos profetas hominem commonens, et in memoriam nobilitatis propriae revocans dignitatis; id etiam memorans quam acervo (a) quam subdolo teneretur errore, annuntians se ipsum venturum, et liberaturum eum per se ab his qui eum in captivitate deti*nebant* . . .
P. 22. . . . adulterii | nummum deleret, et omnes inimicos a quibus tenetur extingueret; et renovare eum promisit secundum arbitrium suum et legem pacificam dare spiritus et divinam, ut simul mores antiquos qui erant in eo malitiae commutaret: tantum ut memor sui anima ad proprium confugiat Dominum, ei se tradens, et suam commodans voluntatem: et ut crederet, quod facturus sit omnia quae promisit; et cum obsecret dies noctesque vociferans ut a mala captivitate et acerva eruat servitute. Quando autem inlustravit (b) bonitas salutaris nostri Iesu Christi, et promissionis consummata sunt tempora, et venit rex Christus ad redimendum et recipiendum hominem suum, quem multis temporibus dira servitus tenebat; et quotquot in eum crediderunt, et ad eum confugerunt, redempti sunt. Et rogavit, suam captivitatem confitens, quod non per semet posset liberari et de servitute erui, ||
P. 23. — (1) id est ad superiorem mundum, et ab hoc saeculo ad beatum et perenne saeculum facilius volat cum multa requie. Iam enim filii Dei et celsiores fiunt et superiores sine ullo metu spirituum immundorum, et feritatis eorum; sicut enim volatilia iam non timent ferarum insidias. Ut autem nullus est hominum qui pecorum loquellam (c) intellegat, ita et linguam spiritus sancti nemo hominum plenus spirituum mundanorum agnoscit; sed soli filii gratiae verba matris agnoscunt: secundum quod dictum

(a) Ita cod. pro *acerbo*, heic et infra. (b) Ita cod. pro *induxit*. (c) Ita cod

(1) Videtur interiecta lacuna.

est, spiritalibus spiritalia comparantes; animalis autem homo non recipit quae sunt spiritalia: stultitia enim est ei. Sicut enim hominibus incognita est hirundinum vox, ita et carnales spiritalibus pro barbaris sunt. Haec autem quadam similitudine umbratili eorum, quae vera sunt, dicimus volatilium et huiusmodi rerum; sumentes ab his quae videntur exempla et materiam colligentes; quoniam | spiritalia nullam interpretationem recipiunt: sicut et Dominus locutus est in parabolis: ait enim, aperiam os meum in parabolis. Spiritalia enim invisibilia sunt, et nec sermone humano possunt exponi, nisi spiritus ipse obsecretur ut doceat. Spiritalem enim regenerationem incrementum et perfectionem noscere non possumus, sed solummodo credere quod ita in hominibus operetur qui ei conversatione sui placere potuerunt. Ita et spiritalium loquella barbara *est* mundanis hominibus. Sicut enim pisces maris omnes, quae sunt in eo, norunt semitas et profunditates, et homines vel feras vel pecora non possunt agnoscere . . . P. 24.

* * *

LITURGICA FRAGMENTA

LITTERIS MAXIMIS IN AMBROSIANO PALIMPSESTO SCRIPTA.

P. 1. . . . *quis* non diligat, cuius filium scit pro sui redemptione suspensum? Quis non metuat, quem scit in iudicii maiestate venturum? Debemus in*terim* timere, quod dominus est; et amare, quod pater est: utriusque satisfactione subnexi (a), filiorum affectu, et servitute famulorum. Per Dominum nostrum.

Invitemos (b), fratres karissimi, redemptoris nostri serenus (c) oculos, et benignus auditos.

P. 3. CONTESTATIO. Dignum et iustum est, vere aequum et iustu (d) est, nos ingenitae bonitatis tuae profunda laudare, domine sancte pater omnipotens aeterne Deus, qui detersis tenebris . . .

P. 6. . . . et in praesenti requiem, et in prima resurrectione participes. Per Dominum nostrum.

Praesta nobis, Domine, in domo tua sancta unanimitate viventibus pacem habere quam tradimus, pacem servare quam sumimus (1). Maneat in nobis et sine osculis pax, dummodo oscula sine pace non maneant. Per D.

Sancte Domine, semper tuis exorabilis, *qui* numquam pias tuorum praeces fidelium asperaliter (e) intueris famulorum, orationem familiae tuae per . . . sanctae ecclesiae membra dispersae tutius soliditatis prospiritate (f) concorpora; et quod praecantium sollicitudine fuit varium, fiat donante tuae misericordiae liberalitate . . . . . . Sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine situ praesentem, sine ambitu omnia continentem (g), sine loco ubique totum, sine tempore sempeternum (h)

(a) Ita cod. *e* pro *i*. (b) Ita cod. Et ita in seqq. (c) Ita cod. (d) Ita cod. quae videlicet *m* liquescebat ante vocalem. (e) Ita videbatur in cod. (f) Ita cod. (g) Cod. *habitu omnia continens*. (h) Ita cod.

(1) En antiquissimum morem, adhuc apud nos vigentem, pacem invicem in missa impertiendi; quamquam pax nunc per amplexum, non per oscula, datur.

sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihili patientem. In hac ergo natura tibi patri spirituque tuo suoque conformis et cousubstantialis unigenitus, abiectionem pulveris nostri, celsitudinem tuae maiestatis . . .

P. 11. Debitas tibi omnipotens sancte pater referemus gratias, quia sive vivemus, sive morimur, tui sumus. Tu enim perditionis legem supra humanum genus, peccato vastante et dominante, per unigenitum tuum reconciliatus co . . . as; et hominem qua potestate ex humili materia figurasti, eadem de sinu terrae suscitabis . . .

P. 14. sanguine filii tui hereditas acquisita, et alomna (a) paradisi, candedata (b) caeli turba concluditur: ubi secuturus agnum dextri ordinis (c) numerus adgregatur: ubi illa primitivorum ecclesia, de qua fugiet dolor et gemitus, tuis in aeternum laudibus militaret (d), adscribitur. Pacem tuam da nobis, sancte pater omnipotens Deus; pacem tuam relinque nobis; omnia enim dedisti nobis. Per Dominum nostrum.

. . . *sacer*dotis; quem adnumerandum apostulis (e), martyribus adgregandum. Quicumque gratulamur meritis, suffragiis eregamur (f): ferat plebiculae, praesenti sacrificio indefessae orationis effectu, patrocinii perennis auxilium (1); eamque inserat gratiam mentibus sensibusque cunctorum, ut cuius apostolica veneratione perfecta suscepimus . . a te mercamur eius saltim (g) consequi fidei aemulatione virtutem. Per D. N.

Post nomina, auditis nominibus offerentum (h). Omnipotentis Domini misericordiam

P. 19. depraecemur, ut acceptum referat divina dignatio quidquid altaribus suis infert humana sedulitas. Ratas faciat praeces et vota cunctorum; et quod devotio inpendit ad gratiam, poscentibus profeciat (i) ad salutem.

. . . ad quem redi (k) reviviscere: quem nemo amittit, nisi errore deceptus; nemo

P. 22. quaerit, nisi ratione commonitus; nemo invenit, nisi corde conpunctus. Intentis, fratres karissimi, praecibus exoremus ut mentibus nostris studium requirendi . . . . Per D. N.

P. 23. . . . relaxatas cultui suo tanto liceat adstringi; et solo negotio (l) quod et hic et in aeternum proderit occupari.

Post nomina. Nominibus recensitis . . . consecrandis in . . libaminibus imploremos (m), ut omnium sanctorum suorum intercessione nos protegat, et reatum delinquentiae nostrae, eorum depraeca . . .

. . . sacramenta . . calicem bebere (n) quem tradebat . . o ingens dominicae caedis desiderium caritatis!

P. 48. . . . occidi velle post Dominum; occisi amorem inter homicidas fateri noveram . . . .

P. 49.

* * *

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *ordines*. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Ita cod. (k) Ita cod. (l) Cod. *solum negotium*. (m) Ita cod. (n) Ita cod.

(1) En sanctorum invocationem heic et infra.

CONTRA ARRIANOS FRAGMENTUM.

In miscello codice vaticano-regio DLVII. p. 6. et 7. duae extant membranae saeculo ferme XI. scriptae, in quarum priore contineri partem cognovi sermonis de symbolo adversus paganos et Arrianos, quem inter spurios augustinianos collocant maurini editores in tomi VIII. appendice p. 11. sqq. In posteriore autem membrana, quae manu eadem perscripta est, fragmentum item legebam contra Arrianos, quod ego quum considerarem, pertinere suspicabar ad tractatus illos Augustini contra praedictam haeresim quos deperditos esse scimus. Equidem sentio me periculose admodum de hac re pronunciare; fieri enim potest, ut vel Augustini cognitum fragmentum sit (de qua re vestigare altius per angustias temporis nequeo) vel cuiuslibet alterius Patris, quorum permulta contra Arrianos scripta extant, et a me pleraque sunt lectitata, quin tamen hanc particulam in iis me legisse nunc recorder, quamquam aliquid haud scio an simile me vidisse alicubi paene commemini. Verum quid prohibet, quominus praedictam membranam hoc loco lectoribus meis post arriana fragmenta exhibeam; quae sive alibi edita est, sive secus, catholicam veritatem belle propugnat? Certe hanc ipsam Arrianorum obiectionem de genito *et* ingenito *proponunt sibi dissolvuntque sapienter Basilius orat. contra Arr. ed. Garn. T. II. p. 194; et Ambrosius de incarn. sacramento capp. VIII. et IX; itemque Augustinus de trin. V. 4, qui et de illa sic prohoemiatur: " inter multa quae Arriani adversus catholicam fidem „ solent disputare, hoc sibi maxime callidissimum machinamentum proponere vi- „ dentur cum dicunt etc. „ In membranae calce scribitur nota quaternionis septimi; unde cognoscimus reliquum esse fragmentum ex aliquo maiore codice.*

* * * non edocti humanae sapientiae verbis, sed docti spiritu. Redde ergo, haeretice, quod docuit spiritus; redde ut fides non sit in sapientia hominum, et haeresis non erit. Et ne diutius immoremur, veniamus ad ea, quae nobis tamquam murum ferreum opponere consuerunt dicentes: ingenitus et genitus idem est, necne? ut per id quod dissimilis sonus in nomine est, non videatur patris et filii et spiritus sancti eadem esse substantia. Secundum quam formam et ego interrogo: si differentia est geniti nomen ab ingenito, ne eadem videatur substantia; ergo quodcumque ingenitum dicitur, eiusdem erit substantiae, si geniti ab ingenito discrepat nomen. Dicitur ergo ingenitus pater atque infectus: dicitur et filius genitus atque infectus. Si igitur in eo quod ingenitus *et genitus*, sibi differunt; ergo in eo quod infectus et infectus dicuntur, eiusdem erunt substantiae. Spiritus etiam sanctus, de quo scribitur, quod neque pater sit, neque filius, neque quod factus; quid erit dicendum? ingenitus erit: sed si ingenitus, eiusdem erit substantiae, cuius et mundus est, vel ea quae ex nihilo sunt. Sed mundus etsi factus est, ingenitus est: non enim filius est, quia factus est; erit ergo quod et pater est, qui est ingenitus: quo genere si et spiritus sanctus factus est, erit

et ipse ut mundus ingenitus. Sed diximus filium infectum, non enim factus est: ergo quidquid factum non fuerit eiusdem erit substantiae. Pater factus non est; spiritus sanctus *factus* non est; filius factus non est; ergo eiusdem erit substantiae spiritus sanctus, vel filius, cuius et pater est. Ingenitus pater, ingenitus et spiritus sanctus, ingenitus et mundus (non enim nati sunt) eiusdem erunt substantiae, cuius et pater est: sed mundus factus est, pater autem non est factus, sed neque filius neque spiritus sanctus; ergo solus mundus non erit eiusdem substantiae, cuius pater, vel filius, vel spiritus sanctus. Quid ergo in nominibus et hominum sapientia convenientibus immoramur, et non in his quae scriptura signavit dicendo, patrem et filium et spiritum sanctum esse credendum? Quod si nominibus *fides* adhibenda est, ut quicquid vel ingenitum sonat vel infectum, necesse est ut quicquid fuerit ingenitum vel infectum, eiusdem sit (a) substantiae: et hac ratione quicquid illud fuerit, quod immortale dicatur, vel incorruptum, vel incorporeum, vel infectum, ut eiusdem videatur esse substantiae. Mundus factus est, vel ea quae in mundo sunt: numquid quae facta sunt, eiusdem erunt substantiae, id est caelum, terra, aer, aqua? Si igitur quae facta sunt, non sunt eiusdem substantiae, quia nata non sunt; ergo ingenitus et genitus, qui facti non sunt, eiusdem erunt substantiae, quia aliud sit natum et aliud factum: ea enim quae fiunt voluntate facientis, substantiae diversitate consistunt: ea vero quae nascuntur, etiam ex factis eiusdem naturae semper obtinent veritatem. Respice arborum, seminum, pecudum, ferarum, volucrum, hominumque naturas; respice et earum opera, aut hominum habitacula, aut cubilia ferarum, aut nidos avium, aut apium cellas, aut promptuaria formicarum, aut antra aranearum, vel omnium generum secreta, atque in his, quae dixi, earum opera considera. Numquid similis (b) substantiae sunt? quorum quae vel generant, vel generantur, ita procul opera (c) omnium sunt a natura generantium. Sola nativitas substantiae se generantis indicium est. Factae sunt etiam dominationes, virtutes, potestates, throni, principatus: numquid quia factae sunt, et genitae dicuntur? Sed si genitae non dicuntur, quia factae sunt, erunt utique ingenitae: si ingenitae sunt, eiusdem erunt substantiae, cuius et pater est qui est ingenitus? Dicuntur ergo throni, potestates, principatus, dominationes, virtutes: numquid eiusdem erunt substantiae, licet nominum videatur esse diversitas? quia nominum diversitas honoris significatio est, et non earum substantiae. Nam *quod* dicuntur virtutes, dominationes, sedes, potestates, honorum expressio est, non substantiae demonstratio, quae vel quales intellegi debeant. Et utique haec omnia et incorporea et incorrupta et immortalia et ingenita dicuntur; non enim filii sunt, quia unicus filius est, qui sinum patris exposuit (d). Denique de angelis quid ait apostolus? " Cui

(a) Cod. *esse*. (b) Cod. *similis*. (c) Ita cod. (d) Ita cod.

„ enim angelorum aliquando dixit, dominus filius meus es tu „? Negando ergo filios, negavit in eis nativitatem, non negavit creationem. Sic apostolus ait: „ sive dominationes, sive principatus, sive virtutes, sive potestates, omnia per „ ipsum facta sunt „. Facta autem dixit omnia, non tamen nata. Numquid ergo ex eo quod dicuntur vel incorporea vel incorrupta vel immortalia, substantiae eorum confessio est, quae vel quales sint, et non magis negatio passionum? Nam cum dicimus incorporeum aliquid, negamus corpus, non vero substantiam confitemur. Vel cum dicimus incorruptum atque immortale, non quid sit, sed quid non patiatur edicimus: non enim patitur vel mortem, vel corruptionem quod immortale dicitur vel incorruptum; unde nequis nominibus tot, tantisque, tam multis, aut eiusdem dicat omnia esse substantiae, aut iterum conpo * * *

Ad. Hebr. I. 5. Ad. Coloss. I. 16.

Q. VII.

DE FLORI EPISTULA

NOTITIA.

Flori ecclesiae lugdunensis medio saeculo IX. diaconi satis celebre nomen est; deque eius scriptis ac laudibus disseruit praecipue Mabillonius in analectis, ex eoque Oudinus tom. II. p. 138. sqq., ne iam historicos alios appellem. Poëmata eius ediderunt praedictus Mabillonius, itemque alia Martenius tom. V. anecd., et prosaici generis scripta T. IX. veter. script. Postremus autem cl. Muratorius in monum. med. aevi tomo III. p. 856. quosdam Flori versus evulgavit, de sua emendatione psalterii loquentes, quos in calce ambrosiani codicis nactus est, ubi pseudo-Hieronymi commentarius in psalmos continetur. Idem vero Muratorius sententiae illi minime adhaesit, quam Usserius Cavaeusque dixerant, nempe quod Florus commentarium in psalmos scripserit; recteque prorsus suspicatus est, a Floro psalterium non tam scholiis illustratum, quam criticis curis ad hieronymianae interpretationis nitorem fuisse revocatum. Nunc ecce mihi in vaticano maximo sacrorum bibliorum codice, saeculi ferme XII, inter ceteros prologos quibus singuli libri instruuntur, Flori quoque deprehensa est praeclara et inedita epistula, in qua universam emendati a se psalterii rationem exponit, mentionemque facit illorum quoque versuum, quos a Muratorio typis impressos narravi. Scribitur epistula ad Hyldradum abbatem; *versus autem illi in ambrosiano codice ad* Eloradum abbatem *mittuntur; de qua mendosa scriptura obscuroque homine, sic aiebat Muratorius:* quis fuerit Eloradus abbas (ita enim legitur, nescio an vitiose, in msto.) ad quem Florus hos versus mittit, nondum rescire potui. *Mihi de homine non magis liquet; verum eius nomen a vaticano codice recte iam capitalibus litteris* Hyldradus *patefit. Nec vero moram ullam nectendam putavi, quominus doctissimi Flori, arte critica et hebraicae graecaeque linguae peritia fulgentis, scriptum plane egregium et perutile typis committerem.*

EPISTULA FLORI AD HYLDRADUM ABBATEM
DE PSALTERII EMENDATIONE.

Diu est quod paternitas vestra humilitati meae iniungere voluit, ut psalterium vobis iuxta regulam veritatis corrigerem: quod ego studui pro viribus adimplere. Sed veraciter dilectioni vestrae fateor, valde mihi molesta et gravis extitit multorum codicum perplexa ac mendosa varietas, quae dormitantium librariorum exorta vitio, imperitorum cotidie ignavia alitur ac propagatur. Ego itaque, ut iniunctum negotium diligentius exequerer, dedi operam et hebraicam sacri interpretis translationem et septuaginta ad invicem conferre, ut ex utrisque quid in nostris minus, quidve maius haberetur codicibus, curiosius investigarem; et quid in septuaginta ex hebraeo sub asterisco ⁜ additum, quid praenotatum obelo ÷ plus in his quam in Hebraeorum voluminibus haberetur, solerti indigatione colligerem. Et quia inerat suspicio, ne forte et ipsa hebraica translatio scriptorum esset vitio depravata, etiam hebraicum ipsum volumen ad lectionem (a) adhibui: nec non et illam notissimam interpretis epistulam adsumam ad Suniam et Fretelam getas conscriptam, in qua perplurimos codicum nostrum errores confutat, adiunxi: et his omnibus psalterium vestrum, prout potui, correxi: asteriscos ⁜ et obelos ÷ suis locis restitui: erasi vitia: recta quaeque et probata subieci. Unde et tanto iusto tempore ingenti labore decurso, remissurus librum, hanc in eius parte (b) conscripsi epistulam, per quam et illud vestrae significarem (c) prudentiae, esse aliqua tam in titulis quam in corpore psalmorum, quae dupliciter etiam dici possunt, vel ob (d) septuaginta interpretum auctoritatem, vel propter veterem prolixi aevi consuetudinem: et tamen quid in his hebraica sibi vindicet veritas adnotavi.

In titulo XXVIIII. Psalmi in quibusdam codicibus legitur: psalmus in dedicatione; in hebraeo psalmus cantici, habetur.

In XXXIII. Coram Abimelech; in hebraeo Achimelech.

In L. Bethsabee; in hebraeo Bersabee.

In LX. in finem dedicationis; in hebraeo in finem hymnus dedicationis.

In LXIIII. psalmus dedicationis; in hebraeo psalmus dedicationis cantici.

In LXV. Canticum psalmus; in hebraeo non habetur canticum.

In CVII. Psalmus dedicationis; in hebraeo Asaph.

In XXXVIII. In quibusdam exemplaribus versus incipit: et nunc quae est expectatio mea; in quibusdam cum superiore versiculo nexum est; in hebraeo duo sunt.

(a) Cod. *ipsum et volumen electorem*. (b) Cod. *partem*. (c) Cod. *significare*. (d) Cod. *ad*.

In XLI. Spera in Deo quoniam adhuc, versiculi caput est; in hebraeo non est.

In LII. Ut videret si est intellegens; in aliis videat. Utrumque dici potest.

In LIII. Averte mala; in aliis avertes; et sic in hebraeo.

In LXVII. Manda Deus vitutem tuam; in aliis virtuti tuae. Utrumque dici potest.

In LXXVI. Nocte contra eum; in aliis coram eo. Utrumque recte dicitur; sed hebraicum superiori concordat. Denique sic dicitur: manus mea nocte extenditur; et nocte quiescit.

In LXXVII. Conversi sunt in arcum pravum, versiculi caput est; in aliis sic finitur; ita et in hebraeo.

In LXXVIII. Ultio sanguinis servorum, principium versiculi est; in aliis superiori conectitur; sic et in hebraeo.

In LXXX. Et iudicium Deo Iacob; in aliis Dei Iacob; sic et in hebraeo.

In LXXXIIII. Benedixisti, Domine, terram tuam; in aliis terrae tuae; et sic secundum artis regulam rectius dicitur. Sed et hebraicum consonat: placatus es, Domine, terrae tuae.

In LXXXVIII. In generatione annunciabo; in aliis versiculis caput est; in aliis pars; sic et in hebraeo. In eodem: usquequo, Domine, avertes, in aliis averteris. Utrumque dici potest. Sic, avertisti; et aversus es ab ira indignationis tuae.

In LXXXVIIII. Domine, refugium factus es nobis; in aliis, tu factus es nobis; sic et in hebraeo; et in nostris codicibus sub asterisco additum est.

In XC. Et refugium meum, Deus meus; in aliis, Deus meus sperabo in eo, versiculi finis est; sic et in hebraeo.

In XCV. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini; in aliis a facie Domini; et sic in hebraeo.

In XCVII. Iubilate Domino omnis terra, versiculi caput est; in aliis superiori coniungitur; hebraicum priori concordat.

In XCVIIII. Scitote quoniam ipse est Deus, initium versus est; in aliis pars prioris; in hebraeo superiori consonat.

In CVI. Effusa est contentio; in aliis contemptio; sic et in hebraeo. Verum uos, ut septuaginta explanant, ita reliquimus.

In CXVIII. Et cor meum turbatum est intra me; in aliis conturbatum est; utroque modo dici potest.

In CXVIII. Quot sunt dies servo tuo; in aliis servi tui. Utrumque recte dicitur. Sic est illud: eruntque dies illius centum viginti annorum. In eodem laetabor ego super eloquia tua; in aliis super eloquio tuo; sic et in hebraeo; et sic secundum artis regulam rectius dicitur. Sed et in LXXII. quia zelavi

super iniquos: et in CXLVI. Beneplacitum est Domino super timentes eum; rectius diceretur super iniquis, et super timentibus eum. Sed aliut (a) usus obtinuit.

In CXXII. Sicut oculi servorum in manibus, et sicut oculi ancillae in manibus. In aliis utroque loco, ad manum; sic et in hebraeo; sic et in septuaginta interpretum explanatione.

In CXXIIII. Laqueus contritus est, initium versiculi est; in aliis superiori coniungitur; sic et in hebraeo.

In CXXXIII. Ecce audivimus eam in Eufrata; in aliis audivimus eum. Sed ista diversitas hoc modo distinguitur. Supra dixerat, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Et tabernaculum tam apud Hebraeos, quam apud Graecos feminini est generis; et ideo " audivimus eam „ recte dicitur apud utrosque. Apud nos vero neutri (b) generis est, et idcirco nec eam, nec eum de tabernaculo dicimus, sed eum ad locum referimus.

In CXXXVIII. Quia dicitis in cogitatione, versiculi principium est; in aliis superiori coniungitur.

In CXLIIII. Beatum dixerunt populi cui haec sunt; in aliis cuius: bene utrumque.

In CXLV. Nolite confidere in principibus, nec in filiis hominum, cui non est salus. In aliis in filiis hominum, quibus non est salus. Hebraicum superioribus congruit, et similiter ratio recti sermonis.

In CII. Tres versiculi desunt in psalterio, quod sacer ex hebraeo in latinum vertit interpres; et memores sunt; Dominus in caelo; benedicite Domino angeli eius; quod nos in hebraeis voluminibus minime reperimus.

In XXXVI, et in CX, et in CXI, et in CXVIII, et in CXLIIII. litterarum nomina, a quibus versiculi incipiunt apud Hebraeos, a capite versuum singulorum a nobis impressa sunt, quae non parum intellectum legentis aedificant, si eorum interpretationes sagaci mente discutiat. Unde etiam epistulam patris Hieronymi, quam super hac re ad Paulam conscripsit, in psalterii vestri parte conexui, ne cui illa elementorum nomina otiose a nobis inserta videantur, quae sancto auctore Spiritu praefatis psalmis immixtae, spiritali cibo pium pectus alunt.

Sciendum sane, in XXXVI. psalmo unam litteram duos tenere versiculos; in CXVIII. octonos continuatis cursibus explicare; in CX, et XI. unumquemque versiculum in duos dividere (c), et duabus litteris saepe exordiri, sicut et a nobis usque signatum est.

Et quoniam scio velle sanctitatem vestram novum psalmorum codicem scribere, hortor ac moneo, ut haec omnia ingenti cura et studio conservetis: diapsalmata, ubicumque a nobis sunt relicta aut addita, inseratis; ubi rasimus,

(a) Ita Cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *dividit*.

reliuquatis. Numeros psalmorum propriis titulis praeponite, et alios ante alleluia, aliosque post, aliquos inter duos alleluia conscriptos (a), sicuti a nobis correctum est: est enim in singulis vera et utilis ratio, quae studiosis quibusque lectoribus maximum profectum gignit. Asteriscos ※ et obelos ÷ ante omnia observate. In volumine, quod scripturi estis, ita spatiose imprimantur lineae, ita clara ac prolata limiuaria relinquantur, ut et litterarum nomina, quae extrinsecus addenda sunt, distincte et per intervalla consistant, et adnotationum sermunculi locis suis diligentius adsignentur, ut liber ille novitius honestate ac decore et utilitate sui et librarium exerceat, et lectorem erudiat, et pascat animos, et oblectet aspectus. Psalmis vero sola cantica copulentur. Hymnis, symbolum, oratio dominica. Fides, conpunctum, et orationes, et si quae sunt alia, libello altero conscribantur. Quamquam a nobis ex his omnibus solum symbolum, oratio evangelica, fides catholica, atque hymni correcti sint; reliqua vel superstitiosa, vel falsa, vel parum necessaria iudicantibus; unde, et si vultis, poteritis psalmis CL, canticis propheticis, evangelicis duobus, ea, quae supra nos correxisse diximus, eo, quo a nobis commemorata sunt, ordine, copulare. Alia abicite, ac velut quasdam vestri sordes psalterii fullonis vecte (b) decutite; ut libelli illius corpus, omni labe detersa, purum et nitidum resplendeat. In primis igitur scribatur illa homeliola de laude psalmorum (1) propter aedificationem religiosorum. Secundo haec epistula propter instructionem lectorum. Tertio mei versiculi (2) ob mei commemorationem. Quarto, patris Hieronymi praefatiuncula, cuius initium est PSALTERIUM ROMAE. Quinto psalmi ex ordine. Tunc ex ordine et cetera. Post autem omnia, epistula ad Paulam de alphabeto Hebraeorum.

Conscriptus porro libellus mihi, si vita comes fuerit, ostendatur, ut vestra in omnibus diligentia approbetur. Multa, Pater, loquor fiducia, quia nihil de tua ambigo benivolentia. Oro itaque et te, Pater, et omnes, qui libello usuri sunt, pro peccatis meis apud Iesum preces fundere, ut qui illis omnibus, quantum potui laboravi, omnium merear votis atque obsecrationibus adiuvari. Obto (c) vos in Christo semper bene valere.

(a) Cod. *conscripsi*. (b) Cod. *vecta*. (c) Ita cod.

(1) Puta Athanasii, vel Basilii, vel Ioh. Chrysostomi, vel Nicetae, vel cuiuslibet ex tot Patribus quorum extant psalmorum laudationes.

(2) Hos apud Muratorium legere licet.

In maximae molis vaticano praedicto codice biblia universa continente, legebam p. 260. hunc quoque prologum, quem quia in cl. Arevali editione operum Isidori non reperiebam, edendum iudicavi.

ISIDORUS LECTORI SALUTEM.

Origenes quondam ille, qui apud Graecos in opere divinarum non parvo elaboravit studio, ut ostenderet nostris qualis per singulas editiones scripturarum lectio teneretur; in propriis paginis vel columnis editiones singularum translationum descripsit, ut ea quae in unaquaque deerant, vel superflua habebantur, ceteris quibusque signis distinguerentur. Huiusmodi igitur ego ipse studio delectatus psalmorum librum, duarum translationum conpingere malui, sive ut septuaginta interpretes, vel ceteri transtulerunt; sive ut in hebraeo legitur, et sanctissimo Hieronymo in latinum sermonem interpretatum agnoscitur. Utramque igitur editionem e regione componentes adiunximus, ut quaeque in singulis vel desunt vel potius abundant, signis ad capita versiculorum praefixis, manifestentur. Quapropter ubi in septuaginta translatione aliquid superfluum est, virgulae ÷ signo notatum est; ubi vero aliquid deest, ut clareat, asterisci ⋇ figura signatum est. Verum ubi per dissonantiam utraque invicem discrepant, antigraphus ∨ (1) in utrisque columnis adpositus est. Nam procul dubio in plerisque locis multo alium sensum suggerunt: in plerisque vero ita pari sensu incedunt, ut aeque sibi pro expositione adhibeantur. Plurimum enim valet lectori geminae huius interpretationis conlatio: nam obscurae sententiae ambiguitas, quae per unius intellectum difficilis est, alterius inspectione aperitur. Sane sciendum, nequaquam esse in eadem editione scriptum, ubi versiculi vacantes claruerunt: neque enim antiquorum vitio omissa, vel dempta sunt, sed in propria translatione deesse perhibentur. In titulis autem, ubi septuaginta dixerunt: in finem, psalmus; in hebraeo habetur, victori. Nec satis inter se discrepant; siquidem perseverare in finem, ipsa est perfecta victoria, sicut scriptum est: qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Primus autem et secundus psalmus in septuaginta sine inscriptione habentur: in hebraeo autem ii sunt, qui superscripti non sunt, I. II. XXXII. XL. XLII. XLIII. XLIIII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. LXX. CXV. CXVI. CXVII. CXXXVI. CXLVI. CXLVII. Ceteri autem praeter hos, aut nominibus propriis titulantur, aut sine nomine perscriptionibus suis notantur.

(1) Consonat sibi Isidorus in horum significatu signorum orig. I. 21; quae ibidem Arevalus aenea in tabula excudenda curavit.

EVANGELIUM
SECUNDUM MATTHAEUM
VERSIONIS ANTEHIERONYMIANAE
EX PERANTIQUO CODICE VATICANO.

* * *

Cap. III.
15. * * * Respondens autem Iesus dixit ei : sine modo; sic enim oportet nos Fol. 1. a
16. adimplere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Et cum baptizatus esset Iesus ,
ascendit confestim de aqua : et ecce aperti sunt ei caeli , et vidit spiritum Dei
descendentem de caelo sicut columbam venientem in ipsum.
17.
Cap. IV. V. Et ecce vox de caelo audita est dicens ad eum : hic est filius meus di-
1. lectus , in quo bene complacui. Tunc Iesus ductus est in deserto ab spiritu,
2. ut temptaretur a diabolo. Et cum ieiunasset XL. diebus et XL. noctibus , postea
3. esuriit. Et accessit ad eum diabolus, et dixit ei: si filius Dei es, dic ut lapides
4. isti panes fiant. Cui respondens Iesus dixit : scribtum est, non in pane solo vivet
5. homo , sed in omni verbo procedenti ex ore Dei. Tunc adsumpsit eum | diabolus Fol. 1. b
6. in sanctam civitatem , et statuit eum supra pinnam templi. Et dixit ei: si filius
Dei es , mitte te deorsum : scribtum est enim quod angelis suis mandavit de te ,
7. ut in manibus tollant te , ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi
8. iterum Iesus : scribtum est , non temptabis dominum Deum tuum. Iterum ad-
sumpsit eum diabolus in montem altum nimis , et ostendit ei omnia regna mundi
9. huius et gloriam illorum. Et dixit illi : haec omnia tibi dabo , si procidens ado-
10. raveris me. Tunc dixit illi Iesus : vade post me satanas : scribtum est , domi-
11. num Deum tuum adorabis , et illi soli servies. Tunc recessit ab eo diabolus.
Et ecce angeli accesserunt , et ministrabant ei.
12. VI. Cum audisset autem Iesus quod Iohannes traditus esset , secessit in Ga-
13. lileam. | Et relicta civitate Nazareth , venit et habitavit in Cafarnaum , quae est in Fol. 2. a
14. maritima , posita in finibus Zabulon et Nefthalim. Ut impleretur quod dictum
15. est per Eseiam profetam : terra Zabulon et terra Nefthalim , viam (a) maris trans
16. Iordanen Galilelae gentium : populus , qui sedebat in tenebris lucem viderunt
17. magnam ; qui sedebant in regionem (b) umbrae mortis , lux orta est illis. Exinde
Iesus coepit praedicare et dicere : paenitentiam agite , quoniam adpropinquavit
regnum caelorum.
18. VII. Cum transiret autem Iesus secus mare Galileae , vidit duos fratres ,
Simonem qui dicitur Petrus , et Andream fratrem eius mittentes retiam (c) in mari :

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod.

erant enim piscatores. Et dixit illis Iesus: venite post me, et faciam vos pisca- 19.
Fol. 2. a tores hominum. Ad (a) illi | continuo, relictis retibus suis, secuti sunt eum. Et 20.
procedens inde paululum, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedei et Iohan- 21.
nem fratrem eius in navicula cum Zebedeo patre ipsorum reficientes retias suas et
vocavit eos. Illi autem relictis retiis (b) et patre suo, secuti sunt eum. 22.
VIII. Et circumibat Iesus universam Galileam, docens in synagogis eorum, 23.
et praedicans evangelium regni, et sanans omnem valitudinem et omnem infirmi-
tatem in plebe. Et abiit opinio eius in universam Syriam: et obtulerunt ei om- 24.
nes male habentes variis languoribus, et tormentis conprachensos, et qui daemo-
nia habebant, et lunaticos et paralyticos; et omnes curavit. Et sequebantur 25.
Fol. 3. a eum turbae multae a Galilea, et Decapoli, et ab Hiero|solymis, et Iudaea, et
trans Iordanen. Videns autem turbam Iesus, ascendit in montem; et cum se- Cap. V. 1.
disset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et aperiens os suum docebat eos di- 2.
cens. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati 3. 4.
mansueti, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent (c), quoniam ipsi 5.
consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabun- 6.
tur. Beati misericordes, quia ipsis miserebitur Deus. Beati qui mundo sunt 7. 8.
corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam fili Dei vocabun- 9.
tur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum 10.
Fol. 3. b est regnum caelorum. Beati estis cum vos persequentur, et exprobra|bunt, et 11.
dicent adversus vos omne malum propter me. Gaudete et exultate, quoniam 12.
merces vestra multa est in caelo. Sic enim persecuti sunt et profetas, qui fuerunt
ante vos. Vos estis sal terrae: si autem sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad 13.
nihilum valet, nisi ut proiciatur foris, et conculcetur ab hominibus. Vos estis 14.
lux huius mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita; neque ac- 15.
cendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candilabrum (d), ut luceat
omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant 16.
opera vestra bona, et magnificent patrem vestrum qui in caelis est.
VIIII. Nolite existimare quoniam veni solvere legem aut profetas: non veni 17.
Fol. 4. a sol|vere legem, sed adimplere. Amen dico vobis, donec transeat caelum et ter- 18.
ra, iota una (e) vel unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant. Quicumque 19.
ergo solverit unum ex mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus
vocabitur in regno caelorum. Quicumque autem fecerit et docuerit sic, hic mag-
nus vocabitur in regno caelorum. Dico autem vobis quia nisi abundaverit iusti- 20.
tia vestra plus quam scribarum et Farisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.
Audistis quia dictum est antiquis, non occidis (f): quicumque autem occiderit, 21.
reus erit indicio. Ego autem dico vobis, quod omnis qui irascitur fratri suo sine 22.
causa (g), reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio.|

(a) Ita cod. (b) Ita cod.; quamvis paulo ante *retibus*. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Deest *sine causa* in ed. vulg.

23. Qui autem dixerit fatue (a), reus erit gehennae ignis. Si ergo offeres munus tuum Fol. 4. b
ad altare, et ibi rememoratus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te,
24. relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliare fratri tuo, et tunc
25. veniens offeres munus tuum. Esto consentiens adversario tuo cito, cum es cum
illo in via, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et
26. in carcere mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum
quadrantem.
27. X. Audistis quia dictum est antiquis, non moechaveris (b). Ego autem dico
28. vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus
29. est eam in corde suo.| Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum Fol. 5. a
et proice abs te: expedit enim tibi ut pereat una pars membrorum tuorum, quam
30. totum corpus tuum eat in gehenna (c). Et si dextera manus tua scandalizat te,
abscide eam, et proice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum
31. tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Audistis quia dictum est,
32. quicumque dimiserit uxorem suam, det ei repudium. Ego autem dico vobis: qui-
cumque dimiserit uxorem, excepta causa adulterii, facit eam moechari: et siquis
33. dimissam nupserit, moechatur. Iterum dictum est antiquis: non periurabis, sed
34. reddes domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, ne omnino iuretis, ne-
35. que per caelum | quia aedis (d) Dei est; neque per terram, quia scamillum (e) est Fol. 5. b
36. pedum eius; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis; neque per
caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum facere album aut nigrum.
37. Sic (f) autem sermo vester, est est; et, non non: quod autem amplius est, a malo
38. est. Audistis quia dictum est, oculum pro oculo et dentem pro dente. Ego
39. autem dico vobis, non resistere malo; sed siquis te in dextra maxilla percusse-
40. rit, praebe illi et alteram. Et qui voluerit tecum iudicio contendere, et tuni-
41. cam tuam tollere, dimitte illi et palleum (g). Et si quis te angariaverit mille
42. passus, vade cum eo et alia duo. Omni petenti tribue; et qui mutuari a te vo-
luerit, ne averteris te ab eo.
43. XI. Audistis quia | dictum est: diligis (h) proximum tuum, et odio habebis ini- Fol. 6. a
44. micum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, et benedicite
qui vos maledicent, et benefacite his qui vos odiunt (i), et orate pro calumnianti-
45. bus et persequentibus vos; ut sitis fili patris vestri, qui est in caelis, qui solem
46. suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos. Si e-
nim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publi-
47. cani ita faciunt? Et si salutatis amicos vestros tantum, quid amplius facitis?
48. nonne et publicani (k) ita faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester,

(a) Cod. *fatuae*. (b) Ita cod. *v* pro *b*. (c) Ita cod.; quamquam paulo post *in gehennam*. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Ita cod. Et quidem *odire* pro *odisse* non semel vidi in antiquis mss. (k) Ita cod.

qui est in caelis, perfectus est. Adtendite ne institiam vestram faciatis coram Cap. VI.
Fol. 6. b hominibus ut ab eis videamini: alioquin mer|cedem non habebitis apud patrem ves- 1.
trum qui est in caelis.

XII. Cum ergo facies elemosynam (a), noli tuba canere ante te sicut hypocritae 2.
faciunt in synagogis et in plateis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vo-
bis, quia perceperunt mercedem suam. Te autem faciente elemosynam, nesciat 3.
manus tua sinistra quid faciat dextera tua: ut sit elemosyna tua in abscondi- 4.
to: et pater tuus, qui videt in occulto, ipse reddet tibi in palam. Et cum 5.
oratis, nolite esse sicut hypocritae, qui amant stare in synagogis et in angulis
platearum stantes et orantes, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, per-
ceperunt mercedem suam. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, et 6.
Fol. 7. a cluso osteo (b) ora | patrem tuum in occulto: et pater tuus, qui videt in occulto,
ipse reddet tibi in palam. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici 7.
faciunt: aestimantes enim quia in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo si- 8.
milis (c) esse illis. Scit enim pater vester, quid vobis opus sit, prius quam os a-
periatis. Sic ergo orabitis eum. Pater noster, qui in caelis es, sanctificetur 9.
nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in caelo et in 10.
terra. Panem nostrum cottidianum (d) da nobis hodie, et remitte nobis debita 11.
et peccata nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris: et ne inducas 12.
nos in temptationem, sed libera nos a malo. Si enim dimiseritis hominibus delic- 13.
Fol. 7. b ta eorum, demittet (e) vobis | et pater vester qui est in caelis. Sin vero non di- 14.
miseritis hominibus, nec pater vester vobis remittet delicta vestra. 15.

XIII. Cum autem ieiunatis, nolite esse sicut hypocritae tristes, qui exter- 16.
minant facies suas, ut pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, percepe-
runt mercedem suam. Vos autem cum ieiunatis, unguete (f) caput vestrum et fa- 17.
ciem vestram lavate, ne pareatis hominibus ieiunantes, sed patri vestro qui 18.
est in absconso: et pater vester, qui videt in absconso, reddet vobis in pa-
lam. Nolite thensaurizare (g) vobis thensauros super terram, ubi tinea et erugo 19.
disperdit, et ubi fures effodiunt et furantur. Thensaurizate autem vobis then- 20.
Fol. 8. a sauros in caelo, ubi neque tinea neque erug|o exterminat, et ubi fures non effo-
diunt et furantur. Ubi enim fuerit thensaurus tuus, ibi erit et cor tuum. Lu- 21.
cerna corporis tui est oculos (h) tuus. Si ergo oculus tuus simplex fuerit, totum 22.
corpus tuum lucidum erit: si vero oculus tuus nequa (i) fuerit, totum cor- 23.
pus tuum tenebrosum est. Si ergo lumen quod in te est, tenebrae sunt, ipsae te-
nebrae quantae sunt?

XIIII. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, et al- 24.
terum amabit; aut unum patietur, et alterum contemnet. Non potestis Deo
servire et mammonae. Ideo dico vobis: nolite cogitare in corde vestro, quid 25.

(a) Ita cod. *elem.* non *eleem.* (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Ita cod. cum archaismo; quamquam mox *oculus*.

mandncetis, aut quid bibatis, neque in corpore vestro quid induatis. Non-
26. ne anima plus est qnam esca, et corpus quam vestimentum? | Respicite Fol. 8. b
volatilia caeli, qnoniam non serunt neque metunt neque congregant in hor-
rea, et pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos magis plus (a) estis illis?
27. Quis autem vestrum potest adicere staturae snae cubitum unnm? Et de vesti-
28. mento (b) solliciti estis? Considerate lilia agri quemadmodum crescunt: non labo-
29. rant neque neunt (c). Dico autem vobis, quoniam nec Solomon in omni gloria sua
30. vestitus est, quomodo unus ex istis. Quod si fenum agri, quod hodie est et cras
31. in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, pusillae fidei? Nolite
ergo solliciti esse dicentes quid edemns, aut quid bibemus, aut quid vestic-
32. mur? Omnia enim haec gentes inquirunt. Scit enim pater ve|ster caelestis quod Fol. 9. a
33. horum omnium indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius,
34. et haec omnia adponentur vobis. Nolite ergo cogitare de crastino: crastinus e-
Cap. VII. nim dies ipse sibi cogitavit (d). Sufficit enim diei malitia sua. Nolite iudicare ut
1. 2. non iudicemini: in qno enim iudicio iudicaveritis, in eo indicio iudicabitur
de vobis: et in qua mensura mensi fueritis, eadem remitietur (e) vobis.
3. XV. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo
4. non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, sine eiciam festucam de oculo tuo;
5. et ecce trabis (f) in oculo tuo est. Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo,
6. et tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. Nolite dare sanctum ca|ni- Fol. 9. b
bus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pe-
7. dibus snis, et conversi disrumpant vos. Petite, et dabitur vobis: quaerite,
8. et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omni enim petenti dabitur; et qui quae-
9. ret (g), invenit; et pulsanti, aperietur. Aut qnis ex vobis homo, a quo petit filius
10. suus panem, numquid lapidem porrigit ei? Aut si piscem petit, numquid ser-
11. pentem porrigit ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis ves-
tris; quanto magis pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?
12. Omnia ergo quaecumque volueritis bona vobis fieri ab hominibus, similiter et vos
illis facite. Haec est enim lex et prophetae.
13. XVI. Intrate per angustam portam. Quam lata et spa|tiosa est via quae du- Fol. 10. a
14. cit ad interitum! et multi sunt qui per illam intrant. Qnam angusta est via et
15. difficilis quae ducit ad vitam! et pauci sunt qui inveniunt eam. Attendite vobis
a pseudoprofetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, ab intus autem sunt lu-
16. pi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis u-
17. vas? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructos (h) facit, mala au-
18. tem arbor malos fructos facit. Non potest arbor bona malos fructos facere, neque
19. arbor mala bonos fructos facere. Omnis ergo arbor qnae non facit fructum bo-
20. num, excidetur et in ignem mittetur. Itaque ex fructibus eorum cognoscetis eos.

(a) Ita cod. (b) Deest *quid* in cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. *v* pro *b*. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod.; quamquam postea *fructibus*.

XVII. Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cae- 21.
Fol.10.b lorum : sed qui facit voluntatem patris mei, qui in | caelis est. Multi mihi di- 22.
cent in illa die: domine domine, nonne in tuo nomine profitavimus(a), in tuo nomi-
ne daemonia eiecimus? et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc di- 23.
cam illis, quia non novi vos: discedite a me, operarii iniquitatis. Omnis ergo 24.
qui audit verba mea haec, et facit ea, similem aestimabo eum viro prudenti, qui
aedificavit domum suam supra petram: descendit pluvia, venerunt flumina, 25.
flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat
supra petram. Et omnis qui audit verba mea haec, et non facit ea, similis est 26.
viro stulto, qui aedificavit domum suam supra harenam: descendit pluvia, 27.
Fol.11.a venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et cecidit, |
et facta est ruina eius magna. Et factum est, cum consummasset Iesus verba 28.
haec, admirabantur turbae supra doctrinam eius. Erat enim docens eos sicut po- 29.
testatem habens, et non sicut scribae eorum et Pharisei.

XVIII. Et cum descendisset de monte, secuta est illum turba multa. Et ec- Cap.VIII.
ce leprosus quidam veniens adorabat eum dicens: domine, si vis, potes me mun- 1. 2.
dare. Et extendens manum tetigit eum Iesus dicens, volo, mundare: et statim 3.
mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: vide ne cui dixeris: sed vade, et de- 4.
monstra te sacerdotibus, et offers (b)munus quod praecipit Moyses in testimonium
illis.

XVIIII. Post haec autem cum introisset Cafarnaum, accessit ad eum quidam 5.
Fol.11.b centurio depraecans (c) eum; et dicens: domine, puer meus iacet in domo | pa- 6.
ralyticus, et gravissime torquetur. Ait illi Iesus; ego veniens curabo eum. Et 7. 8.
respondens centurio dixit illi: domine, non sum dignus ut sub tecto meo intres;
sed dic tantum verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potes- 9.
tate constitutus, habens sub me milites: et dico huic, vade, et vadit; et alio (d),
veni, et venet (e); et servo meo dico, fac hoc, et facit. Audiens autem Iesus mi- 10.
ratus est, et sequentibus se dixit: amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Is-
trahel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et re- 11.
cumbent cum Abraham Isac et Iacob in regno caelorum: fili autem regni huius 12.
ibunt in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Iesus 13.
Fol.12.a centurioni: vade, sicut | credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

XX. Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem et 14.
febricitantem. Et tetigit manum eius, et remisit eam febris, et surrexit confes- 15.
tim, et ministrabat eis. Vespere autem facto, obtulerunt illi multos daemonia 16.
habentes: et eiciebat spiritos (f) immundos verbo; et omnes male habentes curavit.
Ut adimpleretur quod dictum est per Eseiam profetam dicentem: quoniam ipse 17.
infirmitates nostras suscepit, et valitudines (g) nostras portavit. Videns autem 18.
Iesus turbas multas circa se, praecepit discipulis suis ut irent trans fretum.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. cum diphth. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod.

19. XXI. Et accessit ad eum quidam scriba, et dixit ei: magister, sequar te quo-
20. cumque ieris. Ait illi Iesus: vulpes foveas habent, | et volucres caeli nidos ubi Fol.12.b
21. requiescant; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Alius au-
tem discipulus ait illi: domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem
22. meum. Cui respondit Iesus: sequere me, et demitte (a) mortuos sepeliant mortuos
23. suos. Et ascendente eo in navicula (b), secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce
24. tempestas magna facta est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: Iesus ve-
25. ro dormiebat. Et accesserunt discipuli et suscitaverunt eum dicentes: domine,
26. libera nos, perimus. Et dixit illis Iesus: quid timidi estis modicae (c) fidei? Tunc
27. surgens Iesus imperavit vento et mari et facta est tranquillitas magna. Illi au-
tem homines admirati sunt dicentes: qualis est hic, quod venti et mare obaudi-
unt ei?
28. XXII. Et cum venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occur- Fol.13.a
rerunt ei duo homines daemonia habentes de monumentis exeuntes, periculosi ni-
29. mis, ita ut nemo possit (d) transire per viam illam. Et clamaverunt dicentes: quid
30. nobis et tibi, Iesu fili Dei? venisti ante tempus torquere nos. Erat autem non
31. longe ab illis grex porcorum multorum pascentium. Daemones vero rogabant
32. eum dicentes: si eicis nos, iube nos ire in gregem porcorum. Et ait illis Iesus,
ite. Ad (e) illi exeuntes abierunt in gregem porcorum: et eece impetu abiit totus
33. grex per praeceps (f) in mari, et mortui sunt in aquis. Illi autem, qui eos pasce-
bant, fugerunt: et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de his qui dae-
34. monia habebant. Et ecce tota civi|tas exiit obviam Iesu, et cum vidissent eum, Fol.13.b
Cap.IX.1 rogabant eum ut transiret a finibus eorum. Et ascendens in navem transfreta-
2. vit, et venit in civitatem suam. Et ecce obtulerunt ei paralyticum iacentem in
lecto. Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: constans esto fili: remissa
3. sunt tibi peccata tua. Quidam autem de scribis dixerunt intra se: hic blasphe-
mat. Quis potest dimittere peccata nisi unus Deus?
4. XXIII. Videns autem Iesus cogitationes eorum dixit eis: ut quid cogitatis
5. mala in cordibus vestris? Quid est enim facilius dicere, remissa sunt tibi pec-
6. cata tua; aut dicere, surge et ambula? Ut sciatis autem quoniam filius hominis
habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico, surge et tolle
7. gra|battum (g) tuum, et vade in domum tuam. Et surgens abiit in domum Fol.14.a
8. suam. Videntes autem turbae timuerunt, et honorificaverunt Deum qui dedit
9. tantam potestatem hominibus. Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem se-
dentem in teloneum, nomine Mattheum: et ait illi, sequere me. Et surgens se-
cutus est eum.
10. XXIIII. Et factum est recumbente eo in domo, et ecce multi publicani et
11. peccatores venerunt, et recumbebant cum Iesu et cum discipulis eius. Quod cum

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *modice*. (d) Ita cod. (e) Cod. *preceps*. (f) Ita cod. (g) Ita cod.

vidissent Farisei (a), dicebant discipulis eius: quare magister vester cum publi-
canis et peccatoribus manducat? Quod cum audisset Iesus, ait illis: non egent 12.
(b) sani medicum (c), sed male habentes. Euntes autem discite quid est mise- 13.
Fol. 14. b ricordiam volo et non sa|crificium: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.
XXV. Tunc accesserunt ad eum discipuli Iohannis (d) dicentes: quare nos et 14.
Farisaei ieiunamus frequenter, et discipuli tui non ieiunant? Et ait illis Iesus: 15.
numquid possunt filii sponsi ieiunare, quamdiu cum eis est sponsus? Venient au-
tem dies cum auferetur ab ipsis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus. Ne- 16.
mo autem committit conmissuram panni rudis in vestimento veteri: tollit enim
fortitudinem eius a vestimento, et peior fit scissura. Neque mittunt vinum no- 17.
vum in utres veteres; alioquin rumpentur utres, et vinum effundetur, et utres
peribunt: sed vinum novum in utres novos mittunt, et utraque servantur.
Fol. 15. a XXVI. Haec eo loquente ad eos, ecce qui|dam princeps nomine Iairus veniens 18.
adorabat eum dicens: domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, inpone (e)
super illam manum tuam, et vivet. Exsurgens autem Iesus sequebatur eum cum 19.
discipulis suis. Et ecce mulier, quae profluvio sanguinis vexabatur XII. an- 20.
nis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: 21.
si tetigero vestimentum eius, salva ero. Iesus autem conversus, et videns 22.
eam, dixit: constans esto filia, fides tua te salvam fecit: et salva facta est mu-
lier ex illa hora. Et cum veniaset Iesus in domum principis, videns tubicinis (f) 23.
et turbam tumultuantem, et (g) dixit: recedite, non est enim mortua puella, sed 24.
Fol. 15. b dormit: et deridebant eum. Cum autem eiecta esset turba | foris, accedens te- 25.
nuit manum eius, et dixit: puella exsurge: et surrexit confestim puella. Et 26.
exivit fama haec in universam terram illam.
XXVII. Et transeunte inde Iesu, sequebantur illum duo caeci clamantes et 27.
dicentes: miserere nobis, fili David. Et mox venit in domum, accesserunt ad 28.
eum duo caeci rogantes. Quibus ait Iesus: creditis quod possum hoc facere vo-
bis? dicunt ei, utique domine. Tunc tetigit oculos eorum, et ait: secundum 29.
fidem vestram fiat vobis. Et confestim aperti sunt oculi ipsorum. Et commina- 30.
tus est eis Iesus dicens: videte, ne quis sciat. Ad (h) illi egressi diffamaverunt 31.
eum in totam terram illam. Exeuntibus autem illis, ecce obtulerunt ei homi- 32.
Fol. 16. a nem mutum et surdum, daemonium habentem. | Et eiecto daemonio, locutus est 33. 34.
mutus: et miratae sunt turbae dicentes: numquam sic paruit in Istrahel. Farisaei
autem dicebant: in Belzebul principem (i) daemoniorum hic eicit daemonia.
XXVIII. Et circumibat Iesus universas civitates et castella, docens in syna- 35.
gis eorum, et praedicans evangelium regni, et sanans omnem valitudinem et om-
nem infirmitatem, et multi secuti sunt eum. Videns autem turbas, misertus est 36.

(a) Ita cod. sine diphth. At infra aliter. Sic modo cum *f*, modo cum *ph*. (b) Cod. *aegent*. (c) Ita cod. (d) Cod. *Iohannes*. (e) Cod. *impune*. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Ita cod.

37. eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc ait
38. discipulis suis: messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo do-
Cap.x.1. minum messis, ut mittat operarios in messem suam. Et convocatis Iesus XII.
discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos, et
curarent om|nem languorem et omnem infirmitatem. Fol.16.b
2. XXVIIII. Duodecim autem apostolorum nomina sunt haec. Primus Simon
3. qui dicitur Petrus, et Andreas frater eius, Iacobus Zebedei, et Iohannes fra-
ter eius, Filippus, et Bartolomeus, Thomas, et Mattheus publicanus, Iacobus
4. Alfei, et Iudas Zelotes, et Simon cananeus, et Iudas Scarioth qui tradidit eum.
5. Hos XII. misit Iesus, praecipiens eis et dicens: in viam gentium ne abieritis,
6. et in civitates Samaritanorum ne introieritis: sed ite potius ad oves perditas do-
7. mus Istrahel: euntes autem praedicate dicentes, quoniam adpropinquavit reg-
8. num caelorum: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemo-
9. nia eicite, gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum neque argen-
10. tum|neque pecuniam in zonis vestris: non peram in viam, neque duas tonicas(a), Fol.17.a
neque calciamenta, neque virgam in manibus vestris: dignus enim operarius
11. mercedem suam (b). In quacumque autem civitate introieritis, interrogate quis in
12. ea dignus est; et ibi manete, donec exeatis. Intrantes autem domum, salu-
13. tate eam dicentes, pax huic domui: et si fuerit domus illa digna, veniet pax
vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur.
14. Et quicumque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes
foris de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium
15. illis. Amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrae in die
16. iudicii, quam illi civitati. | Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum: Fol.17.b
17. estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Adtendite
autem vobis ab hominibus: tradent enim vos, in conciliis et in synagogis suis
18. flagellabunt vos, et ante reges et praesides stabitis propter me in testimonium
19. illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid lo-
20. quamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis,
21. qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem
frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent fili in parentes, et mor-
22. te eos adficient: et eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum: qui
autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. |
23. XXX. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Si au- Fol.18.a
tem et in illam persequentur vos, fugite et in aliam. Amen dico vobis, non con-
24. summabitis civitates Istrahel, donec veniat filius hominis. Non est discipulus su-
25. per magistrum, neque servus super dominum suum: satis est enim discipulo
ut sit sicut magister eius; et servus (c) sicut dominus ipsius. Si patremfamilias Bel-

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod.

zebul vocaverunt , quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos : nihil 26.
est enim opertum , quod non revelabitur ; et occultum , quod non scietur. Quod 27.
dico vobis in tenebris , dicite in lumine : et quod in aure auditis , praedicate super
tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus , animam autem non possunt oc- 28.
Fol.18.b cidere : sed potius eum time|te qui potest animam et corpus perdere in gehennam.
Nonne duo passeres asse veniunt (a), et unus ex illis non cadet in terram sine volun- 29.
tate patris vestri qui est in caelis? Sed et capilli capitis vestri numerati sunt 30.
omnes. Nolite ergo timere : multo vos meliores estis passeribus. Omnis er- 31.
go qui confitetur me coram hominibus , et ego confitebor eum coram patre meo 32.
qui est in caelis. Quicumque autem me negaverit coram hominibus , negabo et 33.
ego illum coram patre meo qui est in caelis. Nolite putare quia pacem veni 34.
mittere in terram : non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare 35.
filium adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam , et nurum contra
Fol.19.a socrum suam; et inimici hominis | domestici eius. 36.
XXXI. Qui amat patrem aut matrem super me , non est me dignus : et qui 37.
diligit filium aut filiam plus quam me , non est me dignus : et qui non acce- 38.
perit crucem suam et secutus me fuerit , non est mihi (b) dignus. Qui invenit 39.
animam suam , perdet illam : et qui perdiderit animam suam propter me , in-
veniet eam in vitam aeternam. Qui recipit vos , me recipit : et qui me recipit , 40.
recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae , mer- 41.
cedem prophetae accipiet : et qui recipit iustum in nomine iusti , mercedem iusti
accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigi- 42.
dae , tantum in nomine discipuli , amen dico vobis quoniam non peribit mercis
Fol.19.b (c) eius. | Et factum est cum consummasset Iesus praecepens (d) XII. discipu- Cap. XI. 1.
lis suis , transiit inde ut doceret et praedicaret in civitatibus eorum.
XXXII. Iohannes autem cum audisset in carcere opera Christi , mittens (e) 2.
discipulos suos ad eum dicens: tu es qui venturus es , an alium expectamus? 3.
Respondens autem Iesus ait illis : euntes renuntiate Iohanni quae audistis et vi- 4.
distis : caeci vident , claudi ambulant , leprosi mundantur , surdi audiunt , 5.
mortui resurgunt , et pauperes evangelizantur : et beatus erit qui in me non 6.
fuerit scandalizatus. Abeuntibus autem illis coepit Iesus dicere ad turbas de 7.
Iohanne baptista. Quid existis in desertum videre? harundinem a vento move-
Fol.20.a ri? Sed quid existis videre? hominem mollibus | vestimentis indutum? Ecce 8.
qui mollibus vestiuntur , in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? pro- 9.
phetam? dico autem vobis, etiam plusquam prophetam. Hic est enim , de quo 10.
scribtum est : ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam , qui praeparabit
viam tuam ante te. Amen dico vobis , non surrexit inter natos mulierum pro- 11.
pheta maior Iohanne baptista. Qui minor est autem in regno caelorum , maior
est illo. A diebus autem Iohannis baptistae usque nunc , regnum caelorum cogi- 12.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod.

tur : et qui vim faciunt, diripiunt illud. Omnis ergo lex et prophetae usque ad 13.
Iohannem profetaverunt. Et si vultis scire, ipse est Helias qui venturus est. 14.
Fol.20.b Qui habet aures audiendi, audiat. Cui autem simi|lem aestimabo generatio- 15.
nem istam? similis est pueris sedentibus in foro, et clamantibus ad invicem di- 16.
centes : cantavimus vobis, et non saltastis : lamentavimus vobis, et non plan- 17.
xistis. Venit enim Iohannes neque manducans neque bibens, et dicunt daemo- 18.
nium habet. Venit filius hominis manducans et bibens, et dicunt ecce homo vo- 19.
rax et vini potator, amicus publicanorum et peccatorum. Et iustificata est sa-
pientia a filiis suis.

XXXIII. Tunc coepit Iesus inproperare civitatibus, in quibus factae sunt 20.
plurimae virtutes eius, quod paenitentiam non egerint. Vae tibi Chorozain et 21.
Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in
Fol.21.a vobis, olim in cilicio et in cinere pae|nitentiam egissent. Verumtamen dico vo- 22.
bis, Tyro et Sidoni tolerabilius erit in die iudicii, quam vobis. Et tu Cafar- 23.
naum quae usque ad caelum exaltata es, usque ad infernum descendes : quia si in
Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque
in hodiernum diem. Verumtamen dico vobis, quia terrae Sodomorum tolerabi- 24.
lius erit in die iudicii, quam vobis.

XXXIIII. In illo tempore respondit Iesus dicens : confiteor tibi, pater do- 25.
mine caeli et terrae, qui abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et reve-
lasti ea parvolis (a). Ita, pater, quoniam sic fuit beneplacitum ante te. Omnia 26.
mihi tradita sunt a patre meo, et nemo agnoscit filium nisi pater, neque patrem 27.
Fol.21.b agnoscit quis nisi filius, et cui | voluerit filius revelare. Venite ad me omnes 28.
qui laboratis et qui onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite iugum meum su- 29.
per vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem
animis vestris : quia iugum meum suave est et, onus meum leve est. 30.

XXXV. In illo tempore transiebat (b) Iesus sabbatis per segetes : discipuli au- Cap. XII. 1.
tem eius esurientes coeperunt vellere spicas et manducare. Pharisaei autem vi- 2.
dentes illos dixerunt ei : ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sab-
batis. Iesus autem respondens dixit illis : non legistis quid fecerit David cum e- 3.
surisset ipse et qui cum illo erant? quomodo intravit in domum Dei, et panes 4.
Fol.22.a propositionis manducavit, quos non licebat ei manducare, neque his | qui cum
illo erant, nisi solis sacerdotibus? Nec hoc legistis in lege, quia sabbatis sacer- 5.
dotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? Dico autem vobis, 6.
quia sabbato maior est hic. Si enim sciretis quid est misericordiam volo quam 7.
sacrificium, numquam condemnassetis innocentes : dominus est enim sabbati fi- 8.
lius hominis. Et transiens inde Iesus venit in synagogam eorum. Et ecce e- 9.
rat homo ibi manum habens aridam, et interrogabant eum dicentes, si licet sab- 10.
batis curare, ut accusarent eum. Ipse autem dixit illis : quis ex vobis homo ha- 11.

(a) Ita cod. (b) Ita cod.

beus ovem unam, et si ceciderit sabbato in foveam, uonne adpraehendens levavit (a)
eam? quanto magis melior est homo ab (b) ove! Itaque licet sabbatis benefacere. | 12.
Fol.22.b Tunc ait homini, extende manum tuam: et extendit manum suam, et restituta 13.
est ei sicut et alia. Et exeuntes inde Pharisaei consilium fecerunt adversus eum, 14.
ut eum perderent. Iesus autem sciens, secessit inde. Et secutae sunt eum tur- 15.
bae multae, et sanavit illos; et comminatus est omnibus quoscumque curavit, 16.
ne eum manifestarent. Ut impleretur quod dictum est per Eseiam profetam di- 17.
centem: ecce puer meus, quem elegi; dilectus meus, iu quo bene complacuit 18.
anima mea. Ponam spiritum meum super eum, et iudicium gentibus nuutiavit. (c)
Non contendit (d), ueque clamabit, neque audiet quisquam vocem eius iu plateis: 19.
Fol.23.a aruudinem (e) quassatam non confringet, et linum fu|migantem (f) non extinguet: 20.
donec eiciat victoriam ad iudicium: et in nomine eius sperabunt gentes. Tunc 21.
oblatus est ei quidam homo daemonium habens caecus et surdus (g) et mutus, et cu- 22.
ravit eum, ita ut loqueretur, et audiret et videret. Et mirabantur omnes turbae 23.
dicentes: numquid hic est filius Dei? Pharisaei autem hoc audientes dixerunt: 24.
hic uon eicit daemonia nisi in Belzebul principe daemoniorum. Iesus autem sciens 25.
cogitationes eorum, dixit eis: omne regnum divisum contra se, desolabitur: et
omnis civitas vel domus divisa adversum se, non stabit. Si ergo satanas sata- 26.
uan eicit, adversum se divisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? Quod 27.
Fol.23.b si ego iu Belzebul eicio daemonia, filii ve|stri in quo eiciunt? Ideo ipsi indices
eruut vestri. Si autem iu spiritu Dei ego eicio daemonia, utique adpropiavit 28.
iu vos regnum Dei. Aut quis potest intrare in domum fortis, et vasa eius diri- 29.
pere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum eius diripiet? Qui non est 30.
mecum, contra me est; et qui mecum uon congregat, spargit. Ideo dico vobis 31.
quoniam omue peccatum et blasphemiae remittentur hominibus: qui autem in spi-
ritu sancto blasphemaverit, uon remittetur illi. Et quicumque dixerit verbum 32.
contra filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit adversus spiritum sanc-
tum, nou remittetur ei ueque iu hoc saeculo neque in futuro. Aut facite arbo- 33.
* Quat. IIII. rem bonam, et fructum eius bonum; aut facite arborem malam et fructum eius * |
Fol.24.a malum: nam ex fructu arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo po- 34.
testis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bouus 35.
homo, de bono thensauro boua profert: et malus homo, de malo thensauro mala
profert. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quodcumque locuti 36.
fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicii: ex verbis enim tuis ius- 37.
tificaveris (h) et ex verbis tuis condemuaveris.

XXXVII. Tunc respouderunt ei quidam ex scribis et Phariseis dicentes: 38.
magister volumus a te aliquod signum videre. Iesus autem respondeus ait illis: 39.

(a) Ita cod. *v* pro *b*. (b) Hebraismus ex praepositione מִן, quae comparativum format. Scimus autem Matthaei evangelium hebraica lingua fuisse primitus conscriptum. (c) Ita cod. *v* pro *b*. (d) Ita cod. (e) Ita cod. sine adspir. At retro cum adspir. (f) Ita cod. (g) Deest in vulg. *et surdus* (h) Ita cod. *v* pro *b*.

generatio mala et adultera signum quaerit, et signnm non dabitur ei nisi signum
40. Ionae profetae. Sicut enim Ionas fuit in ventre coeti tribus | diebus et tribus Fol.24.b
noctibus; sic erit et filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noc-
41. tibus. Viri ninevitae resurgent in iudicio cum generatione ista, et condemna-
bunt eam; quia paenitentiam egerunt in praedicatione Ionae: et ecce plus hic,
42. quam Ionas. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, et condem-
nabit eam; quia venit a finibus terrae audire sapientiam Solomonis: et ecce plus
43. hic quam Solomon. Cum autem spiritus inmundus exierit ab homine, vadit per
44. loca arida quaerens requiem et non inveniet. Tunc dicit: revertar in domum
meam, unde exivi: et veniens, si iuvenerit eam vacantem et scopis mundatam
45. et ornatam, tunc vadit et adsumit secum septem alios spiritos (a) nequiores quam
se: et | intrantes habitant in eum (b): et fiunt novissima hominis illius peiora ma- Fol.25.a
gis quam priora: sic enim erit generationi huic pessimae (c).
46. XXXVIII. Haec eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fratres stabant
47. foras quaerentes loqui cum eo. Dixit autem ei quidam: ecce mater tua et fra-
48. tres tui foris stant quaerentes loqui tecum. Ipse autem respondens dicenti sibi
49. ait: quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum suam
50. ad discipulos suos, dixit: ecce mater mea et fratres mei: quicumque enim fece-
rit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse meus et frater et soror et ma-
ter est.
Cap.XIII. XXXVIIII. In illa autem die egressus est Iesus de domo, et sedit iuxta ma-
1. 2. re: et congregata est ad illum turba multa, ita | ut naviculam ascenderet et se- Fol.25.b
3. deret: et omnes turbae stabant in litore. Et locutus est ad eos multa in pa-
4. rabolis dicens. Ecce exiit seminator seminans semen suum: et dum seminat,
quaedam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres caeli et comederunt ea:
5. quaedam autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebat terram multam, et con-
6. tinuo exorta sunt; et quia non habebant altitudinem terrae, sole orto aestua-
7. verunt; et quia radicem non habebant, aruerunt. Alia autem ceciderunt in
8. spinis; et creverunt spinae, et suffocaverunt ea. Alia vero ceciderunt in ter-
ram bonam, et dabant fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum aliud tri-
9. cesimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes | discipuli eius di- Fol.26.a
10. 11. xerunt ei: quare in parabolis loqueris ad eos? Quibus respondens dixit illis:
quoniam vobis datum est nosse arcana regni caelorum, illis autem non est da-
12. tum. Quicumque enim habet, dabitur ei et abundabit: qui autem non ha-
13. bet, etiam quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor illis, ut au-
dientes non audiant, et videntes non videant, et non intellegant, ne quando con-
14. vertantur et sanem illos. Et tunc inplebitur in illis prophetia Eseiae dicentis:
vade et dic populo huic: aure audietis, et non intellegetis: et videntes videbitis,
15. et non aspicietis: incrassatum est enim cor populi huius, et auribus suis gra-

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *pessime*.

viter audierunt, et oculos suos concluserunt, nequando videant oculis et auribus
Fol.26.b au|diant, et corde intellegant, et convertantur, et sanem illos. Vestri autem 16.
beati oculi qui vident, et aures vestrae quae audiunt. Amen dico vobis, quod 17.
multi prophetae(a) et iusti desideraverunt videre quae videtis, et non viderunt; et
audire quae vos audistis, et non audierunt. Vos ergo audite parabolam semi- 18.
nantis. Omnis qui audit verbum regni et non intellegit, venit malignus et rapit 19.
quod seminatum est in corde illius: hic est qui secus viam seminatus est. Qui 20.
autem supra petrosa loca seminatus est, hic est qui audit verbum, et confestim
cum gaudio excepit illum(b); et non habet radicem in se, sed est temporalis. 21.
Fol.27.a Facta autem tribulatione vel persecutione propter verbum, continuo scandali|za-
tur. Qui autem in spinis seminatus est, hic est qui verbum audit, et a sollicitudi- 22.
ne saeculi, et voluptas (c) divitiarum suffocat verbum; et sine fructu efficitur. Qui 23.
autem in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum et intellegit:
tunc fructum adferet, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesi-
mum, aliud vero tricesimum.

XL. Aliam parabolam proposuit illis dicens. Simile est regnum caelorum ho- 24.
mini seminanti bonum semen in agro suo. Et dormientibus hominibus venit i- 25.
nimicus, et superseminavit zizania in triticum, et abiit. Sed cum crevisset her- 26.
ba et fructum fecisset, tunc apparuit zizania. Accesserunt autem servi ad pa- 27.
Fol.27.b trem familias et dixerunt ei: domine, nonne bonum | semen seminasti in agro tuo?
unde ergo habet zizania? Qui ait illis: inimicus homo hoc fecit. Dixerunt 28.
ergo ei: euntes colligimus ea. Ait illis: nolite, ne forte colligentes zizania, e- 29.
radicetis simul et triticum. Sed sinite utraque crescere usque ad messem, et in 30.
tempore messis dicam messoribus meis, colligite primum zizania, et alligate fasci-
culos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. Aliam pa- 31.
rabolam locutus est ad eos dicens: simile est regnum caelorum grano sinapis, quod
accipiens homo seminavit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus se- 32.
minibus; cum autem creverit, maior est omnibus holeribus; et fit arbor talis, ita
Fol.28.a ut veniant volucres caeli et inhabitent in ramis eius. | Aliam parabolam locutus 33.
est eis dicens: simile (d) est regnum caelorum fermento, quod accepto (e) mulier
abscondit in farinam mensuris tribus, donec fermentatum est totum. Haec omnia 34.
locutus est Iesus in parabolis ad turbam; et sine parabolis non loquebatur il-
lis: ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: aperiam in para- 35.
bolis os meum; eructuabor absconsa ab initio saeculi. Tunc relictis turbis abiit 36.
in domum Iesus. Et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: enarra nobis pa-
rabolam tritici et zizaniorum et agri. Iesus respondens ait eis: qui seminat 37.
bonum semen, filius est hominis: ager autem, est hic mundus: bonum vero 38.
Fol.28.b semen, hii sunt fili regni: zizania autem, sunt fili maligni: inimicus au|tem qui 39.

(a) Ita cod. cum *ph*; at alibi saepe cum *f*. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Cod. *similem*. At retro *simile*. (e) Ita cod.

minavit ea, diabolus est : messis vero, consummatio est saeculi : messores autem,
eli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni conburuntur, sic erit in
mmatione saeculi huius. Mittit (a) filius hominis angelos suos, et congrega-
le regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent
amino ignis : ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt
u regno patris sui. Qui habet aures audiendi, audiat.
Iterum simile est regnum caelorum thensauro abscondito in agro, quem
no abscondit, et prae gaudio eius vadet, et vendet universa quae
uit agrum illum. Iterum simile est regnum caelorum homini nego-|
taerenti bonam margaritam : inveniens autem bonam margaritam, a- Fol.29.a
et vendidit quaecumque habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum
caelorum retiae missae in mare, quae ex omni genere piscium colliget. Cum au-
tem esset plena, eduxerunt eam ad litus, et sedentes eligerunt (b) optimos pisces
49. in vasis suis, malos autem proiciunt foras. Sic erit in consummatione saeculi;
50. exient angeli et separabunt malos de medio iustorum; et mittent eos in ca-
51. minum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium. Et ait illis Iesus : intellexistis
52. haec omnia? Dicunt ei, utique domine. Et ait illis : ideo omnis scriba doctus
in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thensauro suo
53. nova | et vetera. Et factum est cum consummasset Iesus parabolas istas, tran- Fol.29.b
54. siit inde. Et cum venisset in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum : ita
55. ut mirarentur et dicerent : unde huic tanta sapientia et virtutes? Nonne hic est
fabri filius Ioseph? nonne mater illius dicitur Maria? et fratres eius Iacobus et
56. Ioseph et Simon et Iudas? et sorores eius omnes nobiscum sunt? Unde ergo
57. huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis : non est
58. propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua. Et ideo non fecit ibi
Cap.XIIII virtutes multas propter incredulitatem illorum. In illo tempore audivit Herodes
1.
2. tetrarcha (c) famam Iesu : et dixit pueris suis : numquid hic est Iohannes baptista,
quem ego decollavi, | et ipse resurrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in Fol.30.a
eo?
3. XLII. Herodes enim adpraehensum Iohannem ligavit, et in carcerem misit
4. propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Iohannes : non
5. licet tibi habere eam. Et volens occidere illum, timuit populum, quia sicut
6. prophetam habebant eum. Die autem natalis Herodes, saltavit filia Herodiadis
7. in medio triclinio, et placuit Herodiadi (d). Unde eum iuramento pollicitus est ei
8. dare quodcumque postulasset ab eo. Ad illa praemonita a matre sua dixit : da
9. mihi in disco caput Iohannis (e) baptistae. Et contristatus est Herodes rex prop-
10. ter iuramentum; et propter simul recumbentes iussit dari. Misitque et decol-
11. lavit Iohannem in carcere : et ad|latum est in disco caput eius, et datum est Fol.30.b
12. puellae : puella autem attulit matri suae. Et accesserunt discipuli eius, et tu-

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *tetarcha.* (d) Ita cod. (e) Cod. *Iohannes.*

lerunt corpus eius, et sepelierunt illud; et venerunt, et nuntiaverunt Iesu.
Quo audito, Iesus secessit inde in navicula in locum desertum seorsum. Quo 13.
audito, turbae secutae sunt eum pedestrae (a) de civitatibus. Et exiens Iesus vidit 14.
turbam multam, et misertus est illis; et curavit infirmos eorum. Vespere au- 15.
tem facto, accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: desertus locus est, et hora
iam praeteriit: dimitte turbas, et euntes in castella emant sibi escas. Iesus au- 16.
tem dixit eis: non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt 17.
Fol.31.a ei: non habemus hic nisi quinque panes, et duos pisces. | Et ait illis Iesus ad- 18.
ferte eos ad me. Et cum iussisset turbam discumbere super faenum, et accep- 19.
tis quinque panibus et duobus piscibus aspiciens in caelum, benedixit fregit et
dedit discipulis suis, discipuli autem turbis: et manducaverunt omnes, et sa- 20.
turati sunt, et reliquias colligerunt (b) XII. cofinos plenos fragmentorum: man- 21.
ducantium autem fuit numerus quinque milia virorum, exceptis pueris et mulie-
ribus.

XLIII. Et statim Iesus iussit discipulis suis ascendere in navicula, et prae- 22.
cedere trans fretum, donec ipse dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit 23.
in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. Navicula autem 24.
iam in medio mari iactabatur a fluctibus: erat enim illis contrarius ventus.
Fol.31.b Quar|ta autem vigilia noctis venit ad eos Iesus ambulans supra mare. Videntes 25.
autem illum supra mare ambulantem, turbati sunt dicentes, quia fantasma est: 26.
et prae timore exclamaverunt. Statimque Iesus locutus est eis dicens: constan- 27.
tes estote, nolite timere, ego sum. Respondens autem ei Petrus, dixit: domi- 28.
ne, si tu es, iube me venire ad te super aquam. Ad ipse dixit, veni. Et des- 29.
cendens Petrus de navicula ambulabat super aquam ut veniret ad Iesum. Vi- 30.
dens vero ventum validum timuit: et cum coepisset mergi, clamavit dicens:
domine, salvum me fac. Et continuo Iesus extendens manum, adpraehendit 31.
eum, et ait illi: modicae (c) fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in navi- 32.
*Q. V. culam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, vene * * * 33.

* * * Cap. XVIII.

in montibus, et vadet quaerere eam quae erravit. Et si contegerit (d) ut 12. 13.
Fol.32.a inveniat eam, amen dico vobis, quod gaudebit in eam magis quam in nonagin-
ta novem quae non erraverunt. Sic non est voluntas ante patrem vestrum qui 14.
in caelis est, ut pereat unus ex pusillis istis.

LIII. Quod si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et 15.
ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audie- 16.
rit, adhibe tecum adhuc unum vel duos ut in ore duorum vel trium testium,
stet omne verbum. Quod si non audierit eos, referes ecclesiae. Si autem et ec- 17.
clesiam non audierit, sit tibi quasi ethnicus et publicanus. Amen dico vobis 18.
Fol.32.b quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et | in caelo: et quaecum-

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *modice*. (d) Ita cod.

19. que solveritis super terram, erunt soluta et in caelo. Iterum amen dico vobis,
quia si duobus ex vobis convenerit super terram de omni re quaecumque(a) petierint,
20. fiet illis a patre meo qui est in caelis. Ubi enim sunt duo vel tres congregati
21. in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum. Tunc accedens ad eum Petrus
dixit ei: domine, si peccaverit in me frater meus, quotiens dimittam ei? usque
22. septies? Dicit illi Iesus, non dico tibi usque septies, sed septuagies septies.
23. LIIII. Ideo dico vobis: simile habitum est regnum caelorum homini regi, qui
24. voluit rationem discutere cum servis suis. Et cum coepisset discutere, oblatus
25. est ei unus, qui debebat decem milia talenta. Cum autem non haberet unde
redderet, | iussit eum dominus eius venundari, et uxorem et filios eius et omnia Fol.33.a
26. quaecumque habebat, et reddi debitum. Procidens autem servus ille ad pedes
domini sui, orabat eum dicens: patientiam habe in me, domine, et omnia red-
27. dam tibi. Misertus est autem dominus servo illi; dimisit eum, et debitum re-
28. misit ei. Egressus autem servus ille invenit unum ex conservis suis qui debe-
29. bat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens redde quod debes. Et
procidens conservus eius, rogabat eum dicens: patientiam habe in me, et red-
30. dam tibi. Ille autem noluit, sed abiit et misit in carcerem, donec redderet ei
31. debitum. Videntes autem conservi eius quae fiebant, contristati sunt valde, et
32. venerunt et narraverunt domino suo omnia | quae facta erant. Tunc vocavit il- Fol.33.b
lum dominus suus, et ait illi: serve nequa, omne debitum remisi tibi quoniam
33. rogasti me; non ergo oportuit et te quoque misereri (b) conservo tuo, sicut et ego
34. tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quod ad
35. usque redderet universum debitum. Sic et vobis faciet pater meus qui est in
caelis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris delecta (c) eo-
Cap. rum. Et factum est cum consummasset Iesus sermones istos, transiit de Gali-
XVIIII. lea, et venit in finibus Iudaeae et trans Iordanen: et secutae sunt eum turbae
1.
2. multae, et curabit (d) eos.
3. LV. Et accesserunt ad eum Farisaei temptantes eum, et dicentes ei, si licet
4. homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Et respondens Iesus | di- Fol.34.a
xit: non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos, et di-
5. xit: propter hoc relinquit (e) homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae,
6. et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod er-
7. go Deus coniunxit in unum, homo non separet. Dicunt illi: quid ergo Moy-
8. ses mandavit dare librum repudii et dimittere? Ait illis: quoniam ad duritiam
cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras: ab initio autem non
9. fuit sic. Dico autem vobis: quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam
10. fornicationis, et aliam duxerit, moechatur. Dicunt ei discipuli eius: si ita
11. est causa viri cum uxore, non expedit nubere. Dixit autem illis: non omnes
12. ca|piunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim spadones, qui cas- Fol.34.b
trati sunt ab hominibus; et sunt spadones, qui se ipsos castraverunt propter

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. e pro f. (d) Ita cod. b pro v. (e) Ita cod.

regnum caelorum. Qui potest capere, capiat. Tunc oblati sunt ei infantes, 13.
ut manus eis inponeret et oraret. Discipuli autem eius prohibebant eos. Quibus 14.
Iesus ait: sinite infantes, et nolite prohibere eos ad me venire; talium enim est
regnum caelorum: et inposita illis manu (a), abiit inde.

LVI. Et ecce unus accessit ad eum, et ait illi: magister bone, quid boni 15.
faciam ut habeam vitam aeternam? Iesus vero dixit ei: quid me interrogas 16.
de bono? nemo est bonus, nisi unus Deus. Sed si vis in vitam aeternam venire,
Fol.35.a serva man|data. Dicit illi, quae? Iesus autem dixit ei: non occidis (b), non moeca- 17.
veris (c), non furtum facies, non falsum testimonium dicis: honora patrem tuum 18.
et matrem, et diligis proximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adulescens: om- 19.
nia haec custodivi a iuventute mea; quid adhuc mihi restat? Ait illi Iesus: si 20.
vis perfectus esse, vade vende bona tua, et da pauperibus, et habebis thensau-
rum in caelo; et veni, sequere me. Hoc audito iuvenis, abiit tristis: erat enim 21.
habens multas possessiones. Iesus autem dixit discipulis suis: amen dico vobis, 22.
quia difficile dives intrabit in regnum caelorum. Et iterum dico vobis: facilius 23.
est camellum (d) per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cae-
Fol.35.b lorum. Audientes autem | discipuli mirabantur valde dicentes: quis ergo poterit 24.
salvus esse? Aspiciens autem Iesus dixit illis: aput homines quidem hoc inpos- 25.
sibile est; aput Deum autem omnia possibilia sunt. Tunc respondens Petrus 26.
dixit ei: ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?
Iesus autem dixit illis: amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in rege- 27.
neratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super
duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Istrahel. Et omnes (e) quicumque 28.
reliquerit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut
filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam
Fol.36.a possidebit. | Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. 29.

LVII. Simile est autem regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit pri- Cap. xx. 1.
mo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum 2.
operariis ex denario diurno, misit eos operari in vineam suam. Et egressus circa 3.
horam tertiam invenit alios stantes in foro otiosos. Et dixit illis: ite et vos in 4.
vineam meam, et quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum 5.
exivit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter. Circa undecimam autem 6.
exiit, et invenit alios stantes otiosos, et dixit illis: quid hic statis otiosi tota
die? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Ait illis: ite et vos, operamini in 7.
Fol.36.b vineam meam, et quod | fuerit iustum, accipietis. Cum sero autem factum 8.
esset, dicit dominus vineae procuratori suo: voca operarios, et redde illis merce-
dem suam, incipiens a novissimis usque ad primos. Cum venissent ergo qui cir- 9.
ca undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem 10.
et primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi; acceperunt autem et ipsi sin-

(a) Cod. *manum*. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod.

11. gulos denarios. Et accipientes murmuraverunt adversus patremfamilias di-
12. centes: hi novissimi una hora fecerunt, et aequales illos nobis fecisti qui porta-
13. vimus pondus diei et aestum. Ad ille respondens uni eorum dixit: amice, non ti-
14. bi facio iniuriam: nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est,
15. et vade. Volo autem et huic novissimo | dare sicut et tibi. Aut non licet mi- Fol.37.a
hi quod volo facere in meis? aut oculus tuus nequa (a) est, quia ego bonus sum?
16. Sic ergo erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi enim sunt vocati,
pauci autem electi.
17. LVIII. Et ascendens Iesus Hierosolymis (b) adsumpsit XII. discipulos seorsim
18. in via, et ait illis: ecce ascendimus Hierosolyma, et filius hominis tradetur
19. principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte. Et tradent
eum gentibus ad deludendum eum et flagellandum et crucifigendum, et tertia
20. die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedei cum filiis suis adorans
21. et petens aliquid ab eo. Ipse autem dixit ei, quid vis? Ait illa: dic ut sedeant
hii (c) duo fili mei unus ad dexteram tuam et unus ad sini|stram tuam in regno tuo. Fol.37.b
22. Respondens autem Iesus dixit: nescitis quid petatis: potestis bibere calicem quem
ego bibiturus sum? aut baptisma quod (d) ego baptizor baptizari? dicunt ei, pos-
23. sumus. Et ait illis Iesus: calicem quidem meum bibetis, et baptisma quod ego
baptizor baptizari (e): sedere autem ad dextram meam vel ad sinistram, meum non
24. est dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo. Et audientes decem con-
25. tristati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocavit eos ad se, et ait: scitis
quia principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem ex-
26. ercent in eis. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior esse,
27. erit vester minister: et quicumque voluerit | inter vos primus esse, erit vester Fol.38.a
28. servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam
suam redemptionem pro multis (1). Vos autem quaeritis (f) de pusillo crescere,
et de maiore minores esse. Intrantes autem et rogati ad cenam, nolite discumbere
in locis eminentioribus, ne forte clarior te superveniat, et accedens qui ad cenam
vocavit te, dicat tibi: adhuc deorsum accede; et confundaris. Si autem in loco in-
feriori discubueris, et supervenerit humilior te, dicet tibi qui ad cenam vocavit,
adcede (g) adhuc susum (h): et erit tibi hoc utilius.
29. LVIIII. Et egredientibus illis ab Ierico, secuta est illum turba multa.
30. Et ecce duo caeci sedentes secus viam audierunt quod Iesus transit, et clamave-
31. runt dicentes: miserere nostri, Iesu | fili David. Turba autem increpabat eos Fol.38.b
ut tacerent. Ad (i) illi magis clamabant dicentes: domine, miserere nobis, fili Da-
32. vid. Et stetit Iesus, et vocavit eos ad se, et ait illis: quid vultis ut faciam
33. vobis? Dicunt ei, domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus est autem il-
34. lis Iesus, et tetigit oculos eorum: et confestim viderunt; et secuti sunt eum.

(a) Ita cod. ut retro. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. pro *quaeretis*. (g) Ita cod. (h) Archaismus pro *sursum*. (i) Ita cod.

(1) Exin omnia desunt apud vulgatum interpretem usque ad v. 29.

Et cum adpropiassent Hierosolymis , et venissent Bethfage in montem oliveti ; Cap.
LX. tunc Iesns misit duos ex discipulis suis dicens eis : ite in castellum XXI. 1.
quod contra vos est ; invenietis asinam alligatam et pullum eius cum ea : solvite 2.
et adducite mihi : et siquis vobis aliquid dixerit , dicite quia dominus operam 3.
eorum desiderat; et confestim demittit (a) eos. Hoc autem factum est ut adimple- 4.
Fol.39.a retur quod dictum | est per Zachariam prophetam dicentem : dicite filiae Sion : 5.
ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum novellum sub- 6.
iugalem. Exeuntes autem discipuli eius fecerunt sicut praecepit illis Iesus. Et 7.
adduxerunt asinam et pullum eius, et inposuerunt super eum vestimenta sua : Ie- 8.
sus autem ascendit et sedit super eum (b). Maior autem pars turbae substernebant
vestimenta sua in via ; alii autem caedebant (c) ramos de arboribus et substernebant
in via. Turbae autem , quae praecedebant et quae sequebantur , clamabant 9.
dicentes : osanna filio David ; benedictus qui venit in nomine Domini ; osanna in
excelsis Et cum intrasset Iesus Hierosolymis , commota est universa civitas di- 10.
Fol.39.b cens : quis est hic? | Multi autem dicebant , hic est Iesus propheta a Nazareth 11.
Galileae. Et intravit Iesus in templum Dei , et eiciebat omnes vendentes et 12.
ementes in templo , et mensas nummulariorum effudit , et cathedras vendentium
columbas evertit. Et dixit ad illos : scribtum est , domus mea domus orationis vo- 13.
cabitur ; vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et accesserunt ad illum 14.
caeci et clodi (d) in templum ; et sanavit illos. Videntes autem principes sacer- 15.
dotum et scribae mirabilia quae faciebat Iesus , et pueros clamantes in templo
et dicentes , osanna filio David , indignati sunt ; et dixerunt ei : audis quid isti 16.
dicunt ? Iesus autem dixit illis : utique non legistis " ex ore infantium et lacten-
* Q.VII. tium perfecisti laudem ? " *
LXI. Et relictis illis , abiit foris extra civitatem in Bethaniam , ibique man- 17.
sit. Mane autem transiens in civitatem , esuriit. Et videns arborem ficus se- 18.
cus viam , venit ad eam , et nihil invenit in ea nisi folia tantum. Et ait ad illam: 19.
numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et aruit continno ficulnea. Et 20.
videntes discipuli mirati sunt , dicentes , quomodo continuo aruit ficulnea ? Re- 21.
spondens autem Iesus dixit eis : amen dico vobis ; si habueritis fidem et non hae-
sitaveritis , non solum de ficulnea facietis ; sed et si monti hmc dixeritis , tolle (e)
et iacta te in mare , et fiet. Et omnia quaecumque petieritis in oratione cre- 22.
dentes , accipietis. Et cum venisset in templum , accesserunt ad eum principes 23.
Fol.40.b sacerdotum et seniores | populi dicentes : in qua potestate haec facis? et quis
tibi dedit hanc potestatem ? Respondens Iesus dixit illis : interrogabo vos et 24.
ego unum verbum; dicite mihi , et ego vobis dicam in qua potestate haec facio.
Baptismum (f) Iohannis unde erat ? de caelo an ex hominibus? illi autem cogitabant 25.
inter se dicentes : si dixerimus de caelo ; dicet nobis , quare ergo non credi- 26.
distis illi ? si autem dixerimus ex hominibus , timemus turbam : omnes enim Io-
hannem habebant sicut prophetam. Et respondentes ad Iesum dixerunt , nesci- 27.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *cedebant.* (d) Ita cod. ; ut apud Romanos *Clodius* pro *Claudius.* (e) Ita cod. (f) Ita cod.

28. mus. Ait illis Iesus: nec ego vobis dico in qua potestate haec facio. Qnid
autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios: et accedens ad primum
29. dixit illi, fili vade hodie operari in vi|neam. Ille autem respondens ait: non eo. Fol.41.a
30. Postea paenitentia motus abiit in vineam. Et accedens ad alterum dixit simi-
31. liter. Ad (a) ille respondens ait: eo, domine; et non abiit. Qnis ergo ex duo-
bus fecit patris voluntatem? Dicunt ei, novissimus. Dicit illis Iesus: amen dico
32. vobis quod publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei. Venit enim
ad vos Iohannes in viam iustitiae et non credidistis ei: publicani autem et me-
retrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec paenitentiam egistis postea, quod
(b) non credidistis ei.
33. LXII. Aliam parabolam audite. Homo quidam erat paterfamilias, qui plantavit
vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea lacum, et aedificavit in eam (c)
34. turrem, et locavit eam colonis, et | peregre profectus est. Cum autem ad- Fol.41.b
propinquasset fructuum tempus, misit servos suos ad colonos ut acciperent de
35. fructibus suis. Et coloni, adpraehensis servis, unum caeciderunt (d), alium autem
36. lapidaverunt, alium vero occiderunt. Iterum misit alios servos plures prioribus;
37. et fecerunt illis similiter. Novissime autem misit illis filium suum unicum di-
38. cens, forte verebuntur filium meum. Coloni autem videntes filium, dixerunt in-
tra se: hic est heres; venite occidamus eum, et habebimus hereditatem eius.
39. Et adpraehensum eum occiderunt, et eicierunt (e) extra vineam. Cum ergo venerit
40. dominus vineae, quid faciet colonis illis? Et dixerunt illi: malos male perdet,
41. et vineam suam locavit (f) aliis co|lonis, qui reddant ei fructos (g) temporibus suis. Fol.42.a
42. Dicit illis Iesus: numquam legistis in scribturis " lapidem quem reprobaverunt
" aedificantes, hic factus est in caput anguli? a domino factus est iste, et est
43. " mirabilis in oculis nostris "? Ideo dico vobis, quia tolletur a vobis regnum
44. Dei, et dabitur genti facienti fructum eius. Et qui ceciderit super lapidem
hunc, confringetur: super quem ceciderit (h) autem, sicut pulverem comminuet
45. eum. Et cum audissent principes sacerdotum et Farisei parabulas (i) eius, cog-
46. noverunt quod de ipsis diceret. Et quaerentes eum tenere, timuerunt turbas,
Cap. quoniam sicut prophetam eum habebant. Et respondens Iesus dixit illis iterum
XXII. 1. in parabulis. Simile est | regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias fi- Fol.42.b
2. 3. lio suo: et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et noluerunt ve-
4. nire. Iterum misit alios servos dicens: dicite invitatis, ecce prandium meum
paravi; tauri mei, et saginata mea occisa sunt, et omnia parata sunt: venite
5. ad nuptias. Illi autem neglexerunt, et abierunt alii in villas suas, alii vero ad
6. negotiationem suam: ceteri autem adpraehensos servos illius contumeliis adfec-
7. tos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et misit exercitum suum,
8. et disperdidit homicidas illos, et civitatem eorum succendit. Tunc dixit servis
suis: nuptiae quidem paratae sunt, sed qui vocati sunt, non fuerunt digni:

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Cod. *ceciderunt.* (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. ut retro. (h) Cod. *caeciderit.* (i) Ita cod.

Fol.43. a ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque | inveneritis, vocate ad nuptias. Et 9.
egressi servi eius in vias, congregaverunt omnes quoscumque invenerunt bonos 10.
et malos, et inpletae sunt nuptiae discumbentium. Intravit autem rex ut vi- 11.
deret discumbentes. Et vidit ibi hominem non vestitum vestem nuptialem; 12.
et ait illi: amice, quomodo huc introisti non habens vestem nuptialem? Ad il-
le ommutuit. Tunc dixit rex ministris: tollite eum manibus et pedibus, et 13.
mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium: multi 14.
autem sunt vocati, pauci vero electi.

LXIII. Tunc abierunt Farisei, et consilium fecerunt ut caperent eum in 15.
verbo. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: magister, sci- 16.
Fol.43.b mus quia verax es, | et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de ali-
quo; non enim respicis in personas hominum. Dic ergo nobis quid tibi vi- 17.
detur; licet censum dare Caesari, aut non? Cognita autem Iesus nequitia eo- 18.
rum, dixit: quid me temptatis, hypocritae? ostendite mihi nomisma (a) census. 19.
Ad illi optulerunt ei denarium. Ait illis Iesus: cuius est imago haec et super- 20.
scribtio? Dicunt ei, Caesaris. Tunc dixit illis Iesus: reddite ergo quae sunt 21.
Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. His autem auditis, mirati sunt; et 22.
relicto eo, recesserunt.

LXIIII. In illa die accesserunt ad eum Sadducei, qui dicunt non esse re- 23.
surrectionem. Et interrogaverunt eum dicentes: magister, Moyses dixit, si quis 24.
Fol.44.a mortuus fuerit non habens filios, ut ducat frater eius uxorem illius, | et susci-
tet semen fratris sui. Erant ergo aput nos septem fratres: et primus uxorem 25.
duxit, et mortuus est, et non habens semen, et reliquid (b) uxorem suam fratri suo.
Similiter et secundus et tertius usque ad septimum. Novissime autem omnium et 26.
mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septem uxor? omnes enim 27.
eam habuerunt. Respondens Iesus dixit illis: erratis nescientes scribturas, 28.
neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubunt neque nubuntur (c), 29. 30.
sed sunt sicut angeli in caelo. De resurrectione autem mortuorum non legis- 31.
tis quod dictum est vobis a Deo dicente: ego sum Deus Abraham et Deus 32.
Fol.44.b Isac et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum sed vivorum. Et cum | audis- 33.
sent turbae, mirabantur in doctrina eius. Farisei autem audientes quod si- 34.
lentium inposuit Sadduceis, congregati sunt adversus eum. Et interrogavit 35.
unus ex his legis doctor temptans eum et dicens: magister quod mandatum maxi- 36.
mum est in lege? Ait illis Iesus diliges dominum Deum tuum in toto corde tuo 37.
et in tota anima tua et in tota mente tua: hoc est magnum et primum man- 38.
datum. Secundum vero simile huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum. 39.
In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae. Congregatis autem Fa- 40.
riseis, interrogavit eos Iesus dicens: quid vobis videtur de Christo? cuius fi- 41.
lius est? Dicunt ei David. Ait illis: quomodo ergo David in spiritu vocat eum 42.
Fol.45. a dominum | dicens: dixit dominus domino meo, sede ad dextris meis; donec po- 43.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod.

44. nam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo David in spiritu vocat eum do-
45. minum, quomodo ergo filius eius est? Et nemo poterat respondere illi ver-
bum; neque ausus est quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Cap. LXV. Tunc Iesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos dicens: su-
XXIII. 1. per cathedram Moysis sederunt scribae et Farisei: omnia ergo quaecumque di-
2. xerint vobis, servate et facite; secundum facta vero eorum nolite facere: dicunt
3. 4. enim, et ipsi non faciunt: allegant (a) enim onera gravia et inponent (b) super
5. umeros (c) hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero opera sua
faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim fy|lacteria sua, et magnificant Fol. 45. b
6. fimbrias vestimentorum suorum: amant autem primos discubitos (d) in conviviis,
7. et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab homi-
8. nibus rabbi. Vos vero ne vocemini rabbi; unus est magister vester: nam vos
9. omnes fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est e-
10. nim pater vester, qui in caelis est. Nec vocemini magistri, quoniam magister
11. vester unus est Christus. Qui vult maior in vobis esse, erit vester minister.
12. Quicumque autem exaltaverit se, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exalta-
bitur.

13. LXVI. Vae vobis, scribae et Farisei hypocritae, quoniam cluditis (e) regnum
caelorum ante homines! vos enim | non introitis, nec introeuntes siuitis introire. Fol. 46. a
14. Vae vobis, scribae et Farisei hypocritae, qui devoratis domos viduarum occa-
15. sione prolixae orationis! Pro hoc accipietis maius iudicium. Vae vobis scribae et
Farisei hypocritae, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum (f)!
16. et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennae, duplo quam vos. Vae vobis,
duces caeci! qui dicitis, quicumque iuraverit in templum, nihil est; qui au-
17. tem iuraverit in auro (g) templi, debitor est. Stulti et caeci, quid enim maius
18. est aurum, aut templum quod sanctificat aurum? Et quicumque iuraverit in
altario (h), nihil est: sed quicumque iuraverit in dono quod est super illud, debi-
19. tor est. Caeci! quid | enim maius est donum, aut altare quod sanctificat donum? Fol. 46. b
20. Qui ergo iuraverit per altare, iurat et per omnia quae super illud sunt:
21. et qui iuraverit per templum, iurat in illo, et in eo qui habitat in ipso: et qui
22. iuraverit per caelum, iurat per thronum Dei et per eum qui sedet super ipsum.
23. Vae vobis, scribae et Pharisei hypocritae, qui decimatis mentam et anetum et
cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, iudicium et misericordiam et
24. fidem! Haec autem oportuerat facere, et illa non omittere. Duces caeci liquan-
25. tes culicem, camellum autem glutticntes (i)! Vae vobis, scribae et Pharisei hypo-
critae, quia mundatis quod deforis est calicis et parabsidis, intus autem plena
26. sunt rapina et intem|perantia! Phari|saee caece, munda prius quod intus est
27. calicis et parabsidis (k), ut fiat id quod deforis est, mundum. Vae vobis, scri- Fol. 47. b
bae et Pharisei hypocritae, quoniam similes estis monumentis dealbatis, quae a

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. sine adspir., ut apud Frontonem. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Cod. *proelytum*. (g) Ita cod. (h) Ita cod., quamquam paulo post scribitur *altare*. (i) Ita cod. cum duplici *t*, ut apud Frontonem. (k) Ita cod.

foris apparent hominibus speciosa; intus vero plena sunt ossibus mortuorum et om-
ui spurcitia. Sic et vos a foris quidem videmini hominibus iusti, intus autem 28.
pleni estis fincta (a) simulatione et iniquitate. Vae vobis, scribae et Pharisei hy- 29.
pocritae, quia aedificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta iusto-
rum, et dicitis quia si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus so- 30.
cii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonium perhibetis vobis, quia 31.
Fol.47.b fili estis eorum | qui occiderunt prophetas. Et vos inplete mensuram patrum 32.
vestrorum. Serpentes generatio viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehen- 33.
nae? Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis 34.
occidetis et crucifigitis (b) et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini eos
de civitatem (c): ut veniat super vos omnes sanguis iustus, qui effusus est super 35.
terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae fili Barachiae, quem
occidistis inter templum et altarem (d). Amen dico vobis, haec omnia venient super 36.
istam generationem.

LXVII. Hierusalem Hierusalem, quae occidis prophetas et lapidas missos 37.
* Q.viii. ad te, quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat * | pullos suos
Fol.48.a sub alas suas, et noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Di- 38.
co autem vobis, quia non me videbitis a modo, donec dicatis benedictus qui ve- 39.
nit in nomine Domini.

LXVIII. Et egressus Iesus de templo ibat: et accesserunt discipuli eius, Cap. XXIIII. 1.
ut ostenderent ei structuram templi. Ipse autem respondens dixit illis: videtis 2.
haec omnia? amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qni non
destruatur. Sedente autem illo in montem (e) oliveti, accesserunt ad eum discipu- 3.
li eius secreto dicentes: domine, dic nobis quando haec erunt, et quod signum
adventus tui et consummationis saeculi? Quibus respondens Iesus dixit: vi- 4.
dete ne quis vos seducat ullo modo; multi enim venient in nomine meo dicen- 5.
Fol.48.b tes, ego sum Christus; et multos se|ducent. Audietis enim pugnas et opinio- 6.
nes procliorum: sed videte ne turbemini: oportet enim haec fieri; sed nondum
est finis. Surget enim gens contra gentem, et regnum super regnum: et erunt 7.
fames et pestes et terrae motus (f) per loca singula. Omnia autem haec initia 8.
sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulatione, et occident vos, et eri- 9.
tis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et scandalizabuntur multi, 10.
et invicem se tradent, et odient (g) invicem. Et multi pseudoprophetae insurgent, 11.
et multos seducent; et quia abundabit iniquitas, refrigescit (h) caritas mul- 12.
torum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et prae- 13. 14.
Fol.49.a dicabitur hoc evangelium regni per totum orbem in testi|monium omnibus gen-
tibus; et tunc veniet fines (i). Cum ergo videritis abominationem desolationis, 15.
quod dictum est per Danielum (k) prophetam, stans (l) in loco saneto, qui legit in-
tellegat; tunc qui in Iudaea sunt, fugiant in montibus (m): et qui in tecto, non 16. 17.
descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro, non revertatur tolle- 18.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Cod. *terremotus*. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Ita cod. (k) Ita cod. (l) Cod. *sans*. (m) Ita cod.

19. re(a) tonicam suam. Vae praegnantibus (b) et nutrientibus in illis diebus ! Orate
20. autem ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato: erit autem tuue tribulatio mag-
21. na, qualis non fuit ab initio saeculi usque modo, ueque fiet. Et nisi breviati
22. fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos meos brevia-
23. buntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut ecce | il- Fol.49.b
24. lic; nolite credere. Multi enim exsurgent pseudoprophetae, et dabunt signa
magna et prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri possit, etiam electos
25. meos. Ecce praedixi vobis. Si autem dixerint vobis, ecce in deserto est, no-
26. nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim in fulgor exit
27. ab oriente et paret usque ad occidentem, ita erit adventus fili hominis. Ubi-
28. cumque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilae. Statim autem post tribula-
29. tionem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et
30. stillae(c)cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur. Et tunc parebit
signum fili hominis in caelo. Et tunc lamentabunt se omnes tribus terrae, et vi-
debunt filium ho|minis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiesta- Fol.50.a
31. te. Et mittit (d) angelos suos cum tuba et voce magna: et congregabunt electos
eius a quattuor ventis a summis caelorum usque ad extremis (e) illorum. Cum coe-
perint autem haec fieri, respicite et adlevate capita vestra, quoniam adpropinqua-
32. bit redemptio vestra. A fici autem arbore discite parabulam. Cum iam ra-
33. mus illius fuerit tener et folia nata fuerint, cognoscitis prope esse aestatem: sic
34. et vos cum videritis haec omnia fieri, scitote quoniam prope est in ianuis. Amen
35. dico vobis, quia non praeteribit haec generatio, donec haec omnia fiant. Cae-
36. lum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. De die autem illo
37. et hora nemo scit, neque ange|li in caelis, neque filius, nisi pater solus. Sicut Fol.50.b
38. autem in diebus Noe, ita erit adventus fili hominis. Sicut enim erat in diebus il-
lis ante dilluvium (f), manducabant et bibebant et nubebant et nuptui tradebant,
39. usque in eum diem quo introivit Noe in arcam, et non senserunt donec venit
40. dilluvium et tulit omnes; ita erit adventus fili hominis. Tunc erunt duo in agro;
41. unus adsumetur, et alter relinquetur. Duo molentes ad mola (g); una adsumetur,
42. et una relinquetur. Duo in lecto; unus adsumetur, et alius relinquetur. Vi-
43. gilate ergo, quia nescitis qua hora dominus vester venturus est. Illud autem
scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venit, vigilaret utique et
44. non sineret perfodiri (h) domum suam. Ideo et vos estote parati, quia | nescitis qua Fol.51.a
45. hora filius hominis venturus est. Quisnam est fidelis servus et prudens, quem
46. constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum et (i) in tempore? Beatus
47. ille servus, quem veniens dominus eius inveniet sic facientem. Amen dico vobis,
48. quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus ille ser-
49. vus in corde suo, moratur dominus meus venire; et incipiet percutere conservos
50. suos; manducet autem et bibat cum ebriosis; veniet autem dominus servi illius

(a) Ita cod. (b) Cod. *pregn.* (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Ita cod.

in die qua non sperat, et hora qua (a) ignorat, et dividet eum, partemque eius 51.
ponit (b) eum hypocritis: illic erit fletus et stridor dentium.
LXVIIII. Tunc semilabitur (e) regnum caelorum decem virginibus, quae ac- Cap.
Fol.51.b ceperunt lampades suas, et exierunt obviam sponso et spon|sae. Quinque autem XXV. 1.
ex eis erant fatuae, et quinque prudentes. Sed fatuae acceptis lampadibus suis, 2. 3.
non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis cum 4.
lampadibus suis. Mora (d) autem sponso faciente, dormitabant omnes et dormie- 5.
runt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venet (e), exite obviam 6.
ei. Tunc surrexerunt omnes illae virgines, et acceperunt lampades suas. Fa- 7.
tuae autem sapientibus dixerunt, date nobis de oleo vestro, quia lampades nos- 8.
trae extinguntur. Et responderunt prudentes (f) dicentes, ne forte non sufficiat 9.
nobis et vobis; ite potius ad eos qui vendunt, et emite vobis. Et dum eunt e- 10.
Fol.52.a mere, venit sponsus; et quae paratae erant intrave|runt cum eo in nuptias; et clau-
sa est ianua. Postea veniunt reliquae virgines dicentes, domine domine, aperi 11.
nobis. Ad (g) ille respondens dixit, amen dico vobis, quia nescio vos. Vigilate 12.
itaque quia nescitis diem neque horam. Sicut enim homo peregre afuturus vo- 13. 14.
cavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam; et uni quidem dedit quin- 15.
que talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam vir-
tutem, et profectus est. Continuo autem abiit ille qui quinquem (h) talenta accepe- 16.
rat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter autem et 17.
qui duo accepit, lucratus est et ipse alia duo. Qui autem unum accepit ta- 18.
lentum, abiit effodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Post multum 19.
Fol.52.b vero temporis ve|nit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et 20.
accessit qui quinque talenta acceperat, et obtulit alia quinque dicens: domine,
quinque talenta mihi tradidisti, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi 21.
dominus suus: euge bone serve et fidelis, quia super pauca fidelis fuisti, super
multa constituam te, intra in gaudium domini tui. Accessit autem et qui duo 22.
talenta acceperat, et ait: domine, duo talenta mihi tradidisti, ecce alia duo lu-
cratus sum. Et ait illi dominus suus: euge bene serve et fidelis, quia super 23.
pauca fidelis fuisti, super multa constituam te, intra in gaudium domini tui. Ac- 24.
cedens autem et qui unum talentum acceperat ait: domine, sciebam te quia ho-
mo durus es, et metis ubi non seminasti, et colligis ubi non sparsisti: timens 25.
Fol.53.a er|go abii et abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. Res- 26.
pondens autem dominus eius dixit ei: serve nequa (i) et piger, sciebas quia meto
ubi non seminavi, et colligo ubi non sparsi: oportuit ergo te dare pecuniam 27.
meam nummularus; et ego veniens cum usuris recepissem quod meum est. Tol- 28.
lite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Omni enim ha- 29.
benti, dabitur et abundabit: ei qui autem (k) non habet, etiam quod habet aufe-
retur ab eo. Et nequam (l) servum proicite foris in tenebras exteriores: illic erit 30.
fletus et stridor dentium.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Cod. *prod.* (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod. (i) Ita cod. (k) Ita cod. pro *autem qui.* (l) Ita cod.; quamquam alibi constanter *nequa.*

31. LXX. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli
32. cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae: et congregabun|tur ante Fol.53.b
cum omnes gentes, et separabit eos ab iuvicem, sicut pastor segregat oves ab hedis,
33. et statuit oves ad (a) dextris suis, hedos autem a sinistris. Tunc dicit rex his qui
34. ad (b) dextris eius sunt: venite benedicti patris (c) mei, possidete paratum vobis
35. regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis (d) mihi manducare; siti-
36. vi, et dedistis mihi bibere; hospis (e) eram, et suscepistis me; nudus, et coope-
37. ruistis me; infirmus, et visitastis me; in carcerem (f) fui, et venistis ad me. Tunc
respondebunt ei iusti dicentes: domine, quando te vidimus esurientem, et pa-
38. vimus? aut sitientem, et potavimus? Quando autem te vidimus hospitem, et sus-
39. cepimus? aut nudum, et operuimus? vel quando te vidimus infirmum, et in
40. carcerem, et ve|nimus ad te? Et respondens rex dicit illis: amen dico vobis, Fol.54.a
41. quando fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et his
qui a sinistris eius sunt: discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, quem
42. paravit pater meus diabolo et angelis eius. Esurivi enim, et non dedistis mihi
43. manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; hospis (g) eram, et non suscepis-
tis me; nudus eram, et non cooperuistis me; infirmus et in carcerem, et non
44. visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes: domine, quando te vi-
dimus esurientem aut sitientem aut hospitem aut nudum aut infirmum vel in car-
45. cerem, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit eis dicens: amen dico
46. vobis, quamdiu non fecistis | uni de minimis his, nec mihi fecistis. Et tunc Fol.54.b
Cap. ibunt isti in ignem aeternum; iusti autem in vitam aeternam. Et factum est cum
XXVI. consummasset Iesus omnia verba haec, dixit ad discipulos suos: scitis quoniam
1. 2. 3. post biduum pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc con-
gregati sunt principes sacerdotum et scribae et seniores populi in atrium prin-
4. cipis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt ut Iesum dolo
5. tenerent et occiderent: dicebant autem, non in die festo, ne tumultus in po-
pulo fieret.
6. LXXI. Cum autem esset Iesus in Betania in domo Simonis leprosi, acces-
7. sit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput eius,
8. recumbente | ipso. Quod cum vidissent discipuli, indignati sunt dicentes, ut Fol.55.a
9. quid perditio haec? potuit enim hoc veniri (h) pretio, et dari pauperibus. Quod
10. ut cognovit Iesus, ait illis: quid molesti estis mulieri? opus enim bonum opera-
ta est in me: semper enim pauperes habetis vobiscum, me autem non semper
11. 12. habetis vobiscum. Haec enim mittens unguentum hoc in corpus meum, ad se-
13. peliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc evan-
14. gelium in toto orbe, narrabitur et quod fecit, in memoriam ipsius. Tunc abiit
15. unus de duodecim, qui dicitur Iudas Scarioth (i), ad principes sacerdotum, et ait
illis: quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? Ad illi constituerunt ei trigin-

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *patres.* (d) Cod. *dedisti.* (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita etiam in fragmentis iuris vaticanis a me editis p. 2, et in inscriptione vetere apud basilicam s. Mariae transtiberinam legitur *veto veniri.* (i) Cod. heic *Carioth*; sed retro *Scarioth.*

Fol.55.b ta state|res argenteos. Et exinde quaerebat oportunitatem (a) ut eum traderet eis. 16.
Prima autem die azimorum accesserunt (b) discipuli ad Iesum dicentes, ubi vis pa- 17.
remus tibi pascha manducare? Ad ille dixit, ite in civitatem ad dinan (c), et dici- 18.
te ei: magister dicit, tempus meum prope est, aput te facio pascha cum discipu-
lis meis. Et fecerunt discipuli sicut praecepit illis Iesus, et paraverunt pascha. 19.
LXXII. Vespere autem facto, discubuit cum duodecim discipulis suis. Et 20.
manducantibus illis, dixit: amen dico vobis, quia unus vestrum tradet me. Et 21.
contristati nimis coeperunt singuli dicere, numquid ego sum, domine? Quibus 22. 23.
respondens dixit: qui intinget mecum manum in parabsidem (d), hic me tradet. Fi- 24.
Fol.56.a lius | quidem hominis vadit, sicut scribtum est de illo: vae autem homini illi, per
quem filius hominis tradetur! bonum erat homini illi, si non fuisset natus. Re- 25.
spondens autem Iudas, qui traditurus eum erat, dixit: numquid ego sum, rabbi?
ait illi Iesus, tu dixisti. Ipsis autem cenantibus, Iesus accepit panem, et bene- 26.
dixit, et fregit, dedit discipulis suis dicens: accipite manducate; hoc enim est
corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: accipite 27.
et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro mul- 28.
tis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, amodo non bibam 29.
de hac creatura vitis usque in illum diem, cum illud bibam vobiscum novum in
Fol.56.b regno patris | mei. Et hymno dicto, exierunt in montem oliveti. 30.
LXXIII. Tunc dicet (e) illis Iesus: omnes vos scandalum patiemini in me in is- 31.
ta nocte: scribtum est enim " percutiam pastorem et dispargentur oves gregis ".
Sed postquam resurrexero, praecedam vos in Galileam. Respondens autem Petrus 32.
dixit illi: etsi omnes scandalizabuntur in te, ego autem numquam scandalizabor. 33.
Dicet (f) illi Iesus: amen dico tibi, quod hac nocte, ante quam gallus cantet, ter 34.
me negabis. Dicit illi Petrus: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. 35.
Similiter et omnes discipuli dixerunt. Tunc venit cum illis Iesus in agro, qui 36.
dicitur Gessamani, et dixit discipulis suis: sedete hic, donec eam illuc orare. Et 37.
Fol.57.a adsumpto Petro et duobus filiis Zebedei, coe|pit contristari et mestus (g) esse. Tunc 38.
dicit illis Iesus: tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et vigilate,
mecum. Et progressus pusillum procidit in faciem orans et dicens: pater meus, 39.
si fieri potest, transeat a me calix iste: sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu
vis. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes: et dicit Petro, sic 40.
non potuistis una hora vigilare mecum? vigilate et orate ne intretis in temptatio- 41.
nem. Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. Iterum secundo abiit et o- 42.
ravit dicens: pater, non potest hoc poculum transire donec illum (h) bibam?
fiat voluntas tua. Et venit iterum, et invenit eos dormientes: erant enim oculi il- 43.
Fol.57.b lorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, et ora|vit tertio, eumdem sermo- 44.
nem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, et ait illis: dormite iam et requiesci- 45.
te; ecce adpropiavit hora, et filius hominis traditur in manus peccatorum: sur- 46.
gite, eamus; ecce adpropiavit qui me tradet. Adhuc ipso loquente, ecce Iudas 47.

(a) Ita cum unica *p* etiam in aliis mss. a me observatis. (b) Ita cod. pro *azym.* (c) Hellenismus ex δεῖνα. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod.

uuus de duodecim venit, et cum eo plurima turba cum gladiis et fustibus missi a
48. principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem eum tradidit illis, sig-
49. num dedit dicens, quem ego osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim
50. accedens ad Iesum dixit, habe (a) rabbi; et osculatus est eum. Cui dixit Iesus,
amice, ad quod venisti? Tunc accesserunt, et manus iniecerunt in Iesum, et te-
51. nuerunt eum. Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesu, extendens | manum, et Fol.58.a
exemit gladium suum, et percussit servum principis sacerdotum, et abscidit au-
52. riculam eius. Tunc ait illi Iesus: converte gladium tuum in locum suum: om-
53. nes enim, qui gladium utuntur (b), in gladio peribunt. Aut putas non posse me mo-
do rogare patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim milia legiones an-
54. gelorum? Quomodo ergo implebuntur scribturae, quia sic oportet fieri? In illa
55. hora dixit Iesus ad turbas: quasi ad latronem venistis cum gladiis et fustibus con-
prehendere me: cottidie apnt vos sedebam in templo docens, et non me tenuistis.
56. Hoc antem totum factum est ut implerentur scribturae prophetarum. Tunc dis-
57. cipuli eius omnes, relicto eo, fugerunt. Illi autem tenen|tes Iesum duxerunt ad Fol.58.b
58. Caifam principem sacerdotum, ubi scribae et seniores convenerant. Petrus autem
sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum, et ingressus intus
59. sedebat cum ministris, ut videret exitum rei. Principes autem sacerdotum et u-
niversum concilium quaerebant falsum testimonium adversum Iesum, ut eum mor-
60. ti traderent; et non invenerunt exitum rei. Et cum multi falsi testes venissent,
non invenerunt in eum quicquam. Novissime autem venerunt duo falsi testes,
61. et dixerunt: audivimus hunc dixisse, possum destruere templum hoc Dei et post
62. triduum illud reaedificare. Et exsurgens princeps sacerdotum dixit illi: nihil re-
63. spondes ad ea quae isti adversus te testificantur? | Iesus autem tacebat. Et re- Fol.59. a
spondens princeps sacerdotum dixit illi: adiuro te per Deum vivum, dicas nobis
64. si tu es Cristus filius Dei. Et dixit illi Iesus, tu dixisti: amen dico vobis, amo-
do vedebitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis et venientem in nubi-
65. bus caeli. Tunc princeps sacerdotum conscindit vestimenta sua dicens, blasphe-
66. mavit; quid adhuc indigemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid
67. vobis videtur? Et illi responderunt omnes et dixerunt, reus est mortis. Tunc ex-
puerunt in faciem eius, et colafis eum caeciderunt (c): alii autem palmas in faciem
68. eius dederunt dicentes, profeta nobis, Christe, qui est qui te percussit. Petrus
69. autem sedebat foris in atrio. Et accessit ad eum | una ex ancillis, et dixit: Fol.59.b
70. et tu cum Iesu galileo eras. Ad ille negavit coram omnibus dicens, nescio
71. quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant
72. ibi: et hic erat cum Iesu nazareno. Et iterum negavit cum iuramento dicens,
73. quia nescio hominem. Et post pusillum accesserunt qui ibi stabant, et dixerunt
74. Petro, vere ex illis es tu; nam et loquela tua similis est illi. Tunc coepit devota-
75. re et iurare, quia non novi hominem. Et statim gallus cantavit. Et rememoratus

(a) Ita cod. pro *ave*. Et sic scribit etiam ·M· Aurelius caesar in codice romano Fronton. ed. rom. p. 20. n. c. (b) Ita cod. Et quidem alia exempla sunt huius syntaxeos. (c) Cod. *cecid*.

est Petrus verbi Iesu, quod dixerat, prius quam gallus cantet, ter me negabis:
et egressus foras, amarissime ploravit. Mane autem cum factum esset, consilium Cap.
Fol.60.a acceperunt omnes principes sacerdotum | et seniores plebis adversum Iesum ut mor- XXVII.
ti traderent eum. Et vinctum eum adduxerunt, et tradiderunt Pontio Pilato prae- 1. 2.
sidi. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quia iudicatus est, paenitentia duc- 3.
tus retulit triginta stateres principibus sacerdotum et senioribus dicens: peccavi, 4.
quod tradiderim sanguinem iustum. Ad illi dixerunt ei, quid ad nos? tu videris. 5.
Et proiectis argenteis in templo, secessit, et laqueo se suspendit. Tunc princi- 6.
pes sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt, non licet eos mittere in corbam
quia pretium sanguinis est. Consilio autem accepto inter se, emerunt agrum figuli
in sepultura peregrinorum. Propter hoc cognominatus est ager ille acheldemach, |
Fol.60.b quod est ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc adimpletum est quod 9.
dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: " acceperunt triginta stateres pre-
tium adpretiati, quod adpretiaverant fili Istrahel, et dedernut eos in agrum fi- 10.
guli, sicut constituit mihi Dominus ". Iesus autem stetit ante praesidem. Et in- 11.
terrogavit eum praeses dicens, tu es rex Iudaeorum? Dixit ei Iesus, tu dicis. Et 12.
cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondebat. Tunc 13.
dicit ei Pilatus, non audis quanta adversus te testificantur? Et non respondit 14.
ei ullum verbum, ita ut miraretur Pilatus vehementer. Per diem autem sollem- 15.
Fol.61.a nem consueverat praesis (a) dimittere populo unum | vinctum quem voluissent. Ha- 16.
bebant autem vinctum insignem, qui vocabatur Barabbas. Congregatis autem il- 17.
lis, dixit Pilatus ad eos: quem vultis vobis dimittam? Barabbam, aut Iesum qui
dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradiderunt eum. Sedente au- 18.
tem illo pro tribunali, misit ad illum uxor eius dicens: nihil sit tibi et illi iusto: 19.
multa enim passa sum hodie propter eum per visum. Princeps autem sacerdotum 20.
et seniores persuaserunt populo ut peterent Barabbam, Iesum vero perderent. 21.
Respondens autem praesis, ait illis: quem vultis de duobus vobis dimittam? Ad il-
li dixerunt, Barabbam. Dicit illis: Pilatus: quid ergo faciemus Iesum (b) qui dicitur 22.
Fol.61.b Christus? Dicunt omnes, crucifigatur. Ait illis praesis: quid enim | mali fecit? 23.
Ad illi magis clamabant dicentes, crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil 24.
profecit, sed magis tumultum fieri; accepta aqua, lavit manus suas coram omni
populo dicens: innocens ego sum a sanguine huius iusti; vos videritis. Respon- 25.
dens omnis turba dixit: sanguis eius super nos et super filios nostros. Tunc di- 26.
misit illis Barabbam; Iesum autem flagellis caesum tradidit eis ut eum crucifige-
rent. Tunc milites praesidis suscipientes Iesum in praetorio, congregaverunt ad 27.
eum universam cohortem. Et exuentes (c) illum, induerunt eum tunicam purpuream, 28.
et chlamydem coccineam circumdederunt ei: et coronam de spinis inposuerunt super 29.
Fol.62.a caput eius: et arundinem in dexteram eius: | et genu posito ante eum, deludebant
eum dicentes: habe (d) rex Iudaeorum. Et expuebant in eum. Et acceperunt arundi- 30.
nem, et percutiebant capud (e) eius. Et postquam inluserunt eum, spoliaverunt eum 31.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Cod. *exeuntes*. (d) Ita cod. ut supra. (e) Ita cod., ut *inquid* in aliis mss.

chlamydem et vestem purpuream, et induerunt eum vestimenta sua, et duxerunt
32. cum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem quirineum venientem
33. obviam sibi, nomine Simonem. Hunc angariaverunt ut tolleret crucem eius. Et ve-
34. nerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariae locus. Et dederunt ei
35. acetum bibere cum felle mistum; et cum gustasset, noluit bibere. Post quam au-
tem crucifixerunt eum, diviserunt sibi vestimenta eius, sortem mittentes: ut in|ple- Fol.62.b
retur quod dictum est per prophetam: diviserunt sibi vestimenta mea, et super ves-
36. timentum meum miserunt sortem. Et sedentes servabant eum. Et posuerunt su-
37. per caput eius causam eius scribtam haebreice (a) graece et latine: hic est Iesus rex
38. Iudaeorum. Tunc crucifixerunt cum eo duo latrones, unum a dextris et unum
39. ad (b) sinistris. Transeuntes autem, blasphemabant eum, moventes capita sua,
40. et dicentes: va qui destruebas templum et in triduo illud reaedificabas; salvum te
41. fac, si filius Dei es, et descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum
42. deludentes eum cum scribis et Fariseis, dicebant: alios salvos fecit, se ipsum
non potest salvare. Si rex Istrahel est, | descendat nunc de cruce, et credimus Fol.63.a
43. ei. Si confidet (c) in Deo, liberet nunc eum, si vult eum; disit enim quia filius
44. Dei sum. Id ipsud (d) autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, inproperabant ei.
45. Ab hora autem sexta tenebrae factae sunt super universam terram usque in hora
46. nona (e). Circa autem horam nonam exclamavit Iesus voce magna dicens: Eli Eli la-
47. mazapthani: hoc est, Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti? Quidam au-
48. tem illic stantes et audientes dicebant: Heliam vocat iste. Et continuo currens
unus es eis, accepta spungia (f), inplevit aceto, et inposuit in arundine, et dabat
49. ei bibere. Ceteri vero dicebant: sine videamus, si veniet Helias, et salvabit
50. eum. Iesus autem | exclamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum Fol.63.b
51. templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terrae motus (g) factus
52. est magnus, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora
53. sanctorum dormientium surrexerunt: et exeuntes de monumentis post resurrec-
54. tionem eius venerunt in sanctam civitatem, et multis apparuerunt. Centurio au-
tem et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terrae motu et his quae fiebant,
55. timuerunt valde dicentes: vere filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres
multae a longe videntes, quae secutae fuerunt Iesum a Galilea ministrantes illi:
56. inter quas erat Maria Magdalenae (h) et Maria Iacobi et Ioseph mater, et mater | Fol.64.a
57. filiorum Zebidei (i). Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab
58. Arimatia nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pila-
59. tum, et petit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit dari corpus. Et cum accepisset
60. Ioseph corpus Iesu, involvit illud in siudone munda, et posuit eum (k) in monu-
mento suo novo quod exciderat in petra: et advolvit saxum magnum ad ostium mo-
61. numenti, et discessit. Erant autem ibi Maria Magdalenae, et alia Maria seden-
62. tes contra sepulchrum. Altera autem die, quae est post parasceven, convenerunt

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. supra et infra. Aliter tamen p. 287. (h) Ita cod. (i) Ita cod. (k) Ita cod.

principes sacerdotum et Pharisei ad Pilatum dicentes : rememorati sumus quod 63.
Fol.64.b seductor ille dixit, cum adhuc viveret, post tertium diem resurgam. | Iube 64.
ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius,
et furentur eum, et dicant plebi, surrexit a mortuis : et erit novissimus error pe-
ior priori (a). Ait illis Pilatus : habetis milites; ite, custodite sicut scitis. Illi 65.
autem exeuntes cum custodibus munierunt sepulchrum et signaverunt lapidem. 66.
Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalenae et Cap. XXVIII. 1.
altera Maria videre sepulchrum.
LXXIIII. Et ecce terrae motus factus est magnus : angelus enim Domini des- 2.
cendit de caelo, et accedens revolvit lapidem ab osteo (b), et sedebat super eum.
Et erat aspectus eius sicut fulgor (c), et vestimenta eius candida sicut nix. A timo- 3. 4.
Fol.65.a re autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt | velut mortui. Respondens 5.
autem angelus dixit mulieribus : nolite timere vos : scio enim quia Iesum, qui cru-
cifixus est, quaeritis : non est hic : surrexit enim sicut dixerat : venite et vide- 6.
te locum, ubi positus erat Dominus. Sed cito ite, et dicite discipulis eius quia 7.
surrexit, et praecedet vos in Galileam : ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis. Et 8.
exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno occurrentes nuntiare
discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis dicens, habete (d). Illae autem accesse- 9.
runt, et amplexaverunt pedes eius, et adoraverunt eum. Tunc ait illis Iesus : 10. 11.
nolite timere; ite et nuntiate fratribus meis quia praecedo vos in Galileam, et ibi
me videbitis. Quae cum abissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civita-|
Fol.65.b te (e), et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quae facta sunt. Et congre- 12.
gati cum senioribus consilium acceperunt, et pecuniam magnam dederunt militibus,
et dixerunt illis : dicite quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum no- 13.
bis dormientibus. Et si hoc audierit praesis, nos persuademus (f) ei, et securos 14.
vos faciemus. Ad (g) illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant instructi. Et divul- 15.
gatum est verbum hoc apud Iudaeos usque in hodiernum diem. Undecim autem 16.
discipuli abierunt in Galileam in montem ubi constituerat illis Iesus. Et cum vi- 17.
dissent eum, adoraverunt : quidam autem dubitaverunt. Et accedens Iesus lo- 18.
Fol.66.a cutus est est eis dicens : data est mihi omnis potestas in cae|lo et in terra. Eun- 19.
tes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus
sancti : docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego 20.
vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHEUM (h) EXPLICIT.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Ita cod. pro *avete*. (e) Ita cod. (f) Ita cod. (g) Ita cod. (h) Ita cod. sine diphthongo.

IULIUS PARIS

LICINIO CYRIACO SUO SALUTEM.

Exemplorum conquisitionem cum scirem esse non minus disputantibus quam declamantibus necessariam, decem Valerii Maximi libros dictorum et factorum memorabilium ad unum volumen epitomae coegi; quod tibi misi, ut et facilius invenires si quando quid quaereres, et apta semper materiis exempla subiungeres.

FINIT EPISTULA.

(1) Capitulorum hic index a subsequente opere non semel discrepat.

(2) Cod. *diligentius*; sed infra recte suo loco *licentius*.

EXPLICITA CAPITULA.

IULII PARIDIS
EPITOMA DECEM LIBRORUM
VALERII MAXIMI.

LIBER PRIMUS
CAP. I.
DE RELIGIONE SERVATA (a).

1. Decem principum filii senatus auctoritate singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traditi sunt.

2. Cereri, quam more graeco venerari instituerant, sacerdotem Calliphanam ·P·C· a Velia (b) oppido petierunt, quod nondum in civitatem romanam receperant.

3. Tumultu gracchano ex libris sibyllinis Hennam (c) decem viri missi Cererem propitiaverunt.

4. Metellus pontifex maximus Postumium cos· eundemque flaminem martialem ad bellum gerendum proficiscentem, urbe egredi passus non est, ne caerimoniis Martis desertis, inauspicato bellum committeretur.

5. Figulus et Scipio Nasica consulatu se abdicaverunt, quod Ti. Gracchus animadvertisse se dixerat, comitiis consularibus vitio tabernaculum captum.

6. P· Coelius Siculus, ·M· Cornelius Cethegus, ·C· Claudius, propter exta parum curiose aris admota, flaminio (d) abierunt.

7. Q· Sulpicius inter sacrificandum, e capite sibi apice delabso (e), sacerdotium deposuit.

8. Fabius Maximus dictaturam, ·C· Flaminius (f) magisterium equitum, omiserunt (g), occentu soricis audito (h).

9. P· Licinius P· M· virginem vestalem per lictorem flagro admonuit, quod quadam nocte parum diligens ignis aeterni custos fuisset.

10. Aemiliae virginis vestalis discipula, extincto igne, cum adorasset Vestam, carbasum foco superiecit, ex quo subitus ignis emicuit.

11. Honoris ac Virtutis simulacra (i) ·M· Marcellus separatis aedibus statuit;

(a) Perperam in cod. additur *aut neglecta*. (b) Cod. *Vela*. (c) Cod. *Rennam*. (d) Cod. *flamonio*. (e) Ita cod. 1: manu; at 2. *delapso*. Sic et alibi. (f) Cod. *Flamonius*. (g) Ita cod 2. manu; at 1. *dimiserunt*. (h) Cod. addit *per lictorem*. Sed verba *per lictorem* sine dubio tralaticia sunt ex sequentibus. Et quidem Valerius iis caret hoc loco; (i) Cod. *simul causa*.

a collegio pontificum impeditus, quominus unam cellam duobus deis dicaret: futurum enim, si quid prodigii in ea accidisset, ne dinosceretur, utri rem divinam fieri oporteret.

12. L. Furius Bibaculus cum esset praetor, sex lictoribus praecedentibus ancilia tulit, quamvis vacationem huius officii, honoris beneficio, haberet.

13. Urbe a Gallis capta, cum flamen quirinalis, virginesque vestales sacra, onere partito, ferrent; L. Albanius plaustro domesticos vehens, conspecto flamine, descendere suos iussit, receptisque sacris, virgines Caere pervexit: et quia summam venerationem Caeretani sacris praestiterant, cautum ut sacra, caerimoniae dicerentur.

14. C. Fabius Dorsuo Capitolium obsidentibus Gallis, ne statum fabiae gentis sacrificium interrumperet, gabino cinctus per medias hostium stationes in quirinalem collem pervenit: atque inde, sacrificio peracto, in Capitolium rediit, admirantibus Gallis.

15. Post cannensem cladem decrevit senatus, ne matronae ultra tricesimum diem luctus extenderent, ut ab his sacra Cereris peragi possent.

CAP. II.

DE CONTEMPTA RELIGIONE.

1. Varro cos. apud Cannas cum Carthaginiensibus infeliciter conflixit ob iram Iunonis, quia cum ludos circenses aedilis ederet, in Iovis tensa eximiae formae puerum histrionem ad exuvias (a) tenendas imposuerat.

2. Ambivium histrionem Potitiorum familiarem (b) Hercules intra annum interemit (c), quod impulsu Appii Claudii morem sacrorum servos publicos edocuisset. Appius luminibus captus est.

3. Apollo Carthagine a Romanis oppressa, veste aurea nudatus id egit, ut sacrilegae manus inter fragmenta eius abscisae invenirentur.

4. Brennus Gallorum dux Delphis Apollinis templum ingressus, dei voluntate in se manus vertit.

5. Aesculapius cum templum (d) in consecrato sibi luco haberet, effecit ut Carvilius praefectus M. Antonii in luco ipsius a Caesaris militibus occideretur; quod is ad naves M. Antonio faciendas, lucum succiderat.

6. Q. Fulvius Flaccus cum in censura (e) tegulas marmoreas ex templo Iaciniae

(a) Ita optime codex. Iamque mendum in Valerio *excubias* ita corrigitur, ut olim suspicatus videtur Perizonius. (b) Ita cod. 1. manu; at 2. *familiae*. Dissidet autem a Valerio Paris. (c) Cod. *interiit*. (d) Cod. *contemptum* pro *templum*. (e) Cod. *in censum*.

Iunonis sublatas Romam in aedem Fortunae equestris transtulisset, mentis factus est dubiae; cuius casu motus senatus tegulas Locris (a) reponendas curavit.

7. Pleminius legatus Scipionis cum thensaurum Proserpinae spoliasset, iussus ab ea Romam pertrahi, in carcere taeterrimo morbi genere consumptus est, pecunia senatus consulto remissa.

8. Pyrrhus, coactis Locrensibus ex thensauro Proserpinae pecuniam sibi dare: cum onustus navigaret subita tempestate tota cum classe vicinis deae litoribus inlisus est, et ita pecunia recepta est.

9. Amsinus (b) Masinissa rex cum a praefecto classis suae dentes eboreos eximiae magnitudinis accepisset sublatos e templo Iunonis ex insula Melita, cognito sacrilegio, deae remisit.

10. Dionysius Siciliae tyrannus, fano Proserpinae Locris (c) spoliato, cum secundo vento navigaret, videtis ne, inquit, amici, quam bona navigatio sacrilegis detur?

11. Idem detracto Iovi olympio amiculo aureo, quo eum Hiero tyrannus ornaverat, impositoque laneo pallio, dixit: aestate, aurum grave; hieme frigidum esse; lanam ad utrumque tempus aptiorem.

12. Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi iussit, dicens: turpe id ei, cum pater eius levis conspiciatur.

13. Idem mensas argenteas et aureas e fanis tollens, quod erat more Graecorum inscribtum (d) BONORUM DEORUM, uti se bonitate eorum praedicabat.

14. Idem victorias aureas et pateras et coronas, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur tollens; accipere se, non auferre, dicebat.

15. Timasitheus liparensis crateram (e), quam Romani Pythio Apollini miserant interceptam a piratis curavit Delphos perferendam.

16. Milesia (1) Ceres, Mileto ab Alexandro capta, milites qui templum spoliaturi inruperant, flamma obiecta privavit oculis.

17. Persae (f) mille navium numero Delum conpulsi (g), templo Apollinis religiosas potius manus quam rapaces adhibuerunt.

18. Athenienses Protagoram philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorare se an di essent; deinde si sint, quales.

19. Iidem Socratem damnaverunt, quod novam religionem introducere videbatur.

(a) Cod. *locis*. (b) Ita cod. Sed videtur mendum pro *at non similiter*, ut est in Valerio. (c) Cod. *Locri*, elisa *s* ob seq. (d) Ita cod. i. menn; at s. *inscrip*. Id ipsum alibi saepe factum. (e) Cod. *creterram*. (f) Cod. *praensae*. (g) In cod. post *compulsi* autem additur mendose *complexi*.

(1) Ab hoc loco usque ad capitis IV. finem, Valerius Maximus quum lacuna laboraret, ope fragmenti epitomae huius ab Aldo utcumque reparatus olim fuit.

20. Iidem Phidiam tulerunt quamdiu marmore potius quam ebore Minervam fieri debere dicebat, quod diutius nitorem mansurum (a): sed ut adiecit, et vilius, tacere iusserunt.

21. Diomedon unus e decem ducibus, quibus Argennusae eadem pugna et victoriam et damnationem pepererunt, cum ad iam meritum supplicium duceretur, nihil aliud locutus est, quam ut vota pro incolumitate exercitus ab ipso nuncupata solverentur.

CAP. III.

DE SIMULATA RELIGIONE.

1. Numa Pompilius, ut populum romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum dea Aegeria congressus esse nocturnos, eiusque monitu se quae acceptissima deis immortalibus sacra forent, instituere.

2. Scipio Africanus non ante ad negotia privata vel publica ibat, quam in cella Iovis capitolini moratus fuisset: et ideo Iove genitus credebatur.

3. L. Sylla quotiens proelium committere destinabat, parvum Apollinis signum Delphis sublatum in conspectu militum conplexus orabat uti promissa maturaret.

4. Q. Sertorius per asperos Lusitaniae colles cervam albam trahebat; ab ea se quaeuam aut agenda aut vitanda essent, praedicans admoneri.

5. Minos Cretensium rex novo anno in quemdam praealtum et vetusta religione consecratum specum secedere solebat, et in eo moratus, tamquam ab Iove (1), quo se ortum ferebat, traditas leges perrogabat.

6. Pisistratus in reciperanda tyrannide, quam amiserat, simulatione reducentis se in arcem Minervae est usus; cum per ostentationem ignotae mulieris, quae Phye (b) vocabatur, formatae ad habitum deae Athenienses deciperet.

7. Lycurgus consilio Apollinis gravissimae civitati Lacedaemoniorum (c) leges compositas ferre se persuasit.

8. Zaleucus sub nomine Minervae apud Locrenses prudentissimus habitus est.

9. Bacchanalium sacrorum mos novus institutus, cum ad perniciosam vaesaniam (d) iret (e), sublatus est.

(a) Fragm. ed. *nitor esset mansurus*. (b) Cod. *Fye*. (c) Cod. *Lacaedem*. ut apud Cic. de rep. Alibi tamen idem codex Paridis *Lacedaem*. (d) Ita cod. cum dipth. (e) Male fragm. ed. *iretur*

(1) Graece ὡς παρὰ Διός, quod Hieronymus in chronico eusebiano *ut Paradius* interpretabatur, memorando sphalmate a criticis iamdiu coarguto.

10. Lutatius Cereo (a), qui primum punicum bellum confecit a senatu prohibitus est sortis Fortunae praenestinae adire. Auspiciis enim patriis, non alienigenis, rem publicam administrari iudicabant oportere.

11. Cn. Cornelius Hispalus praetor peregrinus, ·M· Pompilio Laenate. ·L· Calpurnio cos., edicto Chaldaeos circa (b) decimum diem abire ex urbe atque Italia iussit, levibus et ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quaestuosam mendaciis suis caliginem inicientes.

12. Idem Iudaeos (1), qui Sabazi (c) Iovis cultu romanos inficere mores conati erant, repetere domos suas coegit.

13. L. Aemilius Paulus cos. cum senatus Isidis et Serapis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum adtingere auderet, posita praetexta, securem arripuit, templique eius foribus inflixit.

CAP. IIII.

DE AUSPICIO.

1. L. Tarquinius rex centuriis equitum, quas Romulus auspicato conscripserat, alias adicere cupiens; cum ab Atto Navio augure prohiberetur, offensus interrogavit, an id fieri possit quod animo cogitaret? Eo, augurio capto, posse fieri dicente; iussit novacula cotem discindi: qua Attus adlata, administrato incredibili facto, effectum suae professionis (d) oculis regiis subiecit.

2. Ti. Gracchus cum ad res novas moliendas pararetur, auspicia domi prima luce petiit; quae illi perquam tristia responderunt: et ianua egressus ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur. Tres deinde corvi in eum adversum occinentes, partem tegulae decussam ante ipsum propulerunt. Quibus omnibus contemptis, a Scipione Nasica pontif. max. decussus Capitolio fragmento subsellii victus (e) procubuit.

3. P. Claudius bello punico primo, cum proelium navale committere vellet, auspiciaque more maiorum petisset, et pullarius non exire cavea pullos nuntiasset, abici eos in mare iussit; dicens, quia esse nolunt, bibant.

4. L. Iunius ·P· Claudii collega, neglectis auspiciis, classem tempestate amisit; damnationisque ignominiam voluntaria morte praevenit.

5. Cum Metellus ·P·M· Tusculanum petens iret, corvi duo in os eius

(a) Deest *Cereo* in fragm. ed. (b) Fragm. ed. *intra*. (c) Ita cod. 1. manu; at 2. *Zabasi*. (d) Cod. *perfectionis*. (e) Ed. fragm. *ictus*.

(1) De Iudaeis tacebat mendose codex ille, ex quo Aldus supplementa sua petebat. (Nisi forte Aldus ipse typographus peccavit.) Nunc codex vaticanus quum Iudaeis hanc religionem tribuat, multo magis apparet *Sabazium* dici pro *Sabaoth*, veri Dei apud Iudaeos nomine. Notemus praeterea tempus primae apud Romanos adversus verum Dei cultum persecutionis.

adversum, veluti iter inpedientes, advolaverunt; vixque extuderunt, ut domum rediret. In sequenti nocte aedis Vestae arsit; quo incendio Metellus inter ipsos ignis raptum palladium incolume servavit.

6. M. Ciceroni mors imminens auspicio praedicta est. Cum enim in villa caletana (a) esset, corvus in conspectu eius horologii ferrum loco motum excussit, et protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togae eo usque morsu tenuit, donec servus milites ad eum occidendum venisse nuntiaret.

7. M. Brutus, cum reliquias exercitus sui adversus Caesarem et Antonium eduxisset, duae aquilae ex diversis castris advolaverunt, et edita inter se pugna, ea quae a parte Bruti fuerat, male fugit mulcata.

8. Cum rex Alexander urbem in Aegypto constituere vellet, architectus Dinocrates (b) cum cretam non haberet, polentaque futurae urbis liniamenta deduxisset, ingens avium multitudo proximo (c) lacu emersa, polentam depasta est: quod sacerdotes Aegyptiorum interpretati sunt, convenarum frequentiae alimentis suffecturam urbem.

9. Deiotarus, aquila conspecta, abstinuit se eius tecti usu, quod in sequenti nocte corruit. (1)

CAP. V.

DE OMINE.

1. Urbe a Gallis disiecta, cum Veios ·P·C· deliberarent transire, forte centurio, cohortibus redeuntibus, in comitio exclamavit, signifer statue signa, hic optime manebimus. Accepto omine, senatus omisit consilium Veios transeundi.

2. Camillus cum esset precatus, ut sicui (d) deorum nimia felicitas ·P·R· videretur, in ipsius incommodum caderet, subito procidit labsu (e).

3. L. Paulus cos. cum ei sorte obvenisset ut bellum cum rege Perse gereret, domum regressus, filiam Tertiam osculans, tristem animadvertit. Interrogavit, quid ita eo vultu esset? Quae respondit, Persam perisse: decesserat autem catellus hoc nomine, quem puella in deliciis habuerat.

4. Caecilia Metelli dum sororis filiae adultae aetatis nuptiale petit omen, ipsa fecit. Namque puella mora standi fessa, rogavit materteram ut sibi

(a) Ita cod. vat. et alii; non *caietana*. (b) Cod. *Dinocr.* (c) Cod. *primo*. (d) Cod. *siqui*. (e) Ita cod. 1. manu; at 2. *lapsu*.

(1) Perperam in codice hoc est primum exemplum de omine. Id ipsum mendum in plerisque omnibus Valerii exemplaribus videbat Aldus.

loco cederet. Cui illa, ego vero, inquit, libenter tibi mea sede secedo: quod accidit; non multo enim post, defuncta Caecilia, Metellus puellam duxit.

5. Marius a senatu hostis iudicatus animadvertit asellum, cum ei pabulum adponeretur, neglecto eo, ad aquam procurrentem. Quo spectaculo motus, accepta a Minturnensibus nave, Africam petit.

6. Pompeius magnus victus a Caesare, et in insulam Cyprum transvectus, animadvertit in litore speciosum aedificium, gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset? qui respondit Κατωβασιλέα (a) quae vox spem eius quantulamcunque minuit.

7. M. Brutus post parricidium in Caesarem admissum, natalem suum celebrans, cum graecum versum vellet exponere, hunc potissimum dixit: ἀλλά με μοῖρ᾽ ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός. Eo autem die quo perit in castris, Caesaris militibus signum Apollinis est datum.

8. Petilius cos. in Liguria bellum gerens, cum montem nomine Letum (b) obpugnaret (c), inter adhortationem militum dixit, hodie ego Letum capiam. Nec longius processit omen; inconsideratius enim proeliando, fortuitum vocis prolatum leto suo confirmavit.

9. Samii Prienensibus auxilium adversus Cares petentibus, in derisu sibyllam (d) miserunt, hanc pro exercitu ac classe (e) offerentes: qua duce usi Prienenses bellum consummaverunt.

10. Apolloniatae bello illyrico pressi Epidamnios ut sibi opem ferrent oraverunt, qui fluvium Aeanta se eis in adiutorium missuros dixerunt. Omine accepto Apolloniatae, Deo veluti duce, praesentius vicerunt (1).

CAP. VI.

DE PRODIGIIS.

1. Cum Ser. Tullio dormienti caput ardere visum esset, Tanaquil admirata, et ut filium educavit, et ad regium fastigium evexit.

2. L. Marcii ducis cum in Hispania capite ignis concionantis eluxisset (f) post mortem duorum Scipionum Publii et Cnaei, resumptis animis miles ita prospere pugnavit, ut victor exsisteret.

(a) Recte fortasse. Significat enim veluti *detractum solio regem*. At Valerius probabilius κακοβασιλέα *malum* (vel *infelicem*) *regem*. Quamquam lectio apud Valerium quoque variat. (b) Codex *Letum*; sed recte idem mox *Letum*. (c) Sic 1. manu; at 2. *opp*. (d) Ita cod. et etiam pars codicum editionumque Valerii. Editus tamen volgo *cymbula*; quae videtur longe rectior lectio. Verum si retines *sibyllam*, intellige fatidicam quandam feminam. (e) Cod. *ad classe*. Num ergo *ad classem*? (f) Cod. *fluxisset*.

(1) Legesis par exemplum apud Diodorum siculum in excerptis vat. p. 13.

3. Obsidentibus Romanis Veientes, lacus albanus subito solitum stagni modum excessit: datumque responsum, fore ut is vinceret, qui aquam emissam per agros diffudisset: quod quia idem Veientium haruspex a milite romano captus praedixerat, congruente sorte vaticinio, emissus a Romanis lacus causa (a) veientanae captivitatis fuit.

4. L. Sylla inter sacra, visa serpente, Postumii haruspicis monitu, exercitu educto, Samnites fudit fugavitque secundo punico bello.

5. CN. Domitii (1) bos locutus fertur: cave tibi, romane.

6. C. Flaminius inauspicato cos. creatus, cum apud lacum Thrasimenum cum Hannibale conflicturus esset, convelli signa iussit. Et labso equo super caput eius, ipse prostratus est. Itaque pugnae eius exitus saevissimus fuit.

7. C. Mancino cos. in Hispaniam ituro, pulli e cavea pullari avolaverunt. Item vox audita ab Herculis portu talis: MANCINE, MANE. Qua territus, cum itinere Genuam petisset, et ibi scapham esset ingressus, in ea anguis eximia magnitudine visa (b), e conspectu abiit. Itaque numerum prodigiorum, calamitatium (c) numero aequavit, infelici pugna, turpi foedere, deditione funesta.

8. Ti. Gracchus cos. cum in Lucania sacrificaret, duae angues prolabsae, adeso hostiae iocinere (d), abierunt. Quod cum perfecissent, tamen Gracchus non cavit, ne perfidi hospitis Flavi insidiis in eum locum deduceretur, in quo Poenorum dux Mago cum armata manu delituerat.

9. M. Marcellus Syracusarum captivitate, et Hannibalis ab urbe Nola fuga clarus, cum in hostia prima iecur sine capite invenisset, in secunda biceps, tamen sibi non cavit: nam cum paucis egredi ausus speculator (e), circumventus periit.

10. Octavius cos. dirum omen quemadmodum timuit, ita vitare non potuit. E simulacro enim Apollinis per se abrupto capite, et ita infixo humo ut avelli nequiret, armis cum collega suo dissidens Cinna, praesumpsit animo ea re significari exitium suum.

11. M. Crasso ducturo a Charris adversus Parthos exercitum, paludamentum pullum traditum est pro albo aut purpureo: milites taciti ad principia convenerunt: aquilarum altera vix convelli a primipilo potuit, altera aegerrime extracta, in contrariam ac ferebatur partem se ipsa convertit.

12. CN. Pompeio ultimam belli civilis fortunam experiri proponenti adversa agmini eius fulmina ciciderunt: apum examinibus signa obscurata: ab ipsis altaribus, hostiarum fuga facta.

13. Belli civilis die, quod inter C. Cesarem ac Pompeium fuit, in delu-

(a) Cod. *casus*. (b) Val. *visus*. Sic idem infra masc. gen. (c) Ita cod., ut *civitatium*. (d) Ita cod. (e) Mallem *speculatum*.

(1) Silet hunc hominem Valerius.

bris deorum sua sponte signa conversa sunt : militaris clamor, strepitusque armorum magnus Antiochiae et Ptolemaide (a) auditus : sonus tympanorum Pergami editus : palma viridis Trallibus (b) in aede Victoriae sub Caesaris statua inter coagmenta lapidum enata.

14. In exercitu Xerxis equae partu leporem editum constat, ut dissimilis exitus initiis portenderetur.

15. Xerxes montem Athon transgressus inter convivia infusum patera vinum, in sanguinem versum imaginatus est.

16. Midae dormienti adhuc puero formicae in os tritici grana congesserunt. Itaque augures feruntur respondisse, omnium illum mortalium futurum divitissimum.

17. Platonis dormientis adhuc parvuli os apes melle impleverunt (c) : qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore eius manaturam dixerunt.

CAP. VII.

DE SOMNIIS.

1. Divi Augusti medicus Artorius vidit in somnis uti Augustus quamvis aeger in bellum abiret : fuisse autem eam quae iusserit, Minervam. Itaque lectica delatus in bellum, periculum, quod passurus fuerat, effugit. Illo enim bello castra eius a Bruto capta sunt.

2. P. Decius et T. Manlius Torquatus cos. idem somnium viderunt, ut cuius exercitus laboraret in bello, sese pro eo devoveret. Itaque accidit, ut Decii Muris cornu pulsum ab hostibus cederet. Tum somniis satis facturus dux pro exercitu se devovit : et cum ipse perisset, exercitui causa victoriae fuit.

3. T. Latinius e plebe iussus in somnis a Iove senatui nunciare, ut coss. ludos instaurarent, quod non rite essent peracti (ante pompae enim inductionem, per circum a domino servum in crucem actum); dubitans, subita filii morte oppressus, deinde corporis sui totius valetudine, cotidie paene monitu Iovis perseverante; tandem delatus in lectica, senatui somnium rettulit; et protinus pedibus suis curiam egressus est.

4. Cicero invidia inimicorum in exilium pulsus, in somnis C. Marium obvium sibi factum putavit ducentem se arrepta manu in suum monumentum, dicentemque ibi esse spem status laetioris. Nec aliter evenit : nam in aede Iovis mariana SC. factum est de revocando eo.

(a) Cod. *Ptolo.* non *Ptole.* (b) Cod. *Tralis.* (c) Cod. *impleverunt.*

5. C. Graccho imminentis casus atrocitas palam per quietem denuntiata est. Somno enim pressus, Tiberii fratris effigiem vidit dicentem nullo modo posse eum vitare, ne eo fato periret, quo ipse propulsus a Capitolio occidisset.

6. Cassius parmensis apud Actium Antonii fractis opibus, cum esset partium eius, Athenas confugit. Ibi somno pressus, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum: interrogatum quisnam esset, respondisse κακὸν δαίμονα. Hoc eadem nocte cum ter somniasset, praesens habuit: nam inter hanc noctem, et supplicium capitis, quo eum Caesar adfecit, parum temporis interfuit.

7. Cum gladiatorum munus Syracusis ederetur, Haturius (a) Rufus in quiete retiari (b) se manu confodi vidit; quod et accidit. Spectatum enim cum abisset, a retiario in podium deiecto myrmillone, spectans adtentius, gladio ferientis iacentem percussus interiit.

8. Hannibal existimatur in somnis vidisse iuvenem a Iove missum ad se, auctoremque factum ac ducem invadundae Italiae. Post paulo inmensum conspexisse serpentem concitato impetu omne quicquid obvium fuerat proterentem. Attonitum deinde quidnam id esset monstri interrogasse iuvenem, cumque respondere, Italiae vides vastitatem: proinde sile, et cetera tacitis permitte fatis.

9. Alexander dux Macedoniae per quietem visa imagine praemonitus est, ut vitae suae custos esset. Nam Cassandri pestiferam sibi dextram somnio prius cognovit. Erat autem Antipatri filius Cassander, ignotus adhuc Alexandro.

10. Simonides cum ad litus navigans appulisset, inhumatumque corpus iacens sepulturae dedisset, admonitus est ab eo ne proximo die navigaret; futuram enim tempestatem, quod et accidit.

11. Croesus cum duos filios haberet, *cernere* visus est in somnis Atyn filium ferro sibi ereptum. Itaque cum adservaret iuvenem, accidit ut ingentis magnitudinis aper Olympi montis culta, crebra cum agrestium strage, vastaret. Impetravit ergo a Croeso filius, ut ad eum opprimendum mitteretur: et cum acri studio interficiendi suem omnes essent intenti, pertinax casus imminentis violentiae lanceam, petendae ferae gratia emissam, in eum detorsit.

12. Intra privatum se habitum adhuc Dionysio continente, Himerae (c) quaedam non obscuri generis mulier ascendisse sibi caelum visa est, et ibi conspexisse praevalentem virum flavi coloris, lentiginosi oris, ferreis catenis vinctum, Iovis solio pedibusque subiectum. Eadem cum interrogasset, quisnam esset, cognovisse Siciliae atque (d) Italiae dirum fatum. Itaque postmodum

(a) Ita cod. (b) Ita cod. pro *retiarii*. (c) Cod. *Himera*, ut etiam Valerii antiquae editiones. (d) Ita cod. 2. manu; at 1. *adque*. Eadem semper correctio infra occurrit.

Dionysius pulsus Syracusis cum Himeram petisset, muliere clamante hac eadem ne reciperetur, quae viderat somnium; receptus, tyrannidem exercuit.

13. Mater Dionysii cum eum adhuc utero conceptum haberet, parere visa est satyriscum: consultoque prodigiorum interprete, clarissimum eum fore cognovit.

14. Hamilcar dux Carthaginiensium cum Syracusas obsideret, per somnium exaudisse visus est nunciantem, cras Syracusis caenabis. Itaque laetus spe victoriae, inruptione facta Syracusanorum, expugnatis castris, Syracusas vinctus perductus est.

15. Alcibiades miserabilem exitum suum dicitur nocturna imagine praevidisse: quo enim pallio amicae suae dormiens opertum se viderat, eodem interfectus et insepultus iacens contectus est.

16. Duo familiares arcades iter una facientes, Megara venerunt; quorum alter se ad hospitem contulit, alter in tabernam meritoriam devertit. Is qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem suum orantem, ut sibi, coponis (a) insidiis circumvento subveniret. Quo visu excitatus prosiluit, et iit ad tabernam. Cum omnia circa eum (b) quieta vidisset, lectum ac somnum repetiit. Tunc idem saucius oborsus petiit saltem mortis suae ultor exsisteret, corpus enim suum a copone trucidatum plaustro tum (c) maxime ferri extra portam stercore adopertum. Motus his iuvenis, protinus ad portam cucurrit: et scelere deprehenso, coponem ad capitale supplicium duxit.

CAP. VIII.

DE VISIS.

1. Cum apud lacum Regillum A. Postumius dictator, et dux Tusculanorum Manilius Octavius magnis viribus inter se concurrerent, Castor ac Pollux romanarum partium propugnatores visi sunt hostiles copias fudisse.

2. P. Vatinius bello macedonico reatinae praefecturae vir, urbem noctu petens, existimavit duos iuvenes cum equis albis obvios sibi factos nuntiare, die qui praeterierit, Persen a Paulo captum: quod cum senatui nuntiasset, in custodia habitus est, donec a Paulo indices eventus litterae mitterentur.

3. Ob pestilentiam continuam ab Epidauro Aesculapius accersitus, cum immensae magnitudinis serpens legatorum navem intrasset, Romani pro deo ad-

(a) Ita codex heic et infra *cop.* pro *caup.* Nimirum ut *Clodius* pro *Claudius*. Immo in verrinarum oratt. fragmentis antiquissimis vat. lego etiam *codam* (ut nunc Itali loquimur) pro *caudam*. (b) Ita cod., non *eam*. (c) Cod. *cum*.

vectus, in ripam Tiberis egressus est, et in insula continenti dicatus, illic numen suum posuit.

4. Captis a Furio Camillo Veis (a), Iunonis Monetae simulacrum conpertum, cum a milite interrogatum esset, an Romam vellet transferri; velle se, respondit.

5. Fortunae simulacrum, quod est via latina ad quartum miliarium constitutum a matre Coriolani, locutum fertur: rite me matronae dedistis riteque dicastis.

6. Bello, quo Valerius Poplicola cos. adversus reges Tarquinios dimicavit, Silvani vox audita est talis: uno plus Etrusci cadent (b); romanus exercitus victor abibit. Quod et accidit.

7. Cum Bruttii atque Lucani odio incitatissimo thurinae urbis peterent excidium, et ·C· Fabricius Luscinus cos. defenderet; Mars visus est per mediam hostium aciem ad contraria castra evasisse: inde voce ingenti clamitans, factum victoriae gradum. Quod eo fuit manifestius: nam cum cos. inter honorandos milites vallarem coronam proponeret, nemo fuit qui sibi vindicaret: cognitumque est, Martem cum populo suo adfuisse (c).

8. C· Cassius cum in acie philippensi ardentissimo animo perstaret adversus Octavianum, vidit humano habitu augustiorem ·C· Caesarem purpureo paludamento amictum, concitato equo in se euntem. Itaque territus statim terga vertit, illa voce edita: quid amplius agam, si occidisse parum est?

9. L· Lentulus ignarus casus Pompei, ac praetervehens litus aegyptium, visa flamma qua Pompeius fuerat crematus; qui scimus, inquit, commilitones, an hac flamma CN· Pompeius cremetur?

10. Appius bello civili cum se subducere quaereret scelere, consulto Apolline, tale accepit responsum: nihil hoc ad te, romane, bellum: Euboeae coela (1) obtinebis. Qui cum regnum Euboeae sibi proposuisset (2), profectus illo, morte occubuit.

CAP. VIIII.

DE MIRANDIS.

1. Deusto sacrario Saliorum, nihil in eo praeter lituum repertum est incolume.

2. Ser. Tullii statua, cum aedes Fortunae conflagrasset, inviolata mansit.

(a) Ita cod. pro *Veiis*. (b) Cod. *cadet*. (c) Ita cod. 1. manu; at 2. *affulsse*.

(1) Pars Euboeae, ut Coelesyria pars Syriae. (2) Aliter Valerius.

3. Quintae Claudiae statua in vestibulo templi deum matris posita, bis ea aede incendio consumpta, in flammis stetit.

4. Acilius Aviola mortuus creditus, postquam rogo superpositus est, vivere se proclamavit: sed iam circumdatus flamma, fato subtrahi non potuit.

5. Plato scribit Phereta (a) pamphylum (b) inter eos, qui in acie ceciderant decem diebus iacuisse, biduoque postquam inde sublatus est inpositum rogo revixisse, ac mira quaedam tempore mortis (c) visa narrasse.

6. Quidam vir atheniensis eruditus, cum ictum lapidis capite excepisset, cetera omnia memoria retinuit, eruditionis totius oblitus est.

7. Nausimenis atheniensis uxor cum filiae ac filii stupro intervenisset, inopinato spectaculo percussa ommutuit (d).

8. Echecles samius athleta mutus, cum ei victoriae titulus eriperetur, indignatione accensus, vocalis evasit.

9. Gorgiae fortis atque nobilis, origo admirabilis fuit, qui in funere matris suae utero elabsus, inopinato vagitu lectum ferentis consistere coegit.

10. Pheraeo (e) Iasoni quidam inimicus cum eum conaretur occidere, vomicam quae a nullo medicorum sanari poterat gladio percussit, et hominem malo pestifero liberavit.

11. Simonides apud Scopam in urbe Thessaliae Cranone (f) coenans, evocatus a Castore et Polluce, ruina liberatus est ea, qua triclinium convivas oppressit.

12. Daphnites quidam sophistes Apollinem irrideudi causa consuluit, an equum invenire posset, cum omnino nullum habuisset. Reddita vox est, inventurum eum equum, futurumque, ut eo proturbatus periret. Itaque accidit ut obvius regi Attalo factus, in quem multa saepe dixerat, e scopulo, cui nomen erat equi, deiceretur.

13. Philippus rex Macedonum monitus ut quadrigam metueret, denunciatum periculi genus non effugit. Nam Pausanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit caelatam.

14. Callanus indus sua sponte se ardenti rogo superiecturus, fertur interpellante Alexandro dixisse, brevi te videbo. Nec vox fuit vana; namque statim rapida mors eum Alexandri consecuta est.

15. Prusiae regis filius Prusias pro superiore ordine dentium unum os aequaliter extensum habuit.

16. Antipater sidonius poeta uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur, in quo et decessit.

17. Polystratus et Hippoclides philosophi, eodem tempore Epicurum audierunt, et habendae scholae communione iuncti, eodem die decesserunt.

(a) Ita cod. Sed dic *Era*. (b) Ita cod. *pamphylum*. Lege Cic. de rep. ed. secund. rom. p. 344. n. 3. (c) *Mortis* deest in cod. (d) Ita cod. *omm.* pro *obm.*, quam scripturam alibi quoque vidi. (e) Cod. *pheroeo*. (f) Cod. *Crannonae*.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

DE INSTITUTIS ANTIQUIS.

1. Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur sine auspicio; quo more nuptiis etiam nunc auspices interponuntur.

2. Feminae cum viris cubantibus sedentes caenitabant: quae consuetudo ex hominum convictu ad culturam divinam penetravit: nam Iovis epulo, ipse in lectum, Iuno et Minerva in sellas, ad caenam invitabantur.

3. Quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur.

4. Repudium inter uxorem et virum ab urbe condita usque ad centesimum, et quinquagesimum annum (1), nullum intercessit. Primus Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa dimisit.

5. Vini usus olim romanis feminis ignotus fuit, ne per id in aliquod dedecus prolaberentur.

6. Quotiens inter virum, et uxorem aliquid iurgii intercesserat, in sacellum deae Viriplacae in Palatium veniebant; et ibi invicem locuti quae voluerant, concordes revertebantur. Dea nomen hoc a placandis viris adsecuta est.

7. Aliquamdiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavabatur.

8. Convivium sollemne maiores instituerunt, idque caristia appellaverunt, cui praeter cognatos et affines, nemo interponebatur, ut si quae querellae essent ortae, (a) inter necessarias personas solverentur.

9. Senectuti iuventa ita cumulatum et circumspectum honorem habuit, ut propinquum suum vel paternum amicum ad curiam deduceret, et exspectaret donec reduceret.

10. Invitati ad caenam diligenter quaerebant quinam ei convivio essent interfuturi, ne seniorum adventum praecurrerent: sublataque mensa, priores eos surgere patiebantur.

11. Maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera cantabant, ut ad ea imitanda iuventus incitaretur.

12. Arcana consilia senatus multis saeculis nullus senator enunciabat.

13. Q. Fabius Maximus, quod per imprudentiam de tertio bello punico dixerat ·P· Crasso, memor eum triennio ante quaestorem factum, ignarusque

(a) Ita interpungitur in codice post *ortae*.

(1) Valerius cum ceteris historicis conspirans habet *vigesimum et quingentesimum annum*.

nondum eum a censoribus in ordinem senatorium adlectum, a consulibus obiurgatus est.

14. Cum Asiae rex Eumenes bellum a Perse adversus P. R. conparari senatui nuntiasset, non ante scire potuit ·P·R·, quid actum in senatu fuisset, quam Perses vinceretur.

15. Retinendae gratia gravitatis, antiqui nec Graecis unquam nisi latine respondebant; nec ipsos aliter, quam per interpretes, loquentis audiebant.

16. Molon rhetor, qui studia Ciceronis acuit, primus in senatu sine interprete auditus est.

17. Maiores hunc morem maxime servabant, ne quis inter consulem, et lictorem se interponeret. Itaque ·Q· Fabius Maximus vir consularis a filio cos. invitatus, ut inter se et lictorem procederet, ne hostili Samnitium turba ad quorum conloquium descenderat elideretur, facere noluit.

18. Idem (a) ab senatu ad filium cos. legatus missus Suessam Pometiam, indignatus est quod nemo se ex lictoribus equo descendere iussisset; quod cum filius sensisset, proximo lictori ut sibi appareret imperavit: cuius voci continuo Fabius obsecutus, non ego, inquit, fili summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires consulem agere.

19. Legati a senatu Tarentum missi cum gravissimas iniurias non sine contumelia accepissent, introducti in senatum, de his quae passi erant questi non sunt, ne quid ultra ac mandatum erat., eloquerentur.

20. Antea senatus adsiduam stationem eo loci peragebat, qui hodieque senaculum adpellatur: nec expectabat ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam veniebat: ambiguae laudis civem existumans, qui debitis rei ·p· officiis iussus fungeretur.

21. Tribunis ·pl· intrare curiam non licebat; sed ante valvas positis subselliis, decreta patrum examinabant. Itaque veteribus senatus consultis ·C· (b) littera subscribi solebat; eaque nota significabatur, illa tribunos quoque censuisse.

22. Immolatarum a magistratibus hostiarum exta ad quaestores aerarios (c) delata veniebant. Itaque abstinentia artissime constringebantur.

23. Multorum aes alienum, quia provincias sincere administraverant, a senatu persolutum est.

24. Equestris ordinis iuventus bis urbem spectaculo sui celebrabant, die lupercalium, et equitum probatione.

25. Fabius censor cum Decio seditionis finiendae gratia, quam comitia accendebant in humillimi cuiusque potestatem redacta, forensem turbam in quattuor tribus descripsit, easque urbanas appellavit: quo tam salubri facto Maximus cognominatus est.

(a) Cod. eum pro *idem*. (b) Ita cod. At. Val. *T.* (c) Val. *aerariis*; sed in mss. etiam *aerarios*.

26. Armorum tractandorum meditatio a ·P·Rutilio cos. Cn·Manlio collega (a) militibus est tradita. Is enim ex ludo ·C· Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi atque inferendi ictus (b) rationem legibus instituit.

27. Velitum usus eo bello primum repertus est, quo Capuam Fulvius Flaccus obsedit. Nam cum equitatui campano crebris excursionibus resistere nostri non possent, ·Q· Navius centurio ex peditibus lectos expediti corporis, brevibus et incurvis septenis armatos hastis, parvo tegmine munitos, veloci saltu iungere se equitantibus, et rursus delabi celeriter, edocuit.

28. Theatrum inchoatum a Messala et Cassio censoribus, auctore ·P· Nasica sub hasta veniit, ne spectaculis populus effeminaretur.

29. SC· cautum fuit, ne quis in urbe propiusve (c) mille passus subsellia poneret, sedensve ludos spectaret; ut scilicet remissioni animorum standi virilitas coniungeretur.

30. Per DLVIIII (d) annos senatus populo mixtus spectavit: sed hunc morem Atilius Serranus et ·L· Scribonius aediles, ludos matri deum facientes, posterioris Africani sententiam secuti, discretis senatus et populi locis, solverunt.

31. Ludorum prima origo ·C· Sulpicio Betico (e) ·L· Licinio Stolone cos. instituta est, cum gravi pestilentia civitas laboraret.

32. Saecularium ludorum initium tale est. Cum pestilentia urbs agrique vastarentur, Valesius vir locuples rusticae vitae, duobus filiis et filia laborantibus, aquam eis calidam a foco petens, genibus nixus, ut puerorum periculum in ipsius caput transferretur, oravit. Orta deinde vox est, habiturum eum salvos filios, si continuo Tiberi flumine devectos, Tarentum portasset, ibique ex Ditis patris et Proserpinae ara petita aqua eos recreasset. Quo praedicto, pueros ad ripam Tiberis detulit, lyntre Ostiam petens: et sitientibus aegris succurrere cupiens, ex gubernatore cognovit, haud procul apparere fumum in loco, qui Tarentus vocabatur. Itaque calefactam ibi aquam pueris dedit, qua pota, salutari quiete sopiti, morte liberati sunt; patrique iudicavere praeceptum sibi in somnis, ut ad Ditis patris et Proserpinae aram, a qua potio ipsis erat adlata, purae hostiae immolarentur; sellisternia ac ludi nocturni fierent. Itaque cum urbem arae gratia emendae Valesius petisset, fodientibus servis eius terram fundamentorum constituendorum causa, reperta est ara Diti patri Proserpinaeque inscribta, ad quam Valesius ludos et sellisternia tribus noctibus, quia totidem filii (f) periculo liberati erant, fecit. Cuius exemplum Valerius Poplicola Bruti collega studio (g) succurrendi civibus sequutus, apud eandem aram sacrum fecit.

33. Gladiatorum munus primum Romae datum est in foro boario Ap· Clau-

(a) Ita 2. manu; at 1. *conlega*. (b) Cod. *iactus*. (c) Cod. *propius*. (d) Ita cod., non *DLVIII*. ut Val. (e) Cod. *Petico*. (f) Deest in cod. *filii*. (g) Cod. *studium*.

dio ·Q· Fulvio cos. Dederunt ·M· et Decimus filii Bruti, funebri memoria patris cinores honorando.

34. Athletarum certamen a ·M· Scauri munificentia tractum est.

35. Statuam inauratam nec in urbe nec in ulla parte Italiae quisquam primus vidit, quam a Manlio Acilio Glabrione equestris patri poneretur in aede Pietatis, quam aedem ipse dedicaverat.

36. CN· Flavius scriba, qui fastus vulgavit, cum ad visendum aegrum collegam suum venisset, neque a nobilibus, quorum frequentia cubiculum erat completum, reciperetur, sellam curulem iussit adferri, et in ea consedit.

37. Tibicinum collegium solet in foro inter publicas privatasque serias (a) actiones, personis capito tecto, concentus edere hac de causa. Vetiti in aede Iovis, quod prisco more factitaverant, vesci, Tibur irati se contulerunt; quorum ministerio senatus deserta sacra non aequo animo ferens, a Tiburtibus petit, ut eos romanis templis restituerent; quos illi interposita festae epulationis simulatione mero somnoque sopitos, plaustris in urbem devexerunt: quibus et pristinus honor restitutus, et huiusce lusus ius est datum (b). Personarum usus, pudorem circumventae temulentiae causam habet (c).

38. Lacedaemonii ad dissimulandum vulnerum suorum cruorem, puniceis in proelio tunicis utebantur.

39. Corona bonum civem decorandi consuetudinem Athenienses induxerunt, duobus oleae conexis ramulis.

40. Apud eosdem Athenienses convictus a patrono libertus ingratus, iure libertatis exuitur.

41. Massilienses tres in eodem manumissiones rescindere permittunt, si ter ab eo deceptum dominum cognoverunt. Quarto errori subveniendum non putant.

42. Iidem nullum aditum in scenam mimis dant, quod argumenta eorum maiore ex parte stuprosos continent actus.

43. Apud Massilienses a condita urbe gladius est, quo noxii iugulantur, robigine iam exesus, sed index in minimis quoque rebus omnia antiquae consuetudinis monumenta servantium.

44. Apud eosdem duae ante portas arcae iacent; una, qua servorum ad sepulturae locum corpora plaustro devehuntur; altera, qua liberorum sine planctu, adhibito necessariorum convivio.

45. Apud eosdem e cicuta temperatum publice custoditur venenum, quod datur ei, qui causas sescentis (d) (id enim senatus nomen est) exhibuit propter quas mors sit illi expetenda.

(a) Val. mendose *ferias*. (b) Cod. *is est datus*; non tamen sine litura. (c) Cod. *habent*. (d) Ita cod. prisca orthographia.

46. Eorundem intrare oppidum cum telo nulli permittitur; praestoque est, qui id custodiae gratia acceptum, exituro reddat.

47. Celtiberi nefas esse ducebant proelio superesse, cum is occidisset, pro cuius salute devoverant spiritum.

48. Thraciae natio natales hominum flebiliter, exsequias vero cum hilaritate, celebrat.

49. Lycii, cum eis incidit luctus, muliebrem vestem induunt, ut deformitate cultus commoti, maturius maerorem proiiciant.

50. Indorum feminae, mortuo marito, cum uni more patrio plures nubtae sint, in iudicium veniunt, quam ex eis maxime dilexerit. Victrix gaudens coniugis se flammis superiacit.

51. In Africa Cirtae (a) fanum est Veneris, in quod se matronae conferebant; atque inde procedentes ad (b) quaestum, dotem iniuria corporis contrahebant.

52. Persae liberos suos non prius aspiciebant, quam septimum annum conplessent, quo parvolorum amissionem aequiore animo ferrent.

53. Numidae reges more gentis suae nulli mortalium osculum ferebant, ut dignitas consentiret imperio.

CAP. II.

DE DISCIPLINA MILITARI.

1. P. Cornelius Scipio cos. in Hispaniam adversus Numantinos missus, die quo castra intravit edixit, ut omnia ex his quae voluptatis causa comparata erant, submoverentur. Itaque constat maximum inde institorum numerum cum duobus milibus scortorum abisse.

2. Metellus cos. cum exercitum in Africa iugurthino bello nimia ·Sp· Albini indulgentia corruptum accepisset, Scipionis sectam (1) secutus est.

3. P. Rutilius cos. eo bello, quod in Sicilia cum fugitivis gessit, ·Q· Fabium generum suum, quia neglegentia tauromenitanam arcem amiserat, provincia iussit decedere.

4. C· Cotta ·P· Aurelium Pecuniolam sanguine sibi iunctum, quem obsidioni liparitanae praefecerat, virgis caesum militiae munere inter pedites fungi coegit, quod eius culpa agger incensus, et paene castra capta erant.

(a) Val. *Siccae*. Sed *Cirtae* etiam in Valerii codice mediceo. (b) Deest *ad* in cod.; sed habet Val.

(1) Nempe *disciplinam*. Ceteroquin *secta* est etiam *dogma* seu *sententia* non semel apud Didymum in opere de spiritu sancto, Hieronymo interprete; itemque in arrianis fragmentis vaticanis.

5. Q. Fulvius Flaccus censor Fulvium fratrem consortem, legionem (a) in qua tr. mil. erat dimittere iniussu cos. ausum suis tamen mensibus, senatu movit.

6. Postumius dictator ·A· Postumium filium quod iniussu suo hostes fuderat, victorem securi percussit.

7. Torquatus latino bello consul filium quod provocatus a Geminio Maecio duce Tusculanorum ad dimicandum se ignaro descenderat, victorem securi percussit.

8. L. Quintius Cincinnatus dictator devictis Aequis ·L· Minucium consulatum deponere coegit, quod castra eius idem hostes obsederant.

9. Papirius dictator cum adversus imperium eius ·Q· Fabius Rullianus (b) magister equitum exercitum in aciem eduxisset, quamvis victorem, virgas tamen expediri, eumque nudari iussit.

10. L. Calpurnius Piso cos. cum in Sicilia bellum adversus fugitivos gereret, et ·C· Titius praefectus sociorum, multitudine hostium circumventus sub iugum se mitti passus esset, iussit eum toga laciniis abscisis amictum discinctaque tunica indutum in principiis stare: turmasque equitum quibus praefuerat, ademptis equis in funditorum numeros transcribsit.

11. Q. Metellus cum apud Contrebiam res gereretur, collocatas a se in quadam statione quinque cohortes, atque ex ea depulsas, repetere eumdem locum iussit; edixitque, ut si quis ex eis fugiens castra repetisset, pro hoste interficeretur.

12. Q. Fabius Maximus omnium, qui ex praesidiis Romanorum ad hostem transfugerant captique erant, manus abscidit, ut trunca prae se bracchia gerentes metum reliquis defectionis inponerent.

13. Scipio Africanus, victa Carthagine, gravius in romanos, quam latinos transfugas animadvertit: hos enim tamquam patriae fugitivos crucibus adfixit, illos tamquam perfidos socios securi percussit.

14. L. Paulus, Perse rege superato, eiusdem culpae homines elephantis obterendos substravit.

15. L. Marcius trib. mil. cum reliquias duorum exercituum ·P· et Cn. Scipionum dispersas mira virtute collegisset, de rebus actis a se scribens, in hunc modum usus est: L. Marcius pro praetore. Cuius honoris usurpatione uti eum ·PC· non placuit, quia duces a populo non a militibus creari solerent.

16. Cum magnum numerum captivorum ·PC· a Pyrrho ultro missum recepissent, decreverunt, ut ex his, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum numerum transcriberentur.

(a) Ita codex confirmans egregiam Perizonii emendationem corrupti Valerii, qui habet *cohortem legionis*. (b) Ita cod. recte 1. manu: at 2. *Rutilianus*, quod est mendum nonnullorum quoque Valerii codicum.

17. Parem iram senatus adversus illos destrinxit, qui cannensi pugna superfuerant, mortuorum loco habiti. Itaque cum petisset ·M· Marcellus, ut eorum opera ad expugnationem Syracusarum uteretur, rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur: ceterum se ei permittere, ut faceret quod expedire reip. iudicasset, dum ne quis ex his dono militari donaretur.

18. Idem senatus cnm graviter tulisset ·Q· Petilii cos. mortem occisi a Liguribus, legioni stipendium eius anni dari vetuit.

19. Idem senatns (a) milites, qui Regium (b) iniusto bello occupaverant, mortuoque duce Iubellio ·M· Caesium scribam eius imperatorem delegerant, carcere inclusit, et ·M· Furio Flacco trib. pl. denunciante ne in cives romanos animadverteretur, nihilominus quinquagenos per singulos dies virgis caesos securi percuti iussit.

20. Clearchus Lacedaemoniorum dux militibus saepe dicebat, imperatorem potius quam hostem metui debere: futurum enim, ut spiritum poenae inpenderent, quem pugnae noluissent.

CAP. III.

DE IURE TRIUMPHANDI.

1. Ob levia proelia quidam imperatoris triumphos sibi decerni postulabant. Itaque lege cautum est ne quis triumpharet, nisi qui quinque milia una acie fudisset. Postea ·P· Marcius et ·M· Cato trib. pl. tulerunt (c), poenam imperatoribus statui debere, qui aut hostium occisorum aut amissorum militum falsum numerum indicassent.

2. C. Lutatius cos. et ·Q· Valerius praetor cum insignem Poenorum classem delessent, post triumphum Lutatii, et Valerio sibi ius triumphi postulante, Lutatio petitioni resistente, iudex electus Atilius Calatinus cum interrogasset, cuius auspiciis illo die pugnatum esset; dicente Valerio, consulis; secuudum Lutatium, inquit, litem do.

3. CN· Fulvius Flaccus triumphi honorem decretum sibi a senatu sprevit. Itaque continuo quaestione publica adflictus, exilio multatus est.

4. P. Scipioni ob reciperatas Hispanias, ·M· Marcello ob captas Syracusas, triumphus non est decretus, quod ad eas res gerendas sine ullo erant missi magistratu.

5. Moris est ab imperatore ducturo triumphum consules invitari ad caenam;

(a) Perperam in cod. additur cum. (b) Ita est sine adsp. etiam in verrinorum cod. antiquiss. vat. (c) Subintellige vel supple *legem*.

ac deinde rogari, ut venire supersedeant; nequis eo die, quo ille triumpharit (a), maioris in eodem convivio sit imperii.

CAP. IIII.

DE CENSORIA NOTA.

1. Camillus et Postumius censores aera poenae nomine, eos qui ad senectutem caelibes pervenerunt, in aerarium deferre insserunt.

2. M. Valerius Maximus ·C· Iunius Bubulcus censores ·L· Annium senatu moverunt, quod quam virginem duxerat repudiasset, nullo amicorum consilio adhibito.

3. Porcius Cato ·L· Flaminium senatu movit, quod ad arbitrium mulieris in (b) convivio damnatum securi percussit.

4. Fabricius Luscinus Cornelium Rufinum senatu movit, quod decem pondo argenti haberet.

5. M. Antonius et ·L· Flaccus censores Duronium senatu moverunt, quod legem, quae coercendis conviviorum sumptibus lata erat, tribunus ·pl· abrogaverat.

6. M. Valerius, et ·L· Sempronius censores quadringentos iuvenes equestris ordinis aerarios fecerunt, quia in Siciliam ad munitionum opus explicandum ire iussi, non ierunt.

7. M. Atilius Regulus et ·L· Furius Pilus ·M· Metellum quaestorem compluresque equites romanos, qui post cannensem pugnam abituros se Italia iuraverant, aerarios fecerunt.

8. Iidem censores, et eos gravi nota adfecerunt, qui cum in potestatem Hannibalis venissent, legati ab eo missi ad senatum de permutandis captivis, neque inpetrassent, in urbe remanserunt.

9. C. Geta cum a Lucio Metello et CN. Domitio censoribus senatu motus esset, postea censor est factus.

10. M. Valerius Messala censoria nota perstrictus censoriam postmodum potestatem inpetravit.

CAP. V.

DE MAIESTATE.

1. Q. Metellus cum causam repetundarum diceret, et tabulae eius ab accusatore ad nomen inspiciendum circa iudices ferrentur, totum consilium ab

(a) Cod. *triumphabit.* (b) Abest in a cod.

earum contemplatione avertit oculos. Indignum enim credebatur integritatem tanti viri exigua cera et paucis litteris perpendi.

2. Rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium Africani Scipionis a militibus suis interceptum, ultro patri remisit.

3. Ad eundem Africanum in Literni (a) villa se continentem complures praedonum duces videndi eius causa forte confluxerunt: quos cum ad vim faciendam venire existimasset Scipio, praesidiumque domesticorum in tecto collocasset; dicentibus officii gratia ipsos venisse, aperiri fores iussit, et se spectaculo mirantibus praebuit.

4. Cum Aemilii Pauli exsequiae celebrarentur, ac forte tunc principes Macedonum Romae morarentur, funebri lecto sua sponte sese subiecerunt.

5. P. Rutilio in exilium abeunti omnes civitates totius Asiae legatos obviam miserunt, sibi quaeque tanti viri praeripientes discessum.

6. C. Marium in privata domo Minturnis clausum, servus publicus natione cimber missus ut occideret, strictum gladium tenens adgredi non sustinuit.

7. M. Porcius Cato, invito C. Caesare cos., adversus publicanos in curia dicendo cum diem traxisset, et iussu Caesaris a lictore in carcerem duceretur, comitem sibi populum (b) habuit.

8. Eodem Catone ludos florales spectante, quos Messius aedilis edebat, populus ut mimae nudarentur postulare erubuit: quod cum a Favonio amicissimo sibi una sedente cognovisset Cato, discessit e theatro.

9. Harmonii (c) et Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberaverunt, effigies aeneas Xerxes ea urbe devicta in regnum transtulit: postea Seleucus in pristinam sedem reportavit. Rhodii quoque eas urbi suae adpulsas, cum in hospitium publice invitassent, sacris etiam in pulvinaribus collocaverunt.

10. Xenocrates atheniensis testimonium dicere coactus, cum ad aram accessisset, ut more eius civitatis iuraret, omnia se vere rettulisse; vetitus est iurare, sinceritati eius concedendum existimantibus.

(a) Ita cod. pro *Lint.* (b) In margine recentior manus scripsit *omnem senatum*; quae est recta emendatio, cum Valerio conveniens. (c) Ita etiam Val. *Harmon.* seu *Harmod.*

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

DE INDOLE.

1. Aemilius Lepidus puer etiamnum progressus in aciem hostem interemit, civem servavit, ideoque ei statua in Capitolio incincta praetexta ex ·SC· posita est.

2. Porcius Cato puer adhuc cum in domo avunculi sui educaretur, et ad eum (1) tribunum pl· Latini de civitate inpetranda venissent, rogatus ut socios apud avunculum adiuvaret, non facturum se respondit. Postremo Poppedius eum in excelsam aedium partem latum abiecturum inde, nisi precibus obtemperaret, minatus est; nec hac re incepto moveri potuit.

3. Idem Cato cum salutandi gratia praetextatus ad Syllam venisset, et capita proscriptorum in atrium adlata vidisset, paedagogum suum nomine Sarpedonem interrogavit, quapropter nemo inveniretur, qui tam crudelem tyrannum occideret. Et cum ille custodiri a militibus diceret; eum ut sibi ferrum daret, obsecravit: perfacile se adfirmans interempturum, quod in lecto illius considere soleret.

4. C· Cassius Syllae filium Faustum condiscipulum suum in schola proscriptionem patris laudantem, ipsumque cum primum potuisset idem facturum minantem, colapho percussit.

5. Alcibiades atheniensis cum puer ad Periclem avunculum suum venisset, eumque tristem invenisset, dicentem se mandatu (a) civitatis propylaea Minervae, quae sunt ianuae arcis, magna cum inpensa aedificasse, nec posse reddere rationem; ergo, inquit, quaere potius quemadmodum rationem non reddas.

CAP. II.

DE FORTITUDINE.

1. Etruscis in urbem ponte sublicio inrumpentibus, Horatius Cocles donec post tergum suum abrumperetur, hostium agmen infatigabili pugna sustinuit, atque ita armatus se in Tiberim misit, tutumque nandi eventum habuit.

(a) Ita cod. u non c. Et sic habuit exemplar quoddam Valerii, testante Colerio.

(1) Nempe ad Catonis avunculum.

2. Cloelia inter ceteras virgines obses Porsenae data, nocturno tempore custodia egressa, Tiberi traiecto, patriam turpitudine liberavit.

3. Romulus ab Acrone Caeninensium rege ad dimicandum provocatus, occiso eo fusisque, hostibus spolia opima Iovi Feretrio rettulit, quae dux duci detraxerat.

4. Cornelius Cossus eidem deo spolia consecravit a Romulo proximus, cum ducem Fidenatium in acie congressus interemisset.

5. M. Marcellus apud Padum Gallorum regem ingenti exercitu stipatum adgressus, obtruncatum armis exuit, quae opima tertia haberentur.

6. Scipio Aemilianus cum in Hispania sub Lucullo duce militaret, atque Intercatia praevalidum oppidum circumsideretur, primus moenia eius conscendit.

7. Urbe a Gallis capta, cum senes in plana parte urbis relicti essent, quia omni numero non sufficiebat arx; qui erant honoribus functi, apertis ianuis in curulibus sellis cum insignibus magistratuum quos gesserant consederunt: et primum mirantibus Gallis, deinde in risum versis, M. Atilius barbam suam permulcenti Gallo scipionem capiti inflixit, eique ad se occidendum venienti iugulum obtulit.

8. C. Sempronio Atratino cos. cum Volscis apud Verruginem parum prospere dimicante, equites delabsi equis se ipsi centuriaverunt, et ita acies restituta est.

9. Fabius Maximus Rullianus (a) vetitus a Papirio Romam gratia auspiciorum redeunte bellum committere adversus Samnites, commisit: et equitum virtute proelii crimine levatus est.

10. Miles romanus cannensi proelio, cum ad retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conantis numidae cervicem amplexus, naribus et auribus adrosis reddidit deformem.

11. P. Crassus cum Aristonico bellum gerens a Thracibus inter Elaeam et Zmyrnam (b) exceptus; ne caperetur, virgam qua ad regendum equum usus fuerat, in unius barbari oculum direxit, qui vi doloris accensus sica latus Crassi confodit.

12. Scipio Metellus, infeliciter CN. Pompeio generi sui defensis partibus, navi qua vehebatur a caesarianis capta, gladio se traiecit. Imperator se bene habet quaerentibus caesarianis, respondit.

13. Cato, victis a Caesare partibus suis, gladio se transfodit.

14. Porcia filia Catonis uxor Bruti, cum viri sui consilium de interficiendo Caesare cognovisset, cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa poposcit; eoque velut forte labso se vulneravit. Clamore deinde ancillarum in cu-

(a) Cod. *Rutilianus*. Sed quia superius 1. manu erat rectius *Rullianus*, hanc lectionem heic quoque ponendam putavi. (b) De hac scriptura dixi in scholiis meis ad Cic. de rep. 1. 8. ed. sec. p. 27. n. 4.

biculum revocatus Brutus, obiurgare eam coepit, quod tonsoris praeripuisset officium. Cui illa, experiri, inquit, volui, si tibi propositum parum ex sententia cessisset, quam aequo animo me essem interemptura.

15. Cato censorius cum ei in bello vagina gladius excidisset, subiectum proeliantium globo intrepidus sustulit.

16. Cum Ti. Gracchus palam senatui minaretur, consulentibus patribus de statu reip. ac de interemendo (a) Graccho cogitantibus, Scaevola negavit se quicquam (b) vi esse acturum. Quo incusato, Scipio Nasica se ducem pollicitus, ac laevam manum parte togae circumdedit, sublataque dextra proclamavit: qui rem publicam salvam esse vult, me sequatur.

17. Cum tribuni plebis Saturninus et Equitius et praetor Glaucia maximos in civitate seditionum motus excitarent, M. Aemilius Scaurus iam senex exhortatus Marium sextum consulatum gerentem, ut rem p. vindicaret, iussit sibi arma adferri; armatusque ante fores curiae stetit, ictuque saxi vulneratus est.

18. C. *Iulius Caesar* (c) cum multitudine Nerviorum (d) inclinari aciem suam videret, militi timidius pugnanti scutum rapuit, et fortiter proeliatus aciem restituit.

19. Idem alio proelio legionis martiae aquiliferum, ineundae fugae gratia iam conversum, faucibus conprehensum in contrariam partem retorsit.

20. Cum Hannibal Capuam, quam Romanus exercitus obsederat, defenderet, Vibius Accaus (e) paelignae (f) cohortis praefectus vexillum trans punicum vallum (g) proiecit, se ipsum commilitonesque, si potiti essent hostes signo, exsecratus. Quod ut Valerius Flaccus tertiae legionis tribunus vidit, imitatus exemplum est. Idem Pedanius centurio fecit. Protinus igitur castra Poenorum capta sunt.

21. Q. Occius, qui propter fortitudinem Achilles cognominatus est, sub Q. Metello cos. legatus in Hispania militans, cum cognovisset se a quodam celtibero provocatum, relicta mensa (forte enim prandebat) clam Metello obsequitantem (h) celtiberum consectatus occidit. Iterum a quodam provocatus, cum eum genibus suis subiecisset, coegit sagulum et gladium sibi, utroque exercitu spectante, tradere.

22. Acilius decimae legionis miles pro C. Caesaris partibus pugnans maritimo proelio, abscisa dextera, quam Massiliensium navi iniecerat, laeva puppim adprehendit, nec ante dimicare destitit quam captam profundo mersit.

23. Caesius Scaeva eiusdem imperatoris centurio, cum pro eo castello cui praepositus erat dimicaret, et CN. Pompei praefectus iussu eius (i) summo

(a) Ita cod. (b) Ita cod. 2. manu; at 1. *quidquam*. Valesii pro emendatiore scriptura *quicquam* Frontonis indicem meum latinitatis. (c) In cod. non est nisi praenominis littera *C*. (d) Cod. *serverum*. (e) Ita cod. Variat autem etiam apud Val. scriptura huius nominis. (f) Ita cod. cum diphth. (g) Cod. *bellum*. (h) Ita cod. non *obeq.* sed *obseq.*: quae lectio, ut notabilis, in margine repetitur. (i) Cod. *intulotus*.

D *

studio ad eum capiendum niteretur, omnibus qui prope accesserant interemptis, conruit. Scutum eius CXX. ictibus perfossum apparuit, ipse interventu commilitonum servatus.

24. Idem cum, C. Caesare Britanniam oppugnante (a), rate in proximum scopulum transvectus esset, supervenientibus hostibus, ceteris ad litus regressis, solus stationis gradum retinens, magno edito proelio, femore traiecto, clipeo crebris foraminibus absumpto, profundo se commisit, et evectus ad litus, petiit a Caesare ut sibi ignosceret quod sine scuto redisset.

25. L. Sentius (b) Dentatus centies XX. in aciem descendit: XXVI spolia rettulit; ex his octo eorum qui se provocaverant: XIIII cives servavit: ex proelio XLV vulnera pectore excepit, tergo cicatricibus vacuo: VIII triumphales currus secutus: donatus aureis coronis civicis VIII, muralibus III, obsidionali una: torques accepit LXXXIII, armillas CLX, hastas XVIII, phaleras (c) XXXV (d).

26. Darius (e) cum sordida, et crudeli magorum tyrannide Persas liberaret, unum ex eis abiectum corporis sui pondere urgens, vidit commilitonem plagam ei inferre dubitantem ne per errorem Darium vulneraret. Tu vero, inquit, vel per utrumque nostrum gladium age, dummodo hic quam celerrime pereat.

27. Leonidas spartanus cum trecentis civibus ad Thermopylas toti Asiae obiectus, perfidia et scelere incolarum opportunitate loci spoliatus, occidit dimicans. Cuius haec vox fertur, sic prandete commilitones tamquam apud inferos caenaturi. Lacedaemonii perinde ac victoria esset promissa, dicto paruerunt intrepidi.

28. Othryades spartanus speciosus pugna ac morte (f), sanguine suo inscribtis tropaeis, direptam hostibus victoriam suis restituit.

29. Epaminondas thebanus traiectus hasta, sanguine et spiritu deficiens, recreare se conantes, primum an clipeus suus salvus esset, deinde an penitus fusi hostes, interrogavit. Quibus ita se habere cognitis, mirificas, inquit, filias vobis relinquo Leuctram et Mantineam.

30. Theramenes atheniensis triginta tyrannorum iussu porrectam potionem veneni non dubitanter exhausit: quodque ex ea superfuerat iocabundus inlisum humo sono edito, renidens servo publico, Critiae, inquit, propino. Erat autem hic ex triginta tyrannis crudelissimus.

31. Rhoetogenes (g) numantinus adflictis rebus Numantinorum, vicum suum, qui in ea urbe speciosissimus erat, incendit: strictum gladium in medio posuit, ac binos dimicare iussit, ut victus occideretur. Ipse novissime se flammis inmisit.

(a) Cod. *Caesar oppugnans*. (b) Ita cod. ut etiam codices Valerii aliquot. (c) Cod. 1. manu *pateras*, 2. *pharetras*. Neutra lectio vera. (d) Val. XXV. (e) Cod. *Dareus* heic et alibi. (f) Cod. pro *ac morte* habet *Othryade*. (g) Val. *Theogenes*.

32. Capta Carthagine, uxor Hasdrubalis, dextra laevaque filios trahens, incendio se superiecit; accusato viro quod vitam a Scipione petere sustinuit.

33. Cum pestifera seditione Syracusarum tota Gelonis stirps consumpta esset, et unica superesset Harmonia, cum ad eam ab inimicis impetus fieret, nutrix subornatam aequalem puellam hostilibus gladiis subiecit, quae ne cum ferro quidem trucidaretur, cuius esset condicionis proclamavit. Admirata puellae constantiam Harmonia, se esse quam quaererent, illis professa est; et ita utraque perierunt.

CAP. III.

DE PATIENTIA.

1. Cum a Porsena rege Etruscorum urbem nostram gravi ac diuturno bello urgeri aegre Mucius ferret, castra eius intravit, immolantemque conatus occidere, oppressus est. Perosus itaque dexteram suam, quod eius ministerio uti nequisset, iniectam foculo exuri passus est.

2. Pompeius dum legationis officio fungitur, a rege Gentio interceptus, cum consilia prodere iuberetur, ardenti lucernae admotum digitum cremandum praebuit; et ea patientia regi desperationem quicquam ex se cognoscendi iniecit.

3. Alexandro regi nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti: ex quibus unus turibulo accepto ante ipsum constitit, et in brachium eius carbo ardens delabsus est: qui ne sacrificium Alexandri inpediret, dolorem silentio pressit. Alexander pueri delectatus patientia, diutius consulto sacrificavit; nec hac re eum proposito depulit.

4. Zeno eleates philosophus cum Agrigentum venisset, tyranno Phalaride adhuc vivo, hortatus populum ad (a) libertatem, et ob id ipsum iussus a tyranno in medio foro torqueri, non destitit a cohortatione; et in tantum populum commovit, ut lapidibus statim Phalaris obrueretur.

5. Eiusdem nominis philosophus cum a Nearcho tyranno, cuius necem inierat (b), torqueretur, dixit se quod secreto in aurem ei diceret, habere; laxatusque eculeo, aurem eius morsu arripuit; nec ante dimisit, quam et ipsa vita, et ille parte corporis privaretur.

6. Anaxarchus philosophus cum a Nicocreonte tyranno Cypriorum in pilam coniectus tunderetur; follem, inquit, Anaxarchi feris.

7. Theodotus ab Hieronymo tyranno innocens punitus, fidelissimum eius satellitem mentitus est consiliorum suorum participem fuisse: et ita Hieronymus dum inimicum cupide lacerat, temere perdidit amicum.

(a) Cod. ob. (b) Ita codex. Sed Valerius *de cuius nece consilium inierat.*

8. Apud Indos esse creduntur, qui omne vitae tempus nudi exigant, et se flammis sine gemitu obiciant, qui Gymuosophistae vocentur.

9. Servus barbarus Hasdrubalem, quod dominum suum occiderat, adgressus interemit: et cum puniretur, laetitiam vindictae risu testatus est.

CAP. IIII.

QUI EX HUMILI LOCO EVASERINT.

1. Tullii Hostilii incunabula agreste tugurium cepit: idem adolevit in pecore pascendo.

2. Varro Pauli collega macellaria patris taberna ad consulatum pervenit.

3. M. Perpenna, qui regem Aristonicum cepit, crassianae cladis extitit vindex, consul fuit ante quam civis: namque pater eius sabellus genere, nihil ad civitatem romanam *pertinere* papia (a) lege convictus est.

4. Socrates Phaenaretem matrem obstetricem habuit, patrem Sophoniscum marmorarium.

Euripidis mater holera (b) vendebat.

Demosthenis pater cultellos venditabat.

CAP. V.

QUI SIBI LICENTIUS QUAM MOS PATRIUS PERMISERAT INDULSERUNT.

1. Scipio filius Africani, is qui ab Antiocho captus est, cum esset praeturae petitor, candidam togam adeo turpibus maculis obsoletam in campum detulit, ut nisi gratia Cicerei, qui patris eius scriba fuerat, adiutus esset, honorem a populo impetraturus non fuerit.

2. Q. Fabii Maximi Allobrogis filius .Q. Fabius adeo fuit luxuriosus, ut ei praetor urbanus .Q. Pompeius bonis paternis interdixerit.

3. Q. Hortensii oratoris nepos Hortensius corporis etiam dicitur infamia male audisse.

4. P. Scipio cum in Sicilia exercitum augendo moraretur, operam etiam gymnasio dedit.

(a) Deest in cod. *pertinere*; et pro *papia* scribitur *parta*. (b) Ita cod. sum adsp. ut apud Frontonem.

5. L. Scipionis statua chlamydata et crepidata in Capitolio posita est; quo habitu usus aliquando, ita se conformari voluit.

6. L. Sylla cum imperator esset, Neapoli crepidatus et chlamydatus ambulavit.

7. C. Duellius qui primus navalem triumphum ex Poenis rettulit, quotiens publice epulatus erat, ad funalem cereum praecinente tibicine et fidicine deducebatur.

8. M. Papirius re bene gesta, cum triumphum a senatu non impetrasset, primus in monte albano triumphavit.

9. C. Marius post omnes triumphos in cantharo semper potavit; quod Liber pater superatis Indis hoc genere poculi usus esset.

10. M. Cato praetor M. Scauri ceterorumque iudicia, sine tunica, praetexta amictus, egit.

CAP. VI.

DE FIDUCIA SUI.

1. Post P. et CN. Scipionum in Hispania mortem, nullo auso exercitum traicere, P. Scipio XXIIII. agens annum ire pollicitus est. Idem cum in Hispania oppidum Badiam obsideret, et iudicia esset auditurus; cras, inquit, in urbe audiam; quod ei contigit.

2. Idem Hannibalis speculatores intra castra Romanorum deprehensos circumduxit, et ostendit manu sua copias, et prandio dato ipsis et equis eorum, dimisit incolumes.

3. Annonae caritate increscente, cum trib. pleb. C. Curiatius (a) iuberet coemi frumentum; Nasica contrariam actionem orsus, obstrepente populo; tacete, inquit: melius enim ego quam vos, quid rei publicae expediat, intellego.

4. Antigenidas tibicen discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter se populo adprobanti, multis audientibus dixit: mihi cane et musis.

5. Zeuxis cum Helenam pinxisset, quid de eo opere homines sensuri essent, non expectavit, sed protinus adiecit:

οὐ νέμεσις τρῶας καὶ εὐκνήμιδας ἀχαιοὺς
τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

6. Phidias interrogatus, quonam mentem suam dirigens vultum Iovis esset amplexus, hos rettulit versus.

ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων (b).

(a) Cod. Curatius. (b) Cod. Κρονειων.

ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν (a) ὄλυμπον.

7. Hannibal eum apud regem Prusiam exolaret (b), auetorque ei eommittendi proelii esset, atque is non idem sibi extis portendi dieeret; ita tu, inquit, vili earnunculae (e), quam imperatori mavis credere?

CAP. VII.

DE CONSTANTIA.

1. Fulvius Flaccus eum Capuam recepisset ab Hannibalis possessione, senatu prohibente animadverti in omnes principes civitatis, ipse perstitit. Et eum ad palum iussisset eos adligari, aliae supervenerunt epistulae, in quibus erat scribtum ut omnes punirentur (1). Non lectis epistulis, Fulvius peraeta animadversione, tunc senatus mandata iussit legi.

2. Q. Fabius peeunia, quam pro captivis Hannibali numeraverat, fraudatus a senatu, taeuit.

3. Idem post eannense damnum missus adversus Hannibalem cum per diversas (d) moras traheret bellum, id egit ne Roma opprimi posset.

4. C. Piso, cum Palicanus (e) homo seditiosus pestiferis blanditiis populum praeripuisset ita ut consul erearetur (f), solus restitit.

5. Metellus Numidieus eum animadverteret quo tenderet Saturnini trib. pl. eonatus, solus in exilium eius leges (g) profugit.

6. Q. Scaevola augur, L. Sylla de adversis partibus cogitante, rogatus sententiam dieere noluit.

7. Sempronia Gracchorum soror, uxor Scipionis Aemiliani, eum se quidam Equitius semproniae familiae (h) falso adscriberet, iubente populo, nt eum oscularetur tamquam filium fratris, reppulit.

8. Cum Alexander macedo aeger iaeeret, et ei Philippus medicus potionem esset daturus, supervenerunt ab Antipatro epistulae ut caveret sibi a Philippo monente: hune enim corruptum a rege Dario potionem temperasse. Leetis epistulis Alexander, ut primum petit potionem, legendas ipsas Pbilippo tradidit.

(a) Cod. *ελινλιξεν*. (b) Ita cod. 1. manu, qui est archaismus; at 2. *exularet*. (c) Val. *caruncula*. (d) Cod. *adversus*. (e) Cod. *Pallacinus*. (f) Pro consul crearetur codex habet *conculcaretur*. (g) Ita cod. (h) Cod. *aemiliae*.

(1) Contrarium dicit Valerius.

LIBER QUARTUS

CAP. I.

DE MODERATIONE.

1. P. Valerius Publicola cos. cum omnia in se invidiosa conspiceret, moderatione ad humiliorem habitum deductus *est*, fasces securibus vacuefaciendo, et in contione populo summittens, numerum quoque eorum dimidia ex parte minuens, ultro collega Sp. Lucretio sibi adlecto, aedes etiam suas diruens, quae excelsiore parte positae instar arcis habebantur.

2. Camillus urbe capta a Gallis revocatus, non prius ad accipiendum exercitum ire voluit, quam de dictatura sua omnia sollemni iure acta conperisset.

3. M. Rutilius Censorinus iterum censor creatus, populum obiurgavit, quod eam potestatem bis sibi detulisset.

4. L. Quintius Cincinnatus cum honorem (1) eius PC. continuare vellent, quod et populus tribunos eosdem in proximum annum creare destinabat, peregit exemplo suo, ut tribunos sequi se cogeret.

5. Fabius Maximus cum et ipse quinquies consul esset, et a patre (a), avo, maioribusque suis consulatum saepenumero gestum videret, comitiis quibus filius eius cos. creabatur, egit cum populo, ut aliquando vacationem eius honoris fabiae genti daret.

6. Scipio Africanus imagines, statuas, perpetuos (b) consulatus, censuram, sibi deferente populo, decerni passus non est.

7. M. Marcellus cum in consulatu Siculi de eo questum venissent; et de intromittendis iis primus rettulit; et querentes patienter sustinuit: ac postea ipse causa perorata victor legatos clementer excepit.

8. Ti. Gracchus trib. pleb. cum esset inimicus Africano et Gnaeo (c) Scipionibus, et Asiaticus indicatae pecuniae satisdare non posset, atque ideo a consule in carcerem duceretur, intercessit.

9. C. Claudius Nero, quamvis Livii Salinatoris in Hasdrubale opprimendo gloriae particeps fuisset, triumphantem equo sequi maluit, cum senatus ei triumphum decrevisset.

10. Scipio Africanus posterior, cum censor conderet lustrum, et scriba in sacrificio ex publicis tabulis precationis carmen praeiret, quo dii immortales ut populi romani res meliores amplioresque facerent rogabantur; satis, inquit,

(a) Deest *a patre* in cod. (b) Cod. *perpetuas*, quod referretur inepte ad *statuas*. (c) Ita cod. pro *Lucio*.

(1) Scilicet consulatum.

et bonae et magnae sunt: itaque precor ut eas perpetuo incolumis servent: ac protinus ad hunc modum carmen emendari iussit.

11. Idem in censura centurias equitum recognoscens, postquam C. Licinium Sacerdotem citatum processisse animadvertit; dixit, se scire eum verbis conceptis peierasse: proinde si quis eum accusare vellet, usurum testimonio suo. Sed nullo ad id negotium accedente; traduc, inquit, equum Sacerdos, ac lucrifac censoriam notam, ne ego in tua persona sim et testis et iudex et accusator et censor.

12. M. Scaevola testis in reum productus, adiecit, ita sibi credi oportere, si alii idem adseverassent.

13. Metellus Macedonicus cum inimicus esset Scipioni Africano ex aemulatione, ut primum eum audiit interemptum, lugubri habitu in publicum desiluit; et concurrite, inquit, cives, concurrite; moenia nostra urbis eversa sunt: filiosque suos iussit lecto eius umeros (a) subiicere; adiecto hoc, non fore ut postea id officium ab his maiori viro praestari possit.

14. Metellus Numidicus patria pulsus, cum ei forte ludos Trallibus spectanti epistulae essent a senatu missae, in quibus revocabatur, non prius theatro exiit, quam spectaculum perageretur. Eundem constat pari vultu et exulem fuisse et restitutum.

15. Porcius Cato ob adsignatam pecuniam cypriacam, cum eius senatus extra ordinem rationem haberi vellet, non est passus.

16. M. Bibulus, cum in Syria provincia moraretur, filiis duobus in Aegypto occisis a gabinianis militibus, deditis sibi eis a Cleopatra, dolori suo imperavit, dicens potestatem huius vindictae senatus esse.

17. Archytas tarentinus, dum Pythagorae praeceptis Metaponti penitus (b) intendit, reversus in patriam eum omnia neglegentia vilici corrupta vidisset, punissem, inquit, male meritum, nisi irascerer.

18. Plato cum adversus servum vehementius exarsisset, Pleusippo amico castigationem eius mandavit.

19. Dio nobilis syracusanus pulsus patria a Dionysio tyranno (c), eum principem urbis, in quam confugerat, domi convenire vellet, neque admitteretur; patienter hoc ferendum est, ait: fortasse enim et nos, eum in gradu dignitatis nostrae essemus, aliquid tale fecimus.

20. Thrasybulus atheniensis cum expulsis XXX. tyrannis, cives in patriam reduxisset, plebiscitum proposuit, nequa praeteritarum rerum mentio fieret.

8. Masinissa ·LX· annis imperavit; qui, ut ait Cicero, iam senex numquam aut frigore aut imbre caput operuit. Idem post sextum et ·XC· (c) annum filium generavit.

9. Gorgias Leontinus cum esset centum et septem annorum, interrogatus, quapropter tamdiu vivere vellet; quia nihil, inquit, habeo quod querar de senectute.

10. Xeno philosophus chalcidiensis (d) pythagoricus centum quinque annos habuit.

11. Arganthonius gaditanus ·XC· regnavit; vixit annis, ut ait Pollio, ·CXXX·

12. Aethiopas tradit Herodotus ·CXXX· annos transgredi.

13. Epimenides cnosius, ut ait Theopompus, vixit annis ·CLXVIII.

14. Hellanicus ait quosdam ex gente Heliorum ·CCC· annis vixisse.

(a) Hinc corrige p. 52, §. 11. (b) Cod. *annis*, quod dissidet a *duo*. (c) Val. *LXXXVI*. (d) Cod. *calchidiensis*.

15. Alexander in volumine, quod de Illyrico tractu conposuit, adfirmat Dandonem quendam annis ·D· vixisse.

16. Xenophon, cuius periplus legitur, insulae Lamiorum (a) regem ·DCCC· annis vixisse dicit; patrem eius ·DC·

CAP. XIII.

DE GLORIAE CUPIDITATE.

1. Superior Africanus Ennii poetae effigiem in monumentis corneliae gentis conlocavit, quod ingenio eius opera sua inlustrata erant.

2. D· Brutus a poeta Accio laudatus versus eius in foribus templorum posuit.

3. Pompeius Theophanem mitylenaeum rerum suarum scriptorem laudatum pro contione civitate donavit.

4. Cum Scipio dona militaria equitibus daret, admonitus a Labieno ut forti equiti aureas armillas daret, non dedit. Et cum Labienus ei dedisset; Scipio ad equitem: habebis, inquit, donum viri divitis. Quod ubi ille accepit, proiecto ante pedes auro, vultum dimisit (b). Tunc Scipio: imperator te argenteis armillis donat. Alacer miles gaudio (c), excepit.

5. C· Fabius nobilissimus civis cum aedem Salutis pinxisset, nomen suum scripsit. Unde Fabii pictores nominati.

6. Themistocles stimulis virtutis agitatus, et ob id noctes inquietas agens, quaerentibus quid ita eo tempore in publico versaretur; respondit, quia me tropaea Miltiadis exagitant.

7. Idem theatrum petens, cum interrogaretur, cuius vox audita illi futura esset gratissima; dixit, eius a quo virtutes suae optime referrentur.

8. Alexander cum audisset Anaxarchum comitem suum dicentem innumerabiles mundos esse; heu me, inquit, miserum quod ne uno quidem adhuc potitus sum!

9. Aristoteles cum Theodecti discipulo oratoriae libros, quos pro suis ederet donasset; moleste postea ferens, titulum eorum alii cessisse; proprio volumine quibusdam rebus insistens, planius de his sibi in Theodectis libris dictum esse adiecit.

CAP. XIIII.

QUAE CUI MAGNIFICA CONTIGERINT.

1. Superiori Africano consulatus citerior legitimo tempore datus est; quod fieri oportere exercitus senatum litteris monuit.

(a) Var. ed. Latmiorum: sed non sine varietate in mss. (b) Ita cod. hic et infra, pro *demisit*. (c) Cod. *gaudium*. Sed *gaudio* consonat cum Val.

2. Scipio Nasica Matris magnae simulacrum manibus suis excepit, cum Apollo monuisset, ut hoc ministerium ab optimo viro praestaretur.

3. Scipionem Aemilianum populus ex candidato aedilicio consulem fecit.

4. Eidem senatus bis sine sorte provinciam, prius Africam, deinde Hispaniam dedit.

5. M. Valerius Corvinus cum esset ·XXIIII· annorum, consul creatus est.

6. L. Crassus ·Q· Scaevolam in consulatu collegam habuit, quod Asiam sancte obtinuerat.

7. Cum inter caenam quidam Scipionem Numantinum interrogasset, quem res publica aeque magnum habitura esset, Marium ostendit.

8. CN. Pompeius nondum ullum honorem curulem auspicatus, bis triumphavit.

9. Idem tertium consulatum solus decreto senatus gessit.

10. Q. Catulus cum pro rostris populum interrogaret, si uni Pompeio omnia committeret; absumpto illo, in quo spem esset habiturus; adclamavit, in te.

11. M. Catoni ex Cypro cum regia pecunia revertenti, senatus et populus praesto fuit.

12. Sulpicia Ser. Paterculi filia, quae Fulvii uxor, ex omnibus matronis (centum autem et decem in sortem venerant) castitate praelata est ut Veneris verticordae (a) simulacrum consecraret.

13. Pythagorae tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut quae ab eo acceperant, in disputationem non adducerent. Quin etiam interpellati ad reddendas causas, hoc solum respondebant: ipsum dixisse.

14. Gorgiae leontino ob studium litterarum in templo delphici Apollinis statuam solido ex auro *Graecia* (b) posuit; cum ceterorum ad id tempus auratas constituisset.

15. Eadem gens summo consensu ad Amphiaraum decorandum incubuit; locum, quo humatus est, in religionem templi redigendo.

16. Berenices quoque non vulgaris honor fuit, cui soli omnium feminarum gymnico spectaculo interesse permissum est, cum Olympiae filium Euclea certamen ingressurum adduxisset.

(a) Vel. *verticordiae*. (b) Deest hoc vocab. in cod.

LIBER NONUS.

CAP. I.

DE LUXURIA, ET LIBIDINE.

1. C. Sergius Orata pensilia balinea primus facere instituit: deinde calidas aquas pensiles fecit. Idem aestuariis intercipiendo fluctus, piscium greges separatim molibus inclusit: aedificiis etiam spatiosis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, ut recentiore usu conchyliorum frueretur.

2. Aesopi tragoedi filius cantu commendabiles aviculas ingentibus emptas pretiis pro ficedulis ponebat; acetoque liquatos magnae summae uniones exsorbebat.

3. CN. Domitius L. Crasso, altercatione orta, obiecit quod columnas hymetias in porticu domus haberet. Quem continuo Crassus, quanti ipse domum suam aestimaret, interrogavit. Atque ut respondit, HS. LX. Quo (a) ergo, inquit, eam minoris fore existimas, si decem arbusculas inde succidero? Ipso, inquit, Domitius HS. XXX. (b) Tunc Crassus, uter igitur luxuriosior est; ego ne, qui decem columnas centum milibus nummorum emi; an tu, qui decem arbuscularum umbram HS. XXX. aestimas?

4. Metellus Pius cum in Hispaniam venisset, ab hospitibus ture se et aris excipi patiebatur; aulaeis contectos parietes laeto animo intuebatur; ingentibus epulis ludos inponebat; cum palmata veste convivia celebrabat; dimissas lacunaribus aureas coronas velut caelesti capite recipiebat.

5. Domus Curionum ita degeneravit, ut HS. DC. aeris alieni haberet, contractum famosa iniuria (1).

6. P. Clodii iudicium quanta luxuria, et libidine abundavit! in quo, ut nocens reus absolveretur, noctes matronarum magna summa emptae, iudicibus erogatae sunt.

7. Gemellus tribunicius viator flagitiosum convivium Metello et Scipioni consulibus ac tribunis pl. conparavit. Lupanari enim domui suae instituto; Muniam et Flaviam matronas et nobilem puerum Saturninum in eo prostituit.

8. Catilina amore Aureliae Orestillae, correptus cum unum inpedimentum, quominus nuptiis iungeretur videret filium suum, veneno sustulit; protinusque eam duxit uxorem.

9. Campana luxuria tanta fuit, ut invictum Hannibalem ad somnum deliciarum resolveret.

(a) Val. *quanto*. (b) Lege *sestertio tricies*, ut consonet cum praec. *ipso*.

(1) In hoc sequentibusque capitibus manus quaedam posterior additamenta passim appinxit in marginibus aut inter versus, ex ipso Valerio sumpta; quae ego omnia praetermisi, ne Paridis compendium interpolarem.

10. Volsiniensium urbs caput Etruriae in tantum luxuria deperiit, ut servorum se inpotentissimae dominationi subiecerit.

11. Antiochum Syriae regem imitatus in luxuria exercitus, magna ex parte aureos clavos crepidis subiecit, et argentea vasa textilibus sigillis adornavit.

12. Ptolemaeus Physcon sororem natu maiorem communi fratri nuptam sibi nubere coegit: postea deinde, filia stuprata, ipsam dimisit, ac puellam duxit.

13. Aegyptii ductu Archelai adversus ·A· Gabinium moenibus urbis egressi, cum castra vallo atque fossa cingere iuberentur, subclamaverunt ut id opus publica pecunia faciendum locaretur.

14. Cyprii reginas suas mulierum corporibus, velut gradibus instructis, quo mollius vestigia pedum ponerent, currus conscendere patiebantur.

CAP. II.

DE CRUDELITATE.

1. L. Sylla quattuor legiones contrariae partis in publica villa, quae iuncta campo martio erat, iussit occidi. Item quinque milia Praenestinorum evocata per ·P· Cethegum obtruncavit; ·IIII·DCC· proscribsit.

2. Idem ·M· Marium praetorem per ora vulgi ad sepulchrum lutatiae gentis tractum per singulos artus puniens mori coegit.

3. Idem ·M· Praetorium, quod ad·Marii supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit.

4. Idem caput ·M· Antonii abscisum inter epulas laetus tenuit; atque etiam ·P· Aunium, qui id adtulerat, in sinum suum recepit.

5. Idem ·C· Caesarem consularem apud seditiosissimi hominis Varii bustum occidit.

6. Damasippi iussu praetoris, principum civitatis capita hostiarum capitibus permixta sunt.

7. Eiusdem imperio Carbonis Arvinae (a) truncum corpus patibulo gestatum est.

8. Munatius Flaccus nominis pompeiani defensor, cum a Caesare in Hispania inclusus moenibus Ateguensibus obsideretur, omnes eius oppidi cives, quos studiosiores Caesaris senserat, iugulatos e muris praecipitavit.

9. Carthaginienses Atilium Regulum, palpebris resectis machina inclusum, in qua undique praeacuti stimuli eminebant, necaverunt.

10. Eadem usi crudelitate milites nostros captos navibus subtraverunt obterendos.

(a) Cod. Arbinae.

11. Hannibal in flumine Igillo corporibus romanis ponte facto, exercitum traduxit.

12. Idem captivos nostros oneribus et itinere fessos iam, pedum parte succisa relinquebat. Quos vero in castra perduxerat, paria fere fratrum et propinquorum iungens ferro dimicare cogebat.

13. Mithridates una epistola ·LXXX· milia civium romanorum in Asia per urbes dispersa iussit occidi.

14. Zisemis Diogyrridis Thraciae regis filius vivos homines medios secare consuerat, et parentes liberorum vesci corporibus cogebat.

15. Ptolemaeus Physcon filium suum nomine Memphilitem (a), quem ex Cleopatra eadem sorore et uxore (b) sustulerat, in conspectu suo occidi iussit, et protinus caput eius ac pedes praecisos in cista chlamyde opertos pro munere natalicio matri misit.

16. Idem cum videret quanto sui odio patria teneretur, timori remedium scelere quaesivit. Frequens enim iuventute gymnasium incendit.

17. Ochus, qui postea Darius appellatus est, obstrictus iureiurando ne quem ex coniuratione ea quae septem magos cum eo oppresserat aut veneno aut inopia necaret, crudeliorem mortis rationem excogitavit. Septum enim altis parietibus locum cinere conplevit, superpositoque tigno prominente, benigne cibo et potione exceptos in eo conlocavit, e quo somno sopiti decidebant in illam congeriem.

18. Ochus Artaxerxes sororem atque eandem socrum suam vivam capite defodit: patruum cum centum filiis ac nepotibus iaculis confixit.

19. Athenienses Aeginensium iuventutis pollices absciderunt, ne secum classe contenderent.

20. Saevus et ille aenei tauri inventor, quo inclusi subditis ignibus longo cruciatu mugitus edere cogebantur: quod opus primus artifex inclusus merito dedicavit.

21. Quosdam barbaros ferunt, mactatarum pecudum intestinis et visceribus egestis homines inserere ita ut capitibus tantummodo emineant.

CAP. III.

DE IRA AUT ODIO.

1. Cum adversus Hasdrubalem Livius Salinator missus esset, Fabio monente, ne temere committeret aciem; respondit, primam se occasionem pugnae non omissurum. Interrogatusque, quid ita tam festinanter manum conserere vellet; ut quam celerrime, inquit, aut gloriam ex hostibus victis, aut ex

(a) Val. *Memphitem.* (b) Deest *et uxore* in cod.

civibus prostratis gaudium capiam. Miscuit tunc ira virtutem, repetentis (a) et iniustam damnationem, et triumphi gloriam quaerentis.

2. C. Figulus consulatum non adeptus, cum ad eum postero die consulendi causa multi venissent, omnes dimisit sic praefatus: an vos consulere scitis, consulem facere nescitis?

3. Cum quidam CN. Flavius humillimae sortis praetor factus esset, plurimi e nobilibus anulos proiecerunt, phaleras equis detraxerunt, tamquam indignis darentur magistratus.

4. Manlio Torquato ex Latinis et Campanis referenti victoriam nemo iuvenum occurrit, quod is filius suum securi percusserat.

5. Equitatus romanus Fabi cos. ad hostium copias persequendas memor agrariae legis ab eo inpeditae non ei obsecutus est.

6. Appii exercitus voluntaria fuga terga hosti dedit, ne triumphum quaereret imperatori; memor patrem eius infensum populo fuisse.

7. Metellus tota paene Hispania subacta Q. Pompeium consulem inimicum suum successorem sibi mitti cum audisset, omnes qui militia vacare volebant dimisit; horrea custodibus remotis rapinae praebuit; arcus et sagittas Cretensium frangi iussit; elephantis cibaria dari vetuit.

8. Alexander iratus Lysimacho, leoni eum obiecit. Idem Critum hasta traiecit: et Callisthenes ab eodem mori iussus est.

9. Hamilcar quattuor filios inpubes, catulos leoninos se in perniciem populi romani alere dicebat.

10. Hannibal significare cupiens, quantum inter se Carthago et Roma dissiderent; inflicto in terram pede, suscitatoque pulvere, tum finem belli inter eas fore dixit, cum alterutra urbs in pulverem esset redacta.

CAP. IIII.

DE AVARITIA.

1. Cum admodum locupleti L. Minucio Basilio falsum testamentum quidam subiecisset, eiusque confirmandi gratia Crassum et Q. Hortensium, quibus Minucius ignotus erat, heredes inseruisset, quamquam evidens fraus erat, tamen uterque pecuniae cupidus, facinoris alieni munus non repudiavit.

2. Quintius Cassius in Hispania Silium et Calpurnium occidendi sui gratia cum pugionibus deprehensos, quinquagies ab hoc sestertium, sexagies ab illo pactus, dimisit.

3. L. Septimuleius C. Gracchi familiaris caput pilo fixum tulit; quia Opimius consul auro id se repensurum edixerat.

(a) Cod. *repentis*. Corresi autem *repetentis*, nempe *recordantis*.

4. Ptolemaeus rex Cypriorum cum se periturum ob nimias divitias videret, quod eas anxiis sordibus conquisierat, inposita omni pecunia navibus, in altum processit, ut iu mare abiceret. Deinde detractus avaritia insita, non substinuit propositum exsequi.

CAP. V.

DE SUPERBIA ET IMPOTENTIA.

1. M. Fulvius Flaccus cos· ·M· Plautii Hypsaci collega cum perniciosissimas reip· leges introduceret, senatu monente ut incepto desisteret, responsum nou dedit.

2. M· Brutus trib. pl· cum a Lucio Philippo cos· interpellatus, cum concionaretur, fuisset; obtorta cervice, eum eqnidem per clientem suum in carcerem praecipitem egit.

3. Idem cum senatus ad eum misisset ut in curiam veniret; quare non potius, inquit, *in* hostiliam curiam propinquam rostris, id est ad me, venit?

4. CN· Pompeius balineo egressus, cum ante pedes suos prostratum Hypsaeum ambitus reum vidisset iacentem, reliquit; nihil aliud illum agere dicens, quam ut convivium suum moraretur.

5. Idem ·P· Scipionem socerum suum legibus obnoxium, quas ipse tulerat, muneris loco ab indicibus depoposcit.

6. Cum ad ·M· Antonium triumvirum caenantem Caesetii Rufi senatoris caput esset adlatum, diu diligenterque considerato; ego hunc, inquit, notum non habui.

7. Alexander macedo fastidio Philippi Iovem sibi Hammonem patrem adscivit.

8. Idem instituta Persarum adsumpsit: spreto enim mortali habitu, divinum imitatus est.

9. Xerses Graeciae bellum indicturus, adhibitis Asiae principibus; ne viderer, inquit, tantum meo usus consilio, vos contraxi: ceterum mementote parendum magis vobis esse quam suadendum.

CAP. VI.

DE PERFIDIA.

1. Ser· Galba Lusitaniae convocato populo, tamquam de commodis eius acturus, ·CVIII· milia (a) iuventutis exuta armis partim occidit, partim vendidit.

2. CN· Domitius iratus Bituito regi Arvernorum, per conloquii simulatio-

(a) Sic etiam cod. leid. Valerii.

nem arcessitum hospitioque exceptum, vinxit ac Romam nave deportandum curavit.

3. Carthaginienses Xantippum Lacedaemoniorum ducem, domum se revehere simulantes, in alto merserunt.

4. Hannibal Nucerinos hortatu suo cum binis vestimentis urbe egressos, vapore et fumo balineorum strangulavit.

5. Idem senatum Acerranorum extra moenia evocatum, in profundum puteum abiecit.

CAP. VII.

DE VI ET SEDITIONE.

1. L. Equitium, qui se trib. Graechi filium simulabat, tribunatumque cum ·L· Saturnino petebat, a ·C· Mario in custodiam coniectum populus eripuit: et ·Q· Metellum censorem lapidibus prosteruere conatus est, quod is ab eo censum, tamquam a Tib· Graechi filio, nolebat accipere; adfirmans Gracchum tres filios habuisse, e quibus unum in Sardinia stipendia merentem, alterum infantem Praeneste, tertium post patris mortem natum, Romae decessisse.

2. Populus romanus conpetitorem Saturnini Nunnium civem integrum occidit, ut adipiscendae potestatis facultas taetro homini daretur.

3. Sempronium Asellionem praetorem urbanum a ·L· Cassio concitati creditores, quod is causam debitorum susceperat, pro aede Concordiae sacrificantem, ab ipsis aris fugere coactum, in tabernula quam petierat latitantem discerpserunt.

4. Cum ·C· Mario lege sulpicia ut adversus Mithridatem bellum gereret decretum esset, Gratidius ad Syllam missus accipiendarum legionum causa a militibus occisus est.

5. Q· Pompeium cos· Syllae collegam iussu senatus ad exercitum CN· Pompei missum, quem ille invita civitate obtinebat, contendere ausum, ambitiosi ducis illecebris (a) corrupti milites sacrificare incipientem mactaverunt.

6. C· Carbo, frater Carbonis ter consulis, dissolutam disciplinam militarem rigidius adstringere conatus, ab exercitu occisus est.

CAP. VIII.

DE TEMERITATE.

1. Africanus superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Syphacem traiecit.

(a) Cod. 1. manu precibus; mox emendatum illecebris.

2. C. Caesar inpatiens legionis tardioris a Brundisio Apolloniam traiectus, servili veste se occultato, uaviculam conscendit; et tempestate vexatus, tandem necessitati cessit.

3. A. Albinum civem eximium miles temere propter falsas et inaues suspiciones lapidibus obruit.

4. Hannibal Africam petens, freto adpulsus, dum tam parvo spatio Italiam Siciliamque inter se divisam uon credit, velut insidiosum cursus rectorem interemit: postea cognita veritate innocentiam gubernatoris absolvit.

5. Athenienses decem imperatores, et quidem victores, quod militum corpora sepulturae non dedissent, necaverunt.

CAP. VIIII.

DE ERRORE.

1. Helvius Cinna trib. pleb. ex funere .C. Caesaris domum petens a populo discerptus est pro Cornelio Cinna, cui erat infestus; quod cum adfinis Caesaris esset, inpiam (a) de eo pro rostris orationem habuisset.

2. C. Cassius, Tiueio centurione misso, ut specularetur quis status .M. Bruti esset; tardiusque eo redeunte, interceptum credens, et omnia plena victorum, se occidit.

3. Tolumnius rex Veientium cum tesserarum prospero iactu per iocum collusori dixisset, occidi; et forte Romanorum legati intervenissent, satellites errore vocis inpulsi, legatos occiderunt.

CAP. X.

DE ULTIONE.

1. M. Flavius trib. pleb. ad populum de Tusculanis rettulit, quod eorum consilio Veliterni et Privernates rebellassent. Deprecantibus Tusculauis, adfigit (b) ut ceterae tribus salutarem sententiam ferrent; [sola pollia tribus indicavit oportere eos publice verberatos securi percuti, imbellem multitudiuem sub corona venire. Quam ob causam, postea Tusculani in urbem recepti ueminem umquam (1)] polliae tribus fecerunt magistratum.

2. Cum Hadrianus cives romanos Uticae morantes sordido vexaret imperio, et ob id vivus ab eis esset exustus, nulla quaestio de ea re habita est.

(a) Ita cod. (b) Ita cod. pro *accidit*.

(1) Haec verba a Paridis codice mendose absunt, quae ego restitui ex Valerio, ne sententia hiaret.

3. Thomyris (a) caput Cyri abscisum in utrem humano sanguine repletum dimitti (b) iussit.

4. Iaso thessalus Taxippo gymnasiarcho a quibusdam iuvenibus pulsatum se questo, permisit ut aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis daret. Quo posteriore vindicta uso, qui vapulaverant dolore commoti, Iasonem occiderunt.

CAP. XI.

DICTA IMPROBA AUT FACTA SCELERATA.

1. Tullia cum carpento veheretur, et is qui iumenta agebat restitisset ne super Ser. Tullii corpus induceret, ipsa supra id duci vehiculum iussit.

2. C. Fimbria cum id egisset ut Scaevola in funere .C. Mari iugularetur; post quam eum ex vulnere recreatum conperit, accusare apud populum instituit; interrogatusque, quod illi crimen obiecturus esset innocenti, cui pro securitate morum digna satis laudatio reddi non posset; hoc ipsum, inquit, quod parcius corpore telum recepit.

3. L. Catilina .M. Cicerone incendium ab ipso excitatum, dicente; sentio, inquit, et si illud aqua non potuero, ruina restinguam.

4. Magius Chilo .M. Marcello amico suo a .C. Caesare datum spiritum, sua manu eripuit; indignatus sibi ab eo quemquam amicorum praeferri.

5. C. Toranius triumvirorum partes secutus proscribti patris sui praetorii viri latebras centurionibus edidit.

6. L. Iulius Annalis, cum in campum ad quaestoria comitia filii descendens, proscribtum se cognovisset, scelere nefarii iuvenis effectum est ut occideretur.

7. Vettium Salassum proscribtum et latentem uxor interficiendum tradidit.

8. Scipione Africano patris et patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine nova celebrante; duo regis filii, nuper patre mortuo, in harenam processerunt de regno pugnaturi. Nec eos Scipio a proposito movere potuit.

9. Mithridates cum ipso patre bellum de dominatione gessit.

CAP. XII.

DE MORTIBUS NON VULGARIBUS.

1. Tullus Hostilius fulmine ictus cum domo conflagravit.

2. Nunciata clade, quae apud lacum Thrasimenum acciderat, mater sospiti filio facta obvia in conplexu eius expiravit.

(a) Cod. 1. manu *Thomoris*; 2. *Thamyris*. (b) Ita cod. pro *demitti*.

3. Altera mater cum falso filii nuntio maesta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est.

4. Iuventius cos. Tib. Gracchi collega cum in Corsica quam nuper subegerat sacrificaret, decretas a senatu supplicationes, ob res ab eo bene gestas, nuntiantes (1) epistulas intento animo legens, caligine oborta conlabsus ante focum mortuus iacuit.

5. Q. Catulus a Mario mori iussus, recenti calce inlito cubiculo multoque igne percalefacto se inclusum peremit.

6. Herennius Siculus haruspex Gracchi amicus, cum eo nomine in carcerem duceretur, posti eius inflicto capite, concidit.

7. C. Licinius Macer, Calvi pater, repetundarum reus, dum sententiae dicerentur, maenianum conscendit, et misit ad Ciceronem, qui id iudicium cogebat, ut diceret sua bona non posse hastae subici; se enim reum perisse non damnatum. Et ita sudario ore et faucibus coartatis, incluso spiritu, morte poenam praecessit.

8. Cornelius Gallus praetorius et .T. Etherius .E.Q.R. inter usum veneris absumpti sunt.

9. Coma Cleonis frater dux latronum perductus ad .P. Rutilium cos., cum de viribus et conatibus fugitivorum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum, caput operuit, innixusque conpresso spiritu interiit.

10. Aeschylus poeta in Sicilia moenibus urbis iu qua morabatur egressus, aprico in loco resedit: super quem aquila testudinem ferens, delusa splendore capitis (erat enim calvus), perinde atque lapidi testudinem illisit: quo ictu Aeschylus peremptus est.

11. Euripides ab Archelai regis caena repetens domum, a canibus discerptus est.

12. Sophocles cum in certamen tragoediam dimisisset, ancipiti sententiarum eventu sollicitatus, tandem victor, causam mortis gaudium habuit.

13. Pindarus cum in gymnasio super gremium pueri, quo unice delectabatur, capite posito quieti se dedisset, obiit.

14. Milo crotoniates cum iter faciens quercum in agro cuneis adactam vidisset, divellere conatus, excussit cuneos. Manibus oppressis, a feris laceratus est.

CAP. XIII.
DE VITAE CUPIDITATE.

1. Marcus Aquilius cum gloriose extingui posset, Mithridati turpiter servire maluit.

2. C. Carbo cos. iussu Pompei ad supplicium ductus, quo diutius lucis usu frueretur, petit flebiliter ut sibi alvum relevare priusquam expiraret, liceret.

(1) Cod. *nuntiantibus*; et quidem translato vocabulo.

3. D. Brutus a Furio, quem ad eum occidendum Antonins miserat, conpressus (a) gladio eius se subtraxit.

CAP. XIIII.

QUAM EXQUISITA QUIDAM CUSTODIA USI SINT.

1. Masinissa rex parum fidei in pectoribus hominum reponens, custodia se canum vallavit.

2. Dionysius tyrannus metu tonsorum filias suas detondere docuit, quas ipsas postquam adultae aetati adpropinquabant, instituit ut iuglandium nucum putaminibus barbam sibi et capillos adurerent: atque cubicularem lectum lata fossa cinxit, iu quem se ligneo ponte recipiebat: satellites barbaros et servos habebat.

CAP. XV.

DE SIMILITUDINE FORMAE.

1. Pompeio magno Vibius ingenuae stirpis et Publicius libertinus similes fuerunt.

2. Pater ·CN· Pompei Menogenis coqui sui persimilis fuit.

3. Cornelius Scipio victimario cuidam persimilis erat.

4. Lentulus histrioni Spintheri similis fuit; Metellus nepos Pamphilo tertiarum actori.

5. Regi Antiocho unus ex aequalibus nomine Artemo persimilis fuit; quem Laodice uxor Antiochi, interfecto viro, dissimulandi sceleris gratia, in lectulo perinde ac si ipsum regem, conlocavit.

6. Herophilus ocularius medicus tam similis Mario fuit, ut sibi eum avum vindicaret (1).

7. Repertus (b) est qui se diceret Sertorii filium.

8. Extitit qui se Octaviae sororis Augusti diceret filium.

9. Quidam Cornelio Sylla rerum potiente, domum ·CN· Asiani Bionis inrupit, filiumque eius expulit, vociferando se filium illius esse.

10. Caesar Augustus barbarum quendam ob eximiam similitudinem Cappadociae regnum adfectantem, tamquam Ariarathes (c) esset, punivit; cum ille Ariarathes a ·M· Antonio occisus esset.

(a) Val. *comprehensus*. (b) Ita 2. manu; at 1. *repp*. (c) Cod. *Ariathes* hic et postea.

(1) Hoc et sequentia exempla pertinent ad titulum *de his qui alieni melioribus se inseruerunt*; si indiculum sequi vis.

LIBER DECIMUS.

PRAEFATIO(1).

Decimus atque ultimus huius operis liber seu studiosorum inertia, seu scriptorum segnitia, seu alio quovis casu aetati nostrae perditus est. Verum Iulius Paris abbreviator Valerii post novem libros explicitos, hunc decimum sub infra scripto compendio complexus est; per quod de nominibus, praenominibus, cognominibus, atque agnominibus fuisse eundem a Valerio compositum conicctari licet. Verba quidem Iulii Paridis haec sunt: liber decimus de praenominibus, et similibus.

DE PRAENOMINIBUS.

1. Varro simplicia in Italia nomina fuisse ait, existimationisque suae argumentum refert, quod Romulus et Remus et Faustulus neque praenomen ullum neque cognomen habuerint. Qui ab eo dissentiunt, aiunt matrem eorum, Rheam Silviam vocatam; avum, Silvium Numitorem; fratrem eius, Amulium Silvium, ac superiores Albanorum reges Capetum Silvium, Agrippam Silvium: posterioresque duces Metium Fufetium, et Tutorem Cloelium vocatos. Nec contenti his ad Sabinos transgrediuntur, Titum Tatium, Numam Pompilium, et patrem eius Pompium Pompilium. Eiusdemque regionis principes enumerant, Pustulanum Lauranum, Volesum Valensium, Mettum Curtium, Alium Fumusilleaticum. Ab Etruscis recitant Lartem Porsennam; ab Aequiculis Septimum Modium primum regem eorum, et Fertorem Resium, qui ius fetiale constituit. In hunc modum Varronis sententia subruitur.

2. Romanos autem arbitrandum est maxime ab Albanis et Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse, quoniam ab illis orti sunt. Omnia autem, quae ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietates dicitur, hoc distat, quia eo gens cognoscitur, ideoque dicitur gentilitium. Cetera ordine

(1) Abest a codice vaticano haec praefatio; sed eam editam ex mss. a Stephano Pighio, heic ponendam putavi, tum quia tempestiva est tum quia vetus.

variantur. Nam quod praeponitur, praenomen; quod post fertur, cognomen; quod ad ultimum dicitur, agnomen. Quorum series non ita ut exposui, semper servata est. Animadverto enim in consulum fastis perplexum usum praenominum et cognominum fuisse. Dictum Postumum Cominium Auruncum; et Postumum Ebutium Helvam (a); et Vopiscum Iulium; et Opitrem Verginium Tricostum; et Paulum Fabium Maximum. Quin etiam quaedam cognomina in nomen versa sunt, ut Caepio: namque hoc in Bruto nominis locum obtinuit. Gentilicia nomina Varro putat fuisse numero ∞ (b): praenomina circa ·XXX· Pueris non prius quam togam virilem sumerent; puellis non ante qusm nuberent, praenomina imponi moris fuisse, Quintus Scaevola auctor est. Quae olim praenomina fuerunt, nunc cognomina sunt, ut Postumius, Agrippa, Proculus, Caesar.

3. Opiter, qui patre mortuo, avo vivo, gignebatur. Vopiscus, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu eiecto, incolumis editus erat. Hospes praenomen fuit in eo, qui peregre apud hospitem natus erat: idque habuit Lucretius Tricipitinus collega ·L· Sergii. Volero in praenomen abiit, quod volentibus nasci liberi parentibus videbantur (c), quo usus est Publius Philo. Lartis (d) pronomen sumptum est a laribus: tuscum autem esse creditum; fuitque consul Lar (e) Herminius cum ·T· Verginio Costo. Statius a stabilitate; Faustus a favore praenomina ceperunt. Tullus praenominatus est ominis gratia, quasi tollendus, o littera in u conversa. Sertor qui per sationem natus erat, adpellatus est. Ancum praenomen Varro e Sabinis translatum putat: Valerius antias (f) scribit, quod cubitum vitiosum habuerit, qui graece ἀγκὼν vocatur. Lucii coeperunt adpellari, qui ipso initio lucis orti erant; aut ut quidam arbitrantur, a Lucumonibus etruscis. Manii, qui mane editi erant; vel ominis causa, quasi boni: manum enim antiqui, bonum dicebant. Cnaeus ob insigne naevi adpellatus est, quod unum praenomen varia scriptura notatur: alii enim Naeum, alii Gnaeum, alii Cnaeum scribunt. Qui ·C· littera in hoc praenomine utuntur, antiquitatem sequi videntur, quae multum ea usa littera est. Olim enim dicebatur frucmentum (g), nunc frumentum ecfertur; et forctis, non fortis; et natura (h), non natura. Ergo etiam qui in corporibus gigni solet, Cnaeus appellabatur. Qui ·GN· ponunt, corruptione (i) syllabae delectari videntur; qui Naeus levitate. Gaii iudicantur dicti a gaudio parentum. Auli quod dis alentibus nascuntur. Marcii, martio mense geniti. Publii qui prius pupilli facti erant, quam praenomina haberent: alii ominis causa e pube. Tiberii vocitari coeperunt, qui ad Tiberim nascebantur. Titus e sa-

(a) Ita cod. (b) Male in edd. *innumera*, pro *mille*. (c) Locus hic corruptus est in editionibus. (d) Cod. *Laertis*. (e) Cod. *consularis*. (f) Cod. *antea*. Editiones et mss. variant. Scripsi *antias* cum duobus codd. a Pighio laudatis. (g) Cod. *frugmentum*. Sed error est heic et in edd. Nam *C* saepe non *G* familiaris littera fuit antiquis, ut monumenta testantur v. gr. *uexor*, *vicxit ancxius*, *quincxus*, *quinctilis*, *saexa*, *devincxerit*. Videsis indicem meum Fronton. (h) Cod. vat. *corruptione* cum aliis mss. (i) Cod. *gnatura*.

bino nomine (a) Tito fluxit. Appius ab Atto eiusdem regionis praenomine. Caesones adpellati sunt, qui e mortuis matribus exsecti erant. Servius, quod mortua matre in utero servatus est. Spurii patre incerto geniti, quasi σποράδιοι. Numerii sola tantummodo patricia familia usa est Fabia; idcirco quod trecentis sex apud Cremeram flumen caesis, qui unus ex ea stirpe extiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numerii Iotacilii maleventani, sub eo pacto ut quem primum filium sustulisset, ei materni avi praenomen inponeret, obtemperavit.

4. Antiquarum mulierum frequenti in usu praenomina fuerunt Rutilia, Caesellia, Rodacilla, Murrula, Burra, a colore ducta. Illa praenomina a virilibus tracta sunt Gaia, Lucia, Publia, Numeria. Ceterum Gaia usu super omnes celbrata est. Ferunt enim Gaiam Caeciliam, Tarquinii Prisci regis uxorem, optimam lanificam fuisse: et ideo institutum ut novae nuptae ante ianuam mariti interrogatae, quaenam vocarentur, Gaias esse se dicerent.

(a) Num pro *homine*?

Desiderantur in codice vaticano reliqua capita, quae indiculi auctor (p. 2.) promiserat, nempe de nominibus, cognominibus, agnominibus, appellationibus, verbis. Tum in calce superstitis capituli de praenominibus subtexitur Probi titulus, quem mox recitabo; eius autem rei causas in prohoemio meo vestigavi. En titulum Probi, prout est in codice vaticano.

C. TITI PROBI
FINIT EPITOMA
HISTORIARUM DIVERSARUM EXEMPLORUMQUE ROMANORUM.

FELICITER EMENDAVI DESCRIPTUM RABENNAE

RUSTICIUS HELPIDIUS DOMNULUS ·VC·

Huic autem titulo consonat praefatiuncula quaedam quam ex mss. edidit Pighius, quae est huiusmodi.

C. TITI PROBI
IN EPITOMAM SUAM PRAEFATIO.

Decimus huius operis liber, qui et ultimus est, vel ex neglegentia aut malivolentia librariorum deperiit. Abbreviator titulos eius habebat integre fortassis; tamen de uno tantum, hoc est, de praenomine, epitoma repraesentabat.

IANUARII NEPOTIANI

EPITOMA LIBRORUM VALERII MAXIMI.

IANUARIUS NEPOTIANUS

VICTORI SUO SALUTEM (1).

Impensius quam ceteri adulescentes literis studes, quo tantum proficis, ut exigas scripta veterum coerceri, mi Victor: quod iudicium etiam in senibus rarum est, quia recte dicendi scientia in paucis (a). Igitur de Valerio Maximo mecum sentis, opera eius utilia esse, si sint brevia. Digna enim cognitione componit, sed colligenda producit, dum se ostentat sententiis, locis iactat, fundit excessibus; et eo fortasse sit (b) paucioribus notus, quod legentium aviditati mora ipsa fastidio est. Recidam itaque, ut vis, eius redundantia, et pleraque transgrediar, nonnulla praetermissa conectam (c). Sed hoc meum, nec vim antiquorum habebit nec fucum novorum. Et cum integra fere in occulto sint, praeter nos (d) duo, profecto nemo epitomata cognoscat. Hoc

(a) Sex verba haec *quia recte dicendi scientia in paucis*, omisit imprudens Labbaeus. (b) Labb. *fit*. (c) Ita cod. vat. cum unica *n*; quod est prisca orthogr. (d) Sic bene cod. vat. Male Labbaeus *vos*.

(1) Praefationem hanc edidit Labbaeus biblioth. mss. T. I. p. 669. Et quidem arbitror ex hoc eodem vaticano codice, a quo nunc ego ineditum ipsum opus depromo: namque Labbaeus in praecedentibus ibi paginis utitur aliis codicibus vaticanis ad edenda antiqua fragmenta. Quod autem codex a me nunc inspectus non solum emendationes aliquot suppeditavit huius praefatiunculae, verum etiam eiusdem particulas novas duas; has, inquam, omissiones Labbaei potius incogitantiae errorique tribuam, quam de alio Nepotiani exemplari, quod nusquam hactenus comparuit, cogitem.

tutius abutor otio. Heus censor, de cetero (a) cave hic aliud quam brevitatem requiras, quam solam poposcisti. Cura, mi Victor, ut valeas.

CAP. I.

DE RELIGIONE.

1. Romani aeque armis ac sacris studentes ex senatus consulto decem optimatum liberos ob noscendas haruspicum disciplinas in Etruriam miserunt; qui ut ceteras quoque caerimonias Graecorum, calliphanas (1) petierunt.

2. Metellus pontifex maximus Postumium consulem in Africam profecturum sub denuntiatione multae continuit; eo quod esset consul idem flamenque martialis: ut videlicet priore haberetur loco sacerdos quam consul, res sacra quam victoria.

3. Gaius Flaminius adverso omine magister equitum esse noluit.

4. Syracusis cum Clastidio captis M. Marcellus quinquies consul, cum ex voto aedem Honori et Virtuti construeret, a collegio pontificum prohibitus est duobus numinibus unum delubrum dicare: ne, uno contumelia praetermisso, alteri sacrificaretur: aut siquod accidisset prodigium, de placando esset incertus. Marcellus duplo sumptu duo templa constituit.

5. L. Furius Bibaculus praetor a patre magistro Saliorum iussus ancilia tulit: cum id praetori necesse non esset. Sed tamen Bibaculus patri et sacris paruit.

6. M. Atilius (b) duumvir iussu Tarquinii regis culeo insutus est, quod librum occultioris sacri describendum subtractum e regiis secretis prodidisset.

7. Gracchis remp. vexantibus, repertum in sibyllinis libris antiquissimam Cererem placandam. Tunc quindecim viri Hennam profecti sunt. Is enim locus a virgine cultus putatur. Et Dea sacrificiis propitiata Gracchorum exitu putatur.

8. Tiberius Gracchus ad augurum collegium e provincia scripsit comperisse se consules non auspicato creatos. Recitata in senatu epistula, revoca-

(a) In cod. *pleteres*, ex quo mendo *per veteres* facere pronum erat, sed parum commodo sensu. Malui *de cetero*. Lebbaeus omissis mediis transiliit ab *otio* ad *cave*. (b) Lectio *Atilius* pro *Tullius*, convenit cum Dionysio halic.

(1) Ita cod., quam lectionem immutare nolui; quamquam Nepotiani codex mendose admodum ab inerudito librario scriptus est; ita ut multas passim lectiones a me emendari necesse fuerit; ne adscriptis quidem plerumque, ut alias soleo, mendis in scholiis, propter multitudinem et intolerabilem absurditatem.

ti sunt consules, Figulus e Gallia, Scipio Nasica ex Corsica. Tanta vis religionis inerat, ut de ea crederetur etiam absenti.

9. Cum Sulpicio sacrificanti apex cecidit, significatum est instare iacturam sacerdotii.

10. Fabius Maximus cum crearetur dictator, sorex sonuit. Ille ob omen dictaturam deposuit.

11. P. Licinius pontifex maximus virginem Vestae quod quadam nocte ignem perpetuum indiligenter servasset, flagris coercuit. Verum severitas ad pellendam neglegentiam adeo parum profecit, ut postea ignis extinctus sit. Sacerdos vero vel pontifex pro peccato amplius poenae metuens, ornamentum ex suis pretiosissimum cineri superposuit; moxque flamma surrexit (1).

12. Albanus insignis vir religione, qui cum capta urbe a Gallis fugeret, plaustroque eveheret familiam suam, virginesque Vestales cum sacris pone vidisset, deiecit uxorem ac filios, et sacerdotes cum piis honeribus suscepit: iussusque iter mutare, Cere pervenit: ex cuius oppidi obsequio in publicas religiones, caerimonias appellaverunt.

13. C. Fabius Dorsuo flamen quirinalis, cum idem Galli obsiderent Capitolium, sollemni die gabinatus (2) sacra praeferens per hostium tentoria, sacrificio *peracto* rediit.

14. Sub Ianiculo arca inventa est, ·P· Cornelio et ·M· Baebio Tamphilo (a) conss., plena libris nostra lingua atque attica: qua in arca latini pontificum disciplinas, at graeci philosophorum habebant. Servatis igitur nostris, graecos igni dedere; quia non probaverint contra religiones sapientiam (3): quos libros iussu senatus ·P· Petilius praetor urbanus exussit.

15. ·M· Atilius Regulus missus a Carthaginiensibus Romam inter legatos punicos sub sacramento, ut si captivorum commutatio facta non fuisset, ad supplicium rediret; de captivis permutandis populo romano ipse dissuasit; et ad Poenos rediit, ne peieraret.

16. Post cannensem cladem cum satis iuste tota civitas in maerore esset, senatus censuit ut dies ·XXX· tantum luctibus darentur: instabant enim sacra Cereris, quae oportebat a laetis celebrari.

17. Varro in Cannis male adversus Poenos rem gessisse fuere qui crederent, eo quod puerum speciosissimum in Iovis tensa imposuisset. Ob *id* laesam saevisse Iunonem. Vix denique post aliquos annos sacrificiis culpa expiata est.

18. Hercules Italiae hospes sacra fertur Potitis tradidisse, quae per familias servata sunt. Sed postea Appius censor servis publicis ea tradidit: ob

(a) Cod. *Pamphilio*.

(1) Differunt haec a Valerii narratione.

(2) Notemus vocabulum.

(3) Dictum notabile! Confer §. 2.

quod piaculum Potiti omnes puberes fere ·XXX· eodem occubuere anno: dehinc Appius eiusdem vir generis excaecatus est.

19. Carthagine a Romanis capta, spoliatus Apollo veste aurea, iuventae sunt, cum frustis tunicae, manus eorum qui abstulerant (a).

20. Brennus rex Gallorum victoriis Delphos usque pervenerat. Cumque iam humanae vires resistere ei omnino non possent, cultoresque loci ad Apollinem confugissent, respondit deos secum et candidas puellas Gallis pugnaturas. Tum nivibus cum omni exercitu Brennus oppressus est (1).

21. Lucum Aesculapii Turulus Antonii praefectus in usum navium succidit: postea victus a Caesare, in eodem luco Turulus interemptus est.

22. Fulvius Flaccus censor (b) cum aedem Fortunae equestris Romae faceret, tegulas et marmora de templo Iunonis laciniae transtulit: moxque mente caruit, filiumque militantem in Illyrico amisit. Tum referri senatus usurpata iussit.

23. Pleminius Scipionis legatus Proserpinae thesaurum vacuavit: quem Scipio catenatum Romam direxit, ubi in carcere taetro languore periit. Senatus vero duplam pecuniam reddendam censuit.

24. Eiusdem deae opes rex Pyrrhus Locris populatus est: cumque navigaret, subitis tempestatibus cum classe illisus est: rapta autem in litore inventa ac reddita sunt.

25. Ad Masinissam regem immensae magnitudinis elephanti dentes praefectus classis detulit; quos cum cognovisset e templo Iunonis melitensis ablatos, remisit. Inscripsit quoque gentilibus litteris: accepisse regem ignorantem, supplicem remisisse.

CAP. II.

QUI RELIGIONEM DISSIMULAVERINT, VEL DE CONTEMPTU OBSERVANTIAE.

1. Dionysius Syracusanorum tyrannus Locris fanum Proserpinae spoliavit, et navigans suis flatibus, dixit: sic sacrilegi navigant. Idem Dionysius Iovem olympium pallio aureo nudavit, quod Gelo de spoliis Carthaginis dederat; et apposuit laneum dicens, hoc potius convenire, quod hieme apricaret, non quod gravaret aestate.

2. Aesculapio quoque Dionysius barbam auream dempsit et ait, patre levi filium incongrue esse barbatum. Hic quidem impunitus fuit; sed eius filius heres dominationis poenas dare delectus, exilio solvit.

(a) Cod. *abstulerint*. (b) Cod. *censor senatus*.

(1) Deest hoc exemplum apud Valerium. Est ergo ex iis praetermissis, quae in epistula Nepotianus conecturum se promittit.

3. Alexander (1) magnus Miletum cepit. Cum milites etiam Cereris templum introissent, excaecati sunt, ne inspicerent secreta tantum feminis cognita.

4. Persae mille naves appulere Delum (a): et cum divitiae in praedas possent allicere victores, omnibus spoliis temperatum est in Dei honorem.

5. Pythagoras (b) philosophus ab Atheniensibus pulsus est, librique eius exusti; quia scripserat ignorare se an dii essent; ac si essent, quales essent posse sciri.

6. Socrates in eadem urbe damnatus est, quod contra religiones nonnumquam disputaret.

7. Phidias ibidem eboris scalptor ait, sumptu minore, marmore incipere (c) diis simulacra fieri; quod ipsi irati ex ebore Athenienses iusserunt.

8. Apud eosdem Diomedon, unus de decem ducibus, cum post victoriam ad supplicium pergeret, rogavit ut nuncupata vota pro exercitu solverentur.

CAP. III.

QUI RELIGIONEM SIMULAVERUNT.

1. Numa Pompilius cum efferatos assiduis bellis Romanos animadverteret, docuit eos cultum deorum. Atque idem ut facilius mansuescerent, Aegeriam nympham in consuetudine se habere praeceptricem sibi confinxit, quo maior apud feroces esset auctoritas.

2. Scipio Africanus neque publica neque privata prius umquam attigit quam in cella Iovis capitolini diutissime moraretur, ante quam videretur a quoquam.

3. Sylla proeliaturus simulacrum Apollinis Delphis ablatum suppliciter orabat in conspectu militum, ut promissa praestaret, videbaturque mire illo (d) fretus.

4. Syram mulierem Marius in castris habuit sacricolam, ex cuius se auctoritate asserebat omnia aggredi (2).

5. Sertorius in exercitu hispano albam cervam habuit, quam persuasit barbaris monitricem sibi esse.

(a) Cod. *Persae mille navibus implevere Delum.* (b) Ita nonnulli etiam Valerii codices, pro *Protagoras.* (c) Ita cod. (d) Cod. *bellum*, pro *illo.*

(1) Ab hoc loco usque ad exemplum Deiotari nihil aliud habebamus in Valerii editionibus quam Paridis epitomae fragmentum. Nunc Nepotianus integrum pariter Valerium compilans, plura quandoque nobis exhibet, et a Paridis compendio diversa. Quare haec pars Nepotiani pretiosior ceteris est.

(2) Abest hoc exemplum a Valerii editionibus.

CAP. IIII.

DE SUPERSTITIONIBUS.

1. Bacchanalium mysteria fuere Romae: sed cum temporibus nocturnis viri ac feminae pariter essent, furerentque multo coleutium sanguine, peregrina sacra abolita sunt.

2. Chaldaeos Cornelius Hippalus urbe expulit, et intra decem dies Italia abire iussit, ne peregrinam scientiam venditarent.

3. Iudaeos quoque qui Romanis tradere sacra sua conati erant (1), idem Hippalus urbe exterminavit; arasque privatas e publicis locis abiecit.

4. Lutatium Circonem (a) confectorem primi punici belli fama extitit velle ad praenestinae fortunae sortes mittere sive colligere. Hoc cognito, senatus inhibuit extraria responsa consultorum disquiri. Iussum legatis est aedilibusque iu haec missis, ut si consuluisset, ad supplicium Romam reduceretur. Denique adeo profuit factum, ut pro incertis ei romana auspicia fuerint: nam ab altaribus patriis profectus, Aegadas opulentissimas insulas in conspectu Carthaginis populatus est (2).

CAP. V.

DE AUSPICIIS.

1. Urbem Romam auspiciis conditam, certum est. Itaque Remus prior sex vultures auspicatus; postea Romulus duodecim, potior Remo fuit; quod Remus prioribus auspiciis niteretur, Romulus pluribus (3).

2. L. Tarquinius rex cum centuriis a Romulo constitutis alias adicere disponeret, Attius Navius augur dixit, prius deos consuli oportere. Rex iussit sciscitari, num quod in animo haberet fieri posset. Post consultationem, posse respondit. Novacula, inquit Tarquinius, cotem scindere volo. Nil concitatus augur scidit. Exin magna fides et auctoritas Romae augurum mansit. Navio cum cote et novacula constituta est statua.

3. Tiberius (b) Gracchus tribunatum adepturus, pullarium domi consuluit; ab eoque ire in campum prohibitus est. Sed cum pertinaciter pergeret, sic illisit mox extra iannam pedem, ut eius exciderctur articulus. Deinde tres corvi prodeunti ei cum vocibus adversis involaverunt, et compugnantes tegulam ante pedes eius deiecerunt. Cumque in Capitolio consuleret,

(a) Paris *Cerco*. (b) Cod. heic et aliquoties alibi *Titus*; quia scilicet librarius recentior male legit *Titus* antiquum compendium *Ti.* quo significatur *Tiberius*.

(1) Confirmat Nepotianus quae dixi ad Paridem p. 7.

(2) Multo contractius hoc est exemplum in Valerii editionibus.

(3) Non extat hoc exemplum in Valerii editionibus.

similia auspicia habuit. Male igitur tribunatu gesto, occisus est: a Scipione Nasica primo ictus fragmento subsellii, postea clava, expiravit (1). Corpus eius cum his qui pariter occisi erant, Lucretius aedilis plebi inhumatum in Tiberim abici iussit.

4. P. Claudius praeceps animi primo bello punico pullarium consuluit: qui cum dixisset non vesci pullos, quod malum omen est; bibant, inquit; et in mare proici iussit. Mox classem apud Aegadas insulas cum multo reip. damno et suo exitio amisit.

5. Metello pontifici maximo proficiscenti in agrum tusculanum corvi duo evidenter obstiterunt. Sed neglecto augurio, ire contendit. Inter se aves unguibus laniare coeperunt et rostris dare ictus. Mirans Metellus Romam rediit. Sequenti nocte ex incendio palladium rapuit.

6. M. Tullius Cicero cum in agro caletano (a) proscriptus lateret insectante Antonio, corvus virgulam ferream, qua distinguebantur horae, sic rescidit rostro, ut ea excuteretur: togamque Tullii apprehendit et traxit. Sub momento ad eum percussores irruerunt.

7. M. Brutus collega Cassii de exitu belli est civilis ammonitus (b). Nam duae aquilae advolantes supra eum campum in quo pugnavit, ex diversis castris convenientes conflixerunt. Victrix profecta ad Caesarem est: fugit illa quae ex Bruti advenerat parte.

8. Deiotaro regi tetrarchae in iter necessarium intento, saevum augurium aquila cecinit. Rex territus rediit. Ea nocte hospitium corruit, quod regi fuerat praeparatum.

CAP. VI.

DE OMINIBUS.

1. Postquam ceperant Galli de urbe victoriam, patres conscripti deliberabant migrare Veios: cum centurio cohortibus signa referentibus exclamat, signifer hic fige signa; optime manebimus. Paritum omini est.

2. Camillus precatus deos est, populi romani florente fortuna, ut siquis deorum felicitati reip. invideret, per Camillum sibi satisfaceret: et sub verbo decidit. Probavit omen exilium quod insecutum est.

3. L. Paulo consuli sorte evenit provincia Macedonia adversus Persen regem. Reversus domum, invenit parvam filiam flentem. Quaerenti causas, illa respondit; mi pater Macedonis (c) est mortuus (hoc nomine catellus fuerat.) Ille in triumphi spem omen accepit.

(a) Cod. *caletano*. Confer Paridem p. 8. (b) Ita cod. heic et alibi; ut nunc scilicet Itali scribunt. (c) Ita cod.

(1) Subsequens exempli pars abest a Val. edd.

4. G· Marius a senatu indicatus hostis, Minturnis custodiebatur in domo Fanniae. In conspectu eius asello pabulum forte oblatum est; *quo* contempto animal ad aquam contendit. Obtinuit Marius a multitudine auxiliatrice ut ad litus deduceretur. Tunc parva navi Africam evectus, evasit arma syllana.

5. Pompeius victus a Caesare Cyprum tendens, Paphum venit; ammiratusque aedificium in litore, interrogavit quid esset. Gubernator ait κακὴν βασιλείαν (a) dici. Scaevum omen statim tristi vultu prodidit; et effugit locum.

6. L· Cassium Rhodum spoliantem incolae rogabant, ut deorum simulacris abstineret. Ille ait, solem se relinquere. Nec mora; in Macedonia victus periit.

7. A Petilio consule obpugnabitur in Liguria civitas (b) Letum nomine. Adhortans militem ait consul: Letum hodie capiam. Moxque occisus est.

CAP. VII.

DE PRODIGIIS.

1. Servio Tullio in Tarquinii Prisci regia dormienti caput ardere visum est: quod prodigium cum Tanaquil uxor regis audisset, puerum inter liberos educavit. Denique idem Romae rex fuit gradu sexto.

2. L· Marcius post interitum Pub· et Gnaei Scipionum, perturbatum exercitum ducis alloquebatur officio, cuius capite apex flammae summus emicuit. Postea caecidit hostium milia XXXVII·, plurimosque cepit: dehinc punicis castris potitus est.

3. Scipio ut in africanam terram descendit, cecidit. Hoc factum pavente exercitu, exclamavit: teneo te, terra Africa; et vicit (1).

4. Sylla contra Samnites gerens bellum, inter sacrificandum ad sinistram serpentem vidit. Mox adhortante Postumio haruspice, produxit exercitum et vicit.

5. Bos locuta Romae est, ·L· Volumnio et Servio Sulpicio conss.

6. Carnes etiam caelo lapsae sunt; quarum pars ab avibus intercepta est, pars incorrupta diu iacuit. Quo anno gravia fuere bella.

7. Item in sequenti tumultu, infans sex mensium in boario foro triumphum clamavit quievitque. Tum infans alter natus est capite elephantino. Imbre saxatili picena regio verberata. In Gallia eisdem temporibus lupus e vagina gladium sustulit vigili. Tunc et sanguinem duo scuta in Sardinia sudarunt. Apud Antium quoque messores sanguinulentis spicis implevere corbes, et pluviae deciderunt cruentae. CN· Domitii (2) bos bello punico secundo sonuit: cave tibi, Roma.

(a) Cod. *caubastica*. (b) Val. *mons*.

(1) Desideratur in Valerii serie hoc exemplum.

(2) Aliud agens dixi ad Parid. p. 10. silere Valerium de hoc homine.

8. G. Flaminius consul sine auspiciis creatus, conflicturusque cum Hannibale ad lacum Trasimenum, cum equo suo cecidit. Et cnm post hoc omen rapi signa iussisset, convelli uequaquam potuerunt. Denique effodere ea imperavit. Eo proelio caesa (a) sunt Romanorum milia XV; capta sex; reliqui fugerunt, milia X: ipse consul occisus est; quem cum Hannibal humari iussisset, uon repereruut.

9. Mancinus consul ad Hispaniam directus est, bellum contra Numantinos acturus. Cum Laviuii sacrificaturus esset, emisit cavea pullarius pullos, qui in silvam evolaverunt, nec reperti sunt diu multumque quaesiti. Navigaturus idem e portu Herculis, sine auctore vocis audivit: Mancine mane. Cumque scapham conscendisset, immensum anguem illic exhorruit. Tribus prodigiis uunciata sunt infelicia tria; pugna, foedus, deditio.

10. Tiberius Gracchus civis optimus cum consul rem diviuam iu Lucanis faceret, bello punico, gemini serpentes allapsi sunt, caesaeque hostiae iecur comederunt. Refugit turba territa sacrificium. Quod cum rursus repetitum esset, idem accidit. Tertio quoque cum diligeutissime hostia servaretur et serpentum prohiberetur incursus, arceri non potuerunt, quin idem facerent. Postea consul quamvis vir cautissimus a Flavio hospite inductus in insidias est: atque ita praeventus dolo ut iuermis ad eum locum veniret, iu quo latebat poenus Mago, et ab eo occisus est.

11. Marcellus Syracusarum victor et fugator Hannibalis, cum sollemne sacrum faceret, primae hostiae iecur siue capite habuit; secundae duplici capite. Haruspici displicuit post prima tristia, sequentia nimis laeta esse. Itaque Marcellus cum exploratum uoctu processisset, in Brutiis a Poeuis interemptus est.

12. Octavius collega Cinnae vidit Apolliuis caput e statua cecidisse, quod caput evelli terra omniuo nou potuit. Nec longum: cum Cinna dissidens collega periit. Caput statuae post Octavii poenam levatum est.

13. Crassus triumvir dimicaturus Charris cum gente Persarum, pullum accepit paludamentum, cum moris fuerit candidum offerri sive purpureum. Una etiam aquilarum vix potuit evelli. In proelium prodeuntibus altera aquila cum ferretur, retrorsum versa est. Mox innumerae Romanorum cecidere legiones. In conspectu patris filius periit. Crassus ipse iacuit inhumatus, et ludibriis patuit.

14. CN. Pompeio moventi signa Dyrrhachio fulmina adversa occurrerunt: apes quoque obsedere vexilla. Quo viso subitus maeror confudit exercitum, fugerunt hostiae; iu templis simulacra conversa sunt, alia fleverunt, alia sudaverunt. Tantus vero iu acre armorum strepitus fuit, ut Antiochiae quasi ad adventum hostium iu muros concurreretur.

(a) Cod. *fusa.*

15. Sub statua Caesaris eisdem temporibus Trallibus in aede Victoriae procera palma nata est; ac mox pharsalica est nunciata victoria.

16. Ante quam Caesar occideretur in curia, ante dies paucos bove ex more mactata cor in extis non est repertum. Quod cum Spurinna pronunciasset ad vitae periculum pertinere, ait Caesar constantiae memor: miraris si cor bos non habet! Sed mox ei vitae finis fuit.

17. Xerxi regi Persarum equa leporem peperit in castris: quo prodigio praenunciatum est milites eius pavore fugituros. Omen secutum est; nam diu victor, miser recessit.

18. Idem Xerxes cum Lacedaemonem vellet invadere, inter convivandum accipiens vinum patera excepit sanguinem. Hoc iterum ac tertio. Tunc magi monuerunt ut ab incepta intentione desisteret.

19. Midae regi futuro, cum parvus esset, formicae grana frumenti in os ingesserunt. Ditissimus omnium fuit.

CAP. VIII.

DE SOMNIIS.

1. Octavianus Augustus aeger in castris pharsalicis erat. Cumque apud Philippos luce ventura certaturae civile inter bellum romanae manus essent, Minerva in somniis visa medico eius Artorio iussit, ne eo bello Augusto opus esset. Ad quod proelium cum lectica latus est: sed intento eo in adventum victoriae, Brutus castra eius cepit.

2. Calphurnia uxor Iulii Caesaris vidit in somnis maritum suum confossum vulneribus in sinu suo iacere. Oravit Caesarem ne eo mane abiret in senatum. Sed ille auspiciorum saepe neglegens, contempsit somnium, sed exitu probavit.

3. P. Decius Mus et Mallius Torquatus consules bello latino somniarunt diis manibus terraeque matri alterius exercitum deberi. Cum consulum somnia convenirent, consulti dii sunt. Idem ex auspicio responsum est, inter eosdem duces, ut is se morti offerret, cuius cornu et acies prius cedere coepisset in proelio. Decium gloriosa facta rapuerunt, quamvis et Torquatus mori pro patria praeoptasset.

4. Ciceroni exuli, cum quiesceret in villa campi atinatis (a), in somniis occurrit imago G. Marii cum insignibus consulatus, visusque eum lictori tradere qui in monumentum marianum deduceret; praemissa voce, illic spem ei meliorem fore. Deinceps in templo Iovis a Mario exstructo de reditu Ciceronis senatus decrevit.

(a) Cod. *altinatis*.

5. Cassius parmensis, percusso Antonio, vidit in somno hominem peraegrandem concretum coma et barba. Rogavit quis esset: respondit se esse Orcum. Inclamavit pueros, quaesivitque ecquem talem vidissent. Negantibus, indormivit. Occurrit iterum species. Accenso dehinc lumine vigilatum est. Paucis post diebus iussu Caesaris capite punitus est.

6. Hannibal somniavit iuvenem humana forma augustiorem, qui se hortaretur in excidium Italiae auctore Iove secuturum. Deinde post tergum respiciens, intueri sibi visus est serpentem vastum cuncta populantem: audire etiam caeli fragorem, nec non et nimbos cum maligna luce visere. Interrogavit iuvenem praeeuntem, quid subsequatur. Ille ad haec; vides, inquit, vides excidium Italiae: tace, et cetera permitte fatis.

7. Alexander magnus quiescentem se interfici Cassandri dextera vidit. Eodem ipso postea insidias ordinante, bibit venenum.

8. Simonides poeta graecus ad litus appulit, et naufragum illic cadaver repertum sepelivit. Dehinc quiescens ammonitus est ab umbra sepulti, ne die postero navigaret. Quicumque solverunt, in conspectu eius summersi sunt. Simonides somnium versibus cum laude celebravit.

9. Croeso regi (a) visum est per quietem quod Atys filius suus pulcherrimus fortissimusque ferro interficeretur. Iuvenem bellis abstinuit, armamentarium adire non sivit, removit armigeros. Sed circa Olympum aper nimius coepit cuncta vastare et rusticos sternere. Oravit filius ut ad interficiendam beluam mitteretur: optinuit; sed lancea qua petitus aper fuerat, ab eo adulescens, cui commissus fuerat, occisus est.

10. Hamilcar dux Carthaginiensium audisse sibi in somno visus est, quod Syracusis, quas obsidebat, alio die caenaturus esset. Pugnavit spe victoriae, et in urbem harpagonibus (b) raptus est.

11. Alcibiades somniavit pallio se opertum; et amicae suae tecto interea opertus est (c).

CAP. VIIII.

DE MIRACULIS.

1. Aulus Posthumus dictator contra Mamilium ducem Tusculanorum cum diu pugnaret ad lacum Regillum, Castor et Pollux inter Romanos visi sunt dimicantes.

2. P. Vacienus ad urbem Romam nocte vadens vidit iuvenes albis equis sedentes, qui iusserunt ut die sequenti senatui nunciaret Persen regem Macedonum a Paulo esse captum. Vacienus quidem libens laeta executus est; sed iussu senatus missus in carcerem est tamquam incertorum locutor. Mox

(a) Cod. cum *Persarum regi*. (b) Cod. *arpaconibus*. Scribe a *Syracusanis*, vel *ab hostibus*. (c) Ita cod.

litteris Pauli de die victoriaque, certa res patuit. Vacienus solutus custodia agrum dono accepit. Et Vacieno idem gemini visi ad lacum Iuturnae sudorem suum equorumque abluentes.

3. Roma laborans pestilentia per triennium, libros consuluit sibyllinos, quibus iubebatur ut ab Epidauro Aesculapius exhiberetur. Missi legati sunt ad graecam urbem, quos libenter Epidaurii atque humaniter susceperunt. Ibidem ae legatis serpens ostendit raro ab incolis nisi feliciter visus. Cumque per triduum familiariter apparuisset, cunctis inspectantibus subiit in triremem romanam, et in tabernaculo legati Quinti Burgoni (a) collectus quievit. Urbe profecti Romam sunt: anguis in navi semper apparuit. Antium ventum est: descendit serpens ad limen templi Aesculapii, et triduo inter myrtos latuit. Dehinc rediit ad navem: cumque ventum esset ad Tiberim, enatavit *in* insulam, in qua illi templum est constitutum. Et mox sanitas Romanis data.

4. Furius Camillus Veios cepit, iussitque statuam Iunonis Monetae transferri. Unus e militibus per iocum interrogavit simulacrum, num vellet ire Romam. Respondit, volo.

5. Tum cum Coriolanum mater ab urbis Romae revocavit excidio, ad quartum lapidem via latina Fortunae effigies bis locuta est his verbis: rite, matronae, dedistis: rite dicarunt (b).

6. Valerius Publicola consul primus cum expulso urbe Tarquinio contra Etruscos Veientesque pugnaret, e proximo luco audita vox est: uno plus Etrusci cadent; Romanus victor abibit. Utrumque verum fuit.

7. Gaius Fabricius Luscinius consul praecipuus imperator Thurinis auxilio erat contra Brutios Lucanosque. Id cum militibus romanis arduum videretur, ut contra duas gentes validas congrederentur, apparuit subito iuvenis ignotus, ad virtutem romanos exercitus acuens, et cum tardiores forte sentiret, scalas gerens per adversas acies hostium: accenditque Romanos pulchrae virtutis hortatu. Denique eo proelio a Romanis caesa sunt milia ·XX·, capta milia V, cum signis tribus (c), et duce Tato Tellio (d). Mane alio consul Fabricius pronunciavit ei se vallarem coronam daturum qui in castrum primus irruperat. Cum petere praemium nullus audiretur (e), honos et manubiae Marti a cunctis militibus cum devota supplicatione delatae.

8. Deos penates Aeneae Ascanius Lavinio transtulerat. Simulacra Lavinium sponte rediere. Rursus traducta Albam, repetivere antiquiora delubra.

9. L. Cassium percussorem avunculi sui ·G· Iulii Caesaris Octavianus Augustus bello est persecutus. Itaque cum ad Philippos pugnaretur, Cassio visum est quod purpuratum Iulium Caesarem equo incitato in se irruentem videret; et gemens exclamavit: cedamus, quando nec occidisse prodest.

(a) Sic etiam cod. ulteriori. Val. (b) Ita cod. At Val. et Par. *dicastis*. (c) Val. *XXIII*. (d) Val. *Statio Statilio*. (e) Cod. *audirat*, fortasse pro *auderet*.

10. L. Lentulus in aegyptio litore forte conspexit fragmentis scaphae humanum corpus exuri; et militibus ait: quid scimus an Pompei rogus sit? Ignorans rem locutus est.

11. Cum sacrarium Saliorum crematum esset, solus Romuli lituus integer repertus est.

12. Exusta similiter aede Fortunae, Servi Tulli statua illaesa inventa est, aliis concrematis.

13. Statua Quintae Claudiae virginis Vestae in area deûm Matris geminum evasit incendium; eius videlicet quae inhaerentem vado Tiberis navem vitta dumtaxat *movit*. Nam cum rea haberetur incesti, ligavit proram zonula, et ait: si virgo sum, sequere: moxque navis mota, ingressaque Romam est, cum simulacro Matris deûm, quod a Pessinunte motum navi advehebatur.

14. L. Lammia vir praetorius mortuus rogoque impositus exclamavit; sed accensa extingui flamma non potuit.

15. Pheretem pamphilum virum Plato scribit in acie cecidisse; et post decem dies collectum biduo iacuisse. Dehinc in rogo recepisse vitam, plurimaque locutum quae vidisset in morte.

16. Athenis quidam vir longe doctissimus ictus lapide, omnes sensus retinuit, oblitus est litterarum: durum homini, praesertim atheniensi, damnum.

17. Nausimenis atheniensis uxor in incestu deprehendit filiam filiumque permixtos. Muta exin perpetuo fuit.

18. E contrario Echecles samius athleta cum vicisset, nec praemium ei daretur, antea mutus, indignatione locutus est.

19. Gorgias apud Epirotas longe primus in feretro matris natus est. Nam dum mulieris cadaver effertur, subito vagitus auditus est.

20. Pheraeo Iasoni vomica vitae periculum saepe faciebat. Hunc quidam gladio ex insidiis percussit, et vulnere rupit vomicam, sanavitque occisuri voluntate.

21. Simonides caenabat apud Scopam in Thessaliae oppido Cranone. Duo iuvenes ingressi specie decora exegere Simonidem ut prodiret. Egresso eo, triclinium cecidit convivasque obruit. Cumque discerni ad sepulturam corpora confusa non possent, Simonides ordinem quo quis accubuerat dixit; laudesque Pollucis et Castoris salutis suae gratia carminibus celebravit.

22. Consulenti Philippo Apollo respondit, ut a quadriga caveret. Rex iussit equos numquam iugari. Vitavit etiam locum in Boeotia cui ἅρμα nomen est. Sed princeps vel rex Bithyniae Pausanias(a), qui cum vicit (1), *in* vagina

(a) Cod. *Pausianus*.

(1) Longe recedit a veritate Nepotianus; neque enim Pausanias, fuit Bithyniae princeps, sed nobilis quidam macedo; neque is vicit Philippum; sed proditione interemit. Erroris autem causa fuerunt Nepotiano exempla 24, et 25, in quibus legebat falsum vocabulum *Pausanias* pro *Prusias*.

gladii, cum quo Philippus occisus est, caelatam quadrigam habuit.

23. Calanus indus victus (1) ab Alexandro macedone cum rogo se imposuisset, irridenter ab hoste victore interrogatus est, ecquid vellet aut mandasset. Respondit ei indus: cito te videbo. Nec diu Alexander superstes fuit.

24. Prusias (a) filius Prusiae bithyni regis pro superioribus dentibus unum os continuum pertinens habuit: nec loquenti obstitit novitas.

25. Pyrrhi regis Epirotarum pollex e dextro pede, remedio erat sicui renes tumentes eo tetigisset. Idem Pyrrhus cum ab Antigono victore iussus esset exuri, sic arsit, ut idem pollex igni inveniretur intactus. Qui digitus aureo loculo inclusus, et in antiquissimo templo dodonaei Iovis conditus. Praedictus Pyrrhus et Prusias (b) unum os habuerunt pro dentibus, sed distinctum ad dentium similitudinem.

26. Mithridatis et Laodiciae filia Tricipitina (c) geminatis dentium ordinibus turpis fuit; quae patrem a Pompeio victum secuta est.

27. A Lilybaeo, egredientes naves Clipea Africae civitate (d) Strabo (e) quidam speculans (f) numerabat.

28. Aristomenes messenius callidissimus adversus Athenienses fuit: quem tandem captum aperuerunt, corque pilosum repererunt.

29. Polystratus et Hippoclides et uno die nati sunt, et ambo epicurei fuerunt, communibus usi discipulis sunt et patrimoniis, eodemque momento sunt mortui.

30. Cretenses caprae, cum confixae sunt, herbam dictamnum (g) comedunt, et tela visceribus eiectant.

31. Caprae in Cephalenia (h) non semper aquas potant, sed per maiorem anni partem aperto ore sunt, cadentesque aquas excipiunt.

32. In templo Iunonis laciniae numquam extra cinis vento depellitur.

33. In Assyria et apud Medos ea vis interdum vento est, ut correpti equites peditesque in ducenta stadia per aerem leventur.

34. Non est incognitum, tantae magnitudinis serpentem exercitui Atilii Reguli iuxta Bagradam Africae amnem infestum fuisse, ut pugna contra eum esset in unda: cumque configi iaculis pro corii vastitate non posset, balistis et saxis esse interemptum: eiusque tergum centum et viginti pedibus extentum in ostentationem miraculi Romam missum.

35. Bura et Helice urbes in achaico litore fluctibus obrutae sunt, terraeque motu esse destiterunt.

(a) Cod. *Pausianas*. (b) Cod. *Pausianas*. (c) Ita cod. (d) Cod. *Clipea Africae civitas*. (e) Cod. *Ferabo*. (f) Cod. *speculantem*. (g) Cod. *diptamum*. (h) Cod. *Cephalta*.

(1) Rursus errat Nepotianus; nam philosophus erat, non bellator, Calanus, qui semet sponte in rogum coniecit.

CAP. X.

DE INSTITUTIS ANTIQUIS.

1. Inituri matrimonium veteres, sicut in rebus cunctis, auspicia colligebant: qua consuetudine taedae auspices dicuntur, quae nuptiis adhibentur.

2. Olim accumbentes viri cibum capiebant, uxoribus ad mensam sedentibus. Hinc illa pictura, discumbens Iupiter, sedentes Iuno et Minerva.

3. Pudicitiae in tantum fautum Romae est, ut mulier post primum maritum vidua permanens publice coronaretur. Sed bello civili Caesaris atque Pompei in tantum est populus romanus attritus, ut poena orbis et caelibibus diceretur (a). Tam sancta fides matrimoniorum fuit, ut per annos MCL (1) ab urbe condita, nulli Romae divorterint. Primus igitur Spurius Carvillus sterilem repudiavit, notatusque est.

4. Matrona si in ius vocata est, pro pudicitiae reverentia ab apparitore publico tacta non est.

5. Matronis Romae aliquamdiu vino uti non licuit, in custodiam pudoris.

6. Securi pudicitiae Romani, auro et gemmis et purpura uti matronas siverunt. Neque culta enim concupiscenda sedebat, aut quisquam alienum matrimonium impudice videbat.

7. Nulla vel certe rara iurgia inter coniuges erant. Verum siquid, ibatur in templum deae Viriplacae ad Palatinum montem. Illic dictis, quae inter ipsos erant, concordes revertebantur.

8. Apud priscos nec gener cum socero, nec puber cum patre filius, lavit: nec in conspectu simulacrorum turpia corporis nudabantur.

9. Sollemni convivio tantum cognati conveniebant, quod charistia vocabatur. Tum diis arbitris et consanguinibus mediis, siqua erant iurgia, proferebantur; et dicta atque aestimata deponebantur.

10. Senes olim etiam alienos iuvenes pro suis habebant: invicem adulescentes grandioribus quasi patribus deferebant: obvios prosequebantur ad curiam, manebantque in observatione donec redirent.

11. Adulescentes ad convivium rogati, quaerebant de convivis; ne forte ob reverentiam senum habituri locos non essent. Ammissi (b) ad mensam, parcissime loquebantur, primique surgebant.

12. Senes in conviviis maiorum laudes carminibus celebratas tibiis canebant, ad incendendam exemplis iuventutem.

13. Multis saeculis duravit ut dicta in curia in vulgus non exirent. Se-

(a) Cod. *diceretur.* (b) Ita cod., ut supra *ammonitus*, *ammiratus*.

(1) Immo vero per annos *DXX.*

natus autem secreto decreverat bellum punicum tertium. Hoc Quintus Fabius Maximus ·P· Crasso quaestorio viro in itinere narravit. Ob quod factum Maximus a consulibus tamquam proditor secreti obiurgatus est.

14. Eumenes rex Asiae senatui prodidit Persen bellum parare. Quid tum rex locutus est, quid senatus decreverit, ante Persen captum scivit nemo.

15. Inter consulem proximumque nullus ammittebatur. Denique Quintus Fabius Maximus vir ultimae senectutis post quintum consulatum suum rogatus a filio an nixus (1) iret ad colloquium Samnitium; noluit, memor moris.

16. Idem Fabius ad consulem legatus Suessam missus, cum in conspectu consulis nec equo desiluerit nec caput deoperuerit, rectius per lictorem mandante filio utrumque fecit. Quod probavit pater; scilicet reputans, consuli publice obsequendum fuisse, privatim patri; Fabius ad explorandam filii constantiam non obsequebatur.

17. Nequa mora consiliis publicis esset, certo loco extra curiam senatus sedebat: qui locus hodie senaculum dicitur: inde citabatur in curiam; non ut nunc cogebatur edictis.

18. Remus et Romulus sub monte Palatino permissu Numitoris avi Romae fundamenta iecerunt, eoque loco sacris operati sunt. Tum largiore vino usi, indutique caprarum pellibus quas immolaverant, iocantes cum pastoribus in obvios irruerunt. Sacrorum morem diu equites romani exercuere.

19. Quintus Fabius instituit ut equites idibus iuliis trabeati incederent.

20. Cum ·P· Decius comitia in vulgi potestate posuisset, censor Fabius forensem turbam (a) in quatuor ordines descripsit, urbanasque tribus appellavit. Hoc Maximi cognomentum meruit; quamvis bello clarus esset.

21. Sponte se iuventus olim militiae offerebat; ne censi capite militarent, ac *iis* periculose committerentur arma qui tributa penderent. Primus ·G· Marius capite censos in sacramentum rogavit.

22. Confisi virtute Romani sine artificio dimicabant. Itaque ·P· Rutilio et CN· Mallio couss· e ludo gladiatorio doctores accersiti sunt, ut inferre ictus ac declinare monstrarent; adiutaque est artificio fortitudo.

CAP. XI.

DE SPECTACULIS.

1. Messala censor primus theatrum Romae fecit. Senatus decrevit ne sedentes ludos spectarent, sive urbani sive qui a foris mille passibus abessent; ne fortitudo mollesceret.

(a) Cod. *fore sequentes*.

(1) Nempe an vellet filio inniti propter senectutem.

2. Indiscretus a senatu populus per annos DLVIII. in spectaculis fuit. Atilius itaque Serranus et ·L· Scribonius aediles cum megalensia ederent, senatui locum dederunt: quod prius facere conatus Scipio est; sed populum laesit, novitatem praecepit.

3. Praeter circenses, spectacula Romae aliquamdiu nulla erant. Sed populo pestilentia laborante, in laudes deorum carmina incompta conscripta sunt: adiectae etruscae saltationes, eque Etruria accersitus ludius, idest princeps scenicorum, qui Histrio vocabatur: isque et motu corporis et sono vocis rudem populum delectavit. In cuius honorem istiusmodi artifices histriones dicti sunt. A ludio tracta editio ludorum.

4. Atellana scena vel comica fabula ab Oscis accita est, ceteris severior et digna gravitate romana. Et cum alii scenici infames sint, hi nec tribu arcebantur nec a stipendiis militaribus repellebantur.

5. Catulus primus exemplo campanae luxuriae velis in theatro spectantes ab aestu defendit.

6. CN· Pompeius aquas induxit per quasdam semitas fistularum, ut fervorem leniret aestatis.

7. Saeculares ludi, qui post annum centesimum veniunt, a Valerio Publicola imperatore primum instituti, et in honorem Ditis patris Proserpinaeque celebrati sunt apud eam aram quam ipsorum numinum titulo inscriptam Valesius locuples rusticanus, pro trium filiorum sibi reddita sospitate, invenerat: ad quam nigris hostiis immolabatur, et lectisternia excitabantur, et nocturnis ludis festa agebantur, votis publice nuncupatis pro salute romana.

8. Q· Claudius primus scenam pictis tabulis adornavit; ·G· Antonius auro; Petreius ebore; ·P· Lentulus Spinther exquisitum cultum vestis induxit. Piget longius prosequi, tibicinum cultum ac multitudinem loqui, aut canentium enervatos modos, ut etiam mimorum turpitudines: quae omnia prius in dissimulationem laboris parabantur, nunc dantur in incendium libidinis.

9. Munus gladiatorium datum Romae est primum in honorem defunctorum: scilicet filii Bruti Marco et Decio Brutis cous·: tum Appii Claudii et Quinti Fulvii. Athletas Marcus Scaurus aedilis primus induxit.

CAP. XII.

DE STATUA AURATA.

1. Marcus Acilius Glabrio ex voto aedem dedicaverat, ob id quod regem Antiochum apud Thermopylas felici vicisset eventu. In aede statuam auratam patri posuit. Nec in Italia nec Romae cuiquam prius inaurata statua fuit.

CAP. XIII.

DE IURE RELIGIONIS PUBLICATO.

1. Solis pontificibus ins sacrorum et civile notum ante fuit: verum GN. Flavius scriba, natus a patre libertino, formulas sacras verbis aptioribus expedivit, et in notitiam populi publicavit. Ob hoc a populo creatus est aedilis curulis. Idem cum venisset ad collegam aegrnm, refertnm nobilibus cubiculum forte deprehendit: cui cum locus non daretur, sellam curulem exhiberi sibi iussit, atque in ea quae erat potestatis sella consedit.

CAP. XIIII.

DE USU PERSONARUM CAPITI INDUCENDARUM.

1. Tibicines in templo Iovis quaedam ex ritu antiquitatis ludicra et liberiora faciebant: qnae exercere prohibiti per senatus consnltum, irati deinde se Tibur sponte propria transtulerunt. Cumqne sacris usuiqne deessent, repetiti sunt per legatos. Noluernnt reverti. Quodam tempore Tiburtini ferias simulaverunt, ebriosque eos plaustris Romam revexerunt. Tum secutum est ut personas sumerent velarentque vultus, pudore quod temnlenti fuerant. Exinde usu personarum est consuetudo servata.

2. Nobili cuique qnaestnm facere, turpe erat Romae. Apud Poenos vero vel turpiter lucrum facere, honestum putabatur.

CAP. XV.

DE RITU DIVERSARUM GENTIUM.

1. Veteres Romani ad frugalitatem probandam pro foribus vescebantur, et crebrius pulte quam pane.

2. Spartana civitas aliqnamdiu cives suos adire Asiam vetuit, ex metu ne luxnriam imitatione cognoscerent. Acceperat enim districtissimorum hominum disciplinam: snpra satietatem illic epulas in usu esse, vestem delicatam, unguenti odorem; quae etiam severos emollinnt mores.

3. Iones primi inconcinnius unguenta coronasque sumpserunt, et induxerunt secundae mensae delicatiora convivia, et vini haustum vetustioris.

4. Pausanias rex Lacedaemoniorum ut primum in Asiam venit, in eius luxuriam ac lasciviam solutus est, exercitumque praedurum indulgentius habendo corrupit.

5. Spartani dimicaturi tibiae modulo impellebantur in bellum anapaestico metro.

6. Idem rursus et coccineis tnnicis utebantur iu proelio, ne sanguinem eorum hostis videret, alacrioresque fierent cum se vulnus intulisse cognoscerent. — Capillum rutilum sibi ceromate (a) faciebant (1).

7. Apud eosdem Spartanos pueri confectis (b) cocco flagris tenuissimis caedebantnr, hortantibus ad patientiam verberum parentibns: quorum puerorum siquis vel corpus subtraxisset, vel gestu aliqno doloris sensum significasset, removebatur ut victus. Plerumque autem usqne in periculnm vitae et largam sanguinis effusionem plagas perferentes, quales futuri essent, a prima aetate pollicebantur (2).

8. Ut Lacedaemonii militaribns disciplinis, ita Athenienses cunctis officiis impense studebant. Illic erat pulcrum adulescentem fortiter facere, hic bene in foro dicere sive ingeniosius eminere.

9. Principes Atheniensium vitas omnium requirebant, et eas in conciliis pnblicabant, ut laus vel poena meritis apteque decerneretur. Bonos cives ramis duobns olivae innexis coronabant; qui honos primum Pericli delatus est. Apud eosdem cives atticos ingratus libertus in servitutem revocabatur.

10. Massilienses tres pariter manumitti vetabant (3). Ingratis libertis tres culpas remittebant; post quartam in servitutis inra revocabant.

11. Idem Massilienses scenicis ludis abstinebant, ne assiduitas spectaculi veniret in morum corrnptelam.

12. Idem mendicis cibum non dabant, quasi petris (4).

13. Apud eosdem gladius pnblice erat, quo noxii iugulabantur.

14. Funera idem sine lacrimis prosequebantur: et sacro die suos quisque efferebat, epulis celebratis. Mortem qnippe in bonis aestimabant.

15. Venenum apud eosdem Massilienses confectnm ex cicuta servatum publice habebatnr; ac licito reddenti in senatn causas mortis voluntariae haurire permittebatur. Quae consuetudo de Graecia in Galliam cum gente translata est. Nam illic dolore aut aliquo genere acerbitatis accepto, ad mortem confugiebatnr. Multi etiam senes et anus vitae ultimum non expectaverunt, avidi melioris per mortem conditionis.

16. Cum telo portas hospes non ingrediebatnr, ne esset formidini.

17. Spartani docebant etiam filios furari (5).

18. Elei (6) Thebanique permisere passim nt ingenui pueri amarentur, nec inhonestum putavere eosdem corrumpi.

(a) Cod. *cotta*. (b) Cod. *etmitti*, pro *confectis*.

(1) Haec verba a *capillum* usque ad *faciebant* tralaticia extant in codice post n. 16; absunt vero, ut puto, a Valerio.

(2) Desideratur hoc exemplum in Valerii serie.

(3) Aliter Valerius.

(4) Ne hoc quidem est in Valerii serie.

(5) Ex Cicer. de rep. IV. 3 in fragmento quod Nonius grammaticus conservavit.

(6) Cod. *Heraclei*. Sed mendum corrigitur a Cicerone de rep. IV. 4. *Aput Eleos et Thebanos in amore ingenuorum libido etiam permissam habet et solutam licentiam.*

19. Lacedaemonii osculorum licentiam dedere et concubitus, verum palliis interiectis (1).

20. Apud Romanos triennio puberes (a) inducebantur in castra ante militiam (2).

21. Cimbri et Celtiberi laeti in bello peribant, in morbo cum lamentis.

22. Amisso duce, vivere Celtiberis illicitum videbatur.

23. Thraces natales hominum deflent; at funera canticis celebrant. Siquis vero contra morem gentis luget, feminea veste utitur, quoniam in sexu videtur esse mollitus.

24. Apud Indos plurimae singulis uxores sunt. Defuncto viro, in iudicium venitur a feminis ut clareat quam impensissime amaverit. Victrix rogum laeta conscendit, ceteris invidentibus.

25. Apud Cirtenses corporis quaestu dotem parabant, auctumque (b) turpiter matrimonium pecuniae foeditate faciebant.

26. Persae ante septennium liberos non vident, orbitatem de immaturis timentes.

27. Numidarum reges humile putaverunt cuiquam privato osculum dare. Et in castris mos idem (3).

CAP. XVI.

DE MILITARI DISCIPLINA.

1. Scipio Africanus Numantiam missus, omnia quae voluptatis causa haberentur in castris, severo mox summoveri iussit edicto: denique scortorum duo milia cum lixis e prociuctu loci eius eiecta sunt: tantumque subito sub districto duce profecit exercitus, ut Numantiam diu perniciosissimam nobis brevi solo aequaret.

2. P. Rupilius consul in Sicilia dimicans contra fugitivos, Q. Fabium generum conviciis publice lacessitum provincia expulit, quia tanromiuitanam (c) arcem in cursu belli fugitivorum prodidisset.

(a) Cod. *pubes*, et quidem bis. (b) Ita cod. (c) Cod. *tauromitanam*.

(1) Commodissimus mihi obvenit hic Nepotiani locus ad persanandam in editione mea principe Ciceronis de rep. IV. 4. insignem corruptelam. Lege scholium editionis rom. secundae. Sic auctores et codices invicem illuminant. Desideratur quidem in Valerio hoc exemplum, sed id supplevit Nepotianus; quod identidem se facturum, in praefatione promisit. Ex Cicerone autem sumptum esse exemplum, nemo dubitabit.

(2) Deest hoc exemplum in Valerii serie. Nepotianus autem sumere videtur ex Cicerone de rep. IV. 3.

(3) Castrensem hunc morem addit Nepotianus.

3. Censor Fulvius Flaccus fratrem Fulvium quod quosdam iniussu consulis sub commeatu dimisisset, senatu depulit.

4. Posthumius dictator Aulum Posthumium filium quod iniussu in hostem processerat, quamvis victorem, iussit securi percuti.

5. Torquatus quoque consul bello gallico ad comitia romana discedens (a) filio castra commisit sub praecepto tali, ne eo absente pugnaret. Adulescens tamen provocatus erupit, et vicit. Mallius reversus pro victoria filium in concione laudavit; sed morte eius militarem tenuit disciplinam: securi enim est percussus adulescens.

6. L. Minucius consul missus est contra Aequos et Faliscos: cumque eius castra coepissent ab hostibus obsideri, L. Quintus Cincinnatus in auxilium missus hostes subiugavit, et consulem magistratu depulit, quod castris se, non armis, defendisset.

7. Africanus Scipio, devicta Carthagine, romanos transfugas crucibus adfixit, latinos securi percussit.

8. Posterior Africanus desertores de auxiliis sociorum in spectaculo bestiis obiecit.

9. L. Paulus eos qui pugnantem se contra Persen deseruerant, subdidit elephantis, ut eorum pedibus tererentur.

10. Rex Pyrrhus cum plurimos ex Romanis sub Tarento cepisset, ultro remisit. Senatus decrevit, ut qui equites fuerant, pedites militarent; qui pedites, funditores fierent. Insuper adiectum ne intra castra essent, neve vallo uterentur, ne pellibus tentoria haberent; isque miles ad tentoria rediret, qui ex hoste duo spolia retulisset. Haec eos poena fortissimos fecit.

11. Eos qui cannensi clade deseruerant socios omni ignominia senatus adfici iussit.

12. Q. Petilius consul adversus Ligures pugnans, cessante exercitu, interemptus est. Decrevit senatus ut legio quae se pro imperatore morti non obiecisset, annonae stipendio careret; aes solitum non acciperet: ut ignominia adfectos servatae inhoneste vitae pigeret.

13. Apud Carthaginienses imperator si male usus consilio fuisset in bello, quamvis victor, crucifigebatur.

14. Clearchus dux Lacedaemoniorum dicebat, a milite plus imperatorem timeri quam hostem debere.

15. Lacedaemoniorum matres procedentibus ad bellum filiis dicebant, ut aut victores redirent, aut occisi scutis referrentur (1).

(a) Cod. *descendens*.

(1) Deest hoc exemplum in Valerii serie.

CAP. XVII.

DE IURE TRIUMPHANDI.

1. Lege cautum fuit nequis triumpharet, nisi hostium milia V. una acie stravisset.

2. G. Fulvius Flaccus, cum rem bene gessisset, delatum a senatu triumphnm sprevit.

3. Q. Fulvius et .L. Opimius, unus Capua recepta, alter victis Fregellanis, contra petitum triumphum, triumphandi ius non tenuerunt: non quod strenui non fuerint; sed pronunciatum est his triumphum deberi qui imperium populi romani auxissent, non qui recuperassent quae fuissent rei publicae.

4. Belli civilis victor neque imperatoris nomen meruit, neque triumphavit, neque diis gratias egit. Quamvis enim imperatoribus, civium tamen victoribus, minus faverunt.

CAP. XVIII.

DE CENSORIA NOTA.

1. Post cannensem cladem .M. Metellus quaestor multique equites romani dignitate deleti in aerarios relati sunt a .M. Atilio Regulo et .L. Furio Pilo censoribus, ob id quod iuraverant se Italia abituros.

CAP. XVIIII.

DE VENERATIONE.

1. Superioris Africani filium captum rex Antiochus et liberaliter habuit et maturissime ad patrem remisit, a quo finibus pellebatur.

2. Idem Africanus privatus in liternino rure agebat. Subito advertit ad villam venientium multitudinem piratarum: tecta per domesticos iussit armari. Quod cum duces piratarum advertissent, remotis sociis abiectisque armis, orare coeperunt nequid in eos aspere facerent, aut ne ab his timerent: venisse, uti liceret his frui conspectu tanti viri. Quod cum Scipio audisset, patefieri ianuam, intro vocarique eos iubet. Tum piratae, tamquam templi postibus adoratis, ingressi sunt; et amplexi dexteram Scipionis, osculis coluerunt; ac reliquere dona tamquam Deo dicata. Laeti ac beati tum denique suam classem conscenderunt.

CAP. XX.

DE INDOLE PUERILI.

1. Cato cum proscriptorum civium capita in atrio Syllae videret, interrogavit Sarpedonem suum paedagogum, cur tam cruentum tyrannum nullus occideret. Respondit, deesse volentibus facultatem. Dari sibi Cato ferrum a proprio pedissequo poposcit, eo quod timeri ad haec audenda non posset. Postea paedagogus numquam intromisit Catonem, quin prius sinum eius scrutaretur.

2. Faustus filius Syllae in schola degens patrem proscribentem aperta saepe voce laudabat, dicens idem se facturum, cum potitus rerum fuisset. Audit ·C· Cassius condiscipulum, et colapho ferit. O manum iam tyrannicidam!

3. Aemilius Lepidus vix pubes in acie hostem stravit, tum cum res militaris sola laudi erat, et civem protexit. Ob quae merita, ex senatus consulto statua eius posita est in Capitolio cum bulla atque praetexta.

CAP. XXI.

DE FORTITUDINE.

1. Horatius Cocles cum Etrusci in urbem Romam insistenter irruerent per pontem sublicium Tiberis, in pontis fronte hosti obstitit solus, donec quod post tergum erat dirueretur. Denique soluta compage per cives, ubi accepit fragorem, cum armis se in Tiberim dedit, ac pariter et hostium victor et fluminis superiactis Etruscorum telis meavit.

2. Cloelia virgo haud dissimilis facti et virtutis. Haec post exiguum temporis intervallum, per eundem alveum ruptis vinculis innatavit. Obses quippe Porsennae data, vigiles fefellit, et conscenso equo per Tiberim Romam rediit. Statua ei equestris ex senatus consulto data.

3. Sertorius loricatus hastam nixam oculo gerens Rhodanum transnatavit (1).

4. Gallis victoribus, duce Brenno cum sola arx et Capitolium ad tuitionem populi romani esse coepisset, neque his collibus omnis recipi turba vel nobilium civium posset, ex consilio senes planis recepti sunt, et electi missi iuvenes ad tutiora ut valerent tuenda. Tum senatores cum insignibus honorum, quos gesserant, et sacerdotiorum, apertis ubi*que ianuis* . . .

Reliqua desiderantur, nempe a lib. III. cap. 2. ff. 8. usque ad operis finem.

(1) Non occurrit hoc exemplum in Valerii serie.

(*) P. 111. ff. 17. Exemplum *capillum rutilum sibi cotta faciebant* videtur mihi transferendum ad ff. 6, dicendumque *Spartani capillum rutilum sibi (ceromate?) faciebant*. Nepotiani exemplar mendis esse inquinatissimum iam dixi.

PRAECEPTA ARTIS MUSICAE

COLLECTA EX LIBRIS SEX

AURELII AUGUSTINI DE MUSICA (1).

CAP. I.

MUSICAE DEFINITIO.

Musica est scientia bene modulandi. Igitur modulatio a modo est nominata. Modus ergo non erit, nisi in rebus quae motu aliquo fiunt: et ideo modulatio non incongrue dicitur movendi quaedam peritia: ergo scientia modulandi, scientia est bene movendi. Bene moveri dicitur quicquid numero, servatis temporum atque intervallorum dimensionibus, movetur: qui motus nonnisi animi rationalis scientia congrue fieri possunt: quod solo tribuitur animo, et sedula comparatur meditatione sive imitatione. Qui vero ea carent nonne tales aestimandi sunt, qualis est luscinia et ceterae aves? Qui sensu quodam ducti bene canunt, hoc est numerose ac suaviter id faciunt, quamvis interrogati de ipsis numeris, vel de intervallis acutarum graviumque vocum, respondere non possint. Sed et hi, qui illos sine ista scientia libenter audiunt (cum videamus elephantos, ursos, aliaque nonnulla genera bestiarum ad cantus moveri, avesque ipsas delectari suis vocibus; non enim nullo extra proposito commodo, tam impense id agerent sine quadam libidine) nonne pecoribus comparandi sunt? Nisi quia in hominibus ars quaedam est, sive a se ipsis inventa, aut ab aliis accepta, in avibus vero sola natura.

CAP. II.

QUOD MUSICA AD ALIQUID REFERENDA EST.

Recipit ergo musica id quod diu vel non diu dicimus: in quo sunt dimensiones, et numeri, qui fiunt huiusmodi. Alius motus ad alium, tamquam duo ad unum sint, id est ut his tantum habeat spatii, quantum habet ille, qui una hora fit. Alius item ad alium, tamquam III· ad II; idest ut tantas tres partes temporis habeat, quantas alius duas. Atque ita per ce-

(1) Ex eodem pervetusto codice, unde Paridem hausi, haec artis musicae praecepta, quae pari scripturae antiquitate se commendant, depromo. Tam priscum scriptum, ex Augustino quidem defloratum, sed elocutione variatum miraque brevitate contractum, nolui praetermittere.

teros numeros licet currere; ut non spatia sint indefinita et interminata, sed habeant ad se duo motus aliquem numerum aut eundem: ut quantum temporis unus, tantum teneat alter. Aut non eundem, velut I. ad II; II. ad III; III. ad IIII. Aut I. ad III; II. ad VI; et quicquid potest omnino aliquid ad sese dimensionis obtinere. His enim cognitis, est potestatis persequi cetera; sive VII. ad X; sive V. ad VIII; et quicqnid omnino est in duobus motibus, ita partes dimensas ad invicem habentibus, ut possint dici tot ad tot: sive aequalis numeri sint, sive alius maior, alius minor (1).

CAP. III.

PER QUOS NUMEROS MOTUS ILLI METIANTUR.

Illud etiam intellegendum est, omnem mensuram et modum immoderationi atque informitati recte anteponi: et ideo duo illi motus, qui ad sese habent aliquam numerosam dimensionem, his qui eam non habent, anteponendi sunt. Illos enim certus quidam modus atque mensura, quae in numeris est sibimet copulat: qua qui carent, non utique aliqua sibi ratione iunguntur. Appellantur ergo illi, qui inter se dimensi sunt, rationabiles; illi autem, qui ea dimensione carent, inrationabiles. Sed et maior concordia in motibus rationabilibus eorum, qui aequales sunt inter se, ut I. ad I, II. ad II, quam eorum, qui sunt inaequales, aestimanda est. Porro inaequalium alii sunt, in quibus possumus dicere quota parte sua maior aut aequetur minori aut eam excedat: ut II. ad IIII; vel VI. et VIII: qui vocantur connumerati. Alii autem, in quibus non idem dici potest, quales sunt III. ad X, vel IIII. ad XI. Videmus quidem nullam convenientiam ad sese habere hos numeros, de quibus dici possit tot ad tot: et hi nominantur dinumerati. Connumeratorum quoque duo esse genera perspicuum est. Unum est, in quo minor numerus metitur maiorem: idest aliquotiens habet minorem maior; sicut II. ad IIII. bis haberi videmus: qui ter haberentur, si VI. ad II. poneremus; quater autem si VIII; quinquies, si X: et illi conplicati vocantur. Aliud genus est, in quo ea, qua pars excedit maior minorem, ambos metitur; id est aliquotiens habent eam et maior et minor; quod in illis numeris iam perspeximus VI et VIII. Nam pars illa, qua exceditur minor, II sunt: quos vides esse in octonario numero quater, in senario ter: et hi dicti sesquati.

(1) Hoc loco continuantur in codice verba sequentia, quae quomodo huc irrepserint nescio; et certe a me contextu expulsa sunt. En verba *Proprie aves congerere dicuntur quando nidos faciunt. Virg. congessere palumbae. In tragoediis chori vocantur carmina; in comoediis vero scaenae; in saturis saturae; in lyricis odae; in bucolicis eglogae dicuntur. Adorea genus frumenti. Adorea laus bellica.*

Nam sesque appellatur, ubi duo numeri ea ratione ad se affecti sunt, ut tot partes habeat ad minorem maior, quota parte sna et praecedit. Nam si est III. ad II, tertia parte sui praecedit maior minorem; si IIII. ad III, quarta; si V. ad IIII, quinta. Atque ita deinceps. Eadem ratio est et in VI. ad IIII; VIII. ad VI; X. ad VIII. Et deinde licet hanc rationem et in consequentibus et in maioribus numeris animadvertere atque esplorare. Sesque vero dicitur, quasi se absque se: quia si V. est ad IIII. absque quinta parte sna, maior hoc est quod minor.

CAP. IIII.

DE LONGITUDINE SONORUM.

Porro si quispiam numerose plaudat, ita ut unus sonitus simplum, alter duplum temporis teneat (quos iambos pedes vocant) eosque continuet atque contexat; alius autem ad eundem sonum saltet, secundum ea scilicet tempora movens membra; nonne et illi, qui hos numeros norunt, sentiunt eos in plausu atque saltatione, quique sint facile dicunt? Et eos qui non norunt, nec dicere possunt, non negant tamen ex his voluptate aliqua se perfrui. Cum igitur ad ipsam rationem huius disciplinae (si quidem scientia est bene modulandi) non possit negari omnes pertinere motus, qui bene modulati sunt, et eos potissimum qui non referuntur ad aliud, sed in se ipsis finem decoris delectationisve conservant; hi tamen motus si longo spatio temporis fiant, inque ipsa dimensione, quae decora est, horam vel etiam maius tempus obtineant, non possunt congruere nostris sensibus: licet aliquanto idem pes in canendo, servata conlationis ratione, alias longioribus, alias brevioribus possit fieri sonis. Quamobrem omittamus illas extra capacitatem sensus nostri porrectas temporum metas, et de his brevibus intervallorum spatiis, quae in cantando saltandoque nos mulcent, quantum ratio nos adiuvaverit, indicemus.

CAP. V.

DE SYLLABIS ET EARUM CONLATIONE.

Nemo fere est ita surdus, qui non animadvertat in locutione nostra alias syllabas raptim et minime diu, alias autem productius et diutius enuntiari. Itaque verbi gratia, cum dixeris cano, vel in versu posueris, ita ut vel tu pronuntians producas huius verbi syllabam primam, vel in versu eo loco ponas, ubi esse productam oportebat, reprehendet grammaticus, custos ille vi-

delicet historiae, nil aliud asserens cur hanc corripi oporteat, nisi quia qui ante nos fuere, et quorum libri extant tractanturque a grammaticis, ea pro correpta, non producta, usi fuerint. Quare hic quicquid valet, auctoritas valet. At vero musicae ratio, ad quam dimensio ipsa vocum rationabilis et numerositas pertinet, non curat nisi ut producatur vel corripiatur syllaba, quae illo vel illo loco est secundum rationem mensurarum suarum. Nam si eo loco ubi duas longas syllabas poni decet, hoc verbum posueris; et primam, quae brevis est, pronunciatione longam feceris, nil musica omnino offenditur. Quoniam in numeris ab I. ad II. prima est progressio, ita in syllabis, qua scilicet a brevi ad longam progredimur, longam duplum temporis habere debere. Ac per hoc, si spatium quam brevis occupat, recte unum tempus vocatur; spatium item, quam longa occupat, recte II. tempora nominari. Non ergo potest una syllaba conparari, quia omnem conparationem singularitas fugit. Ac ideo II. sive plures sunt conparandae. Cum igitur inter se syllabae conferuntur; motus quidem inter se conferuntur. In motu est etiam omne quod sonat. Syllabae utique sonant; et talem sonorum conlationem, veteres pedem nuncupare voluerunt. Ergo cum pedes syllabis constent, idest distinctis et quasi articulatis motibus, qui sunt in sonis, syllabae autem temporibus tenduntur, oportere omnem pedem propter illam numerorum conlationem, duas habere partes, quae sibimet aliqua ratione conferantur, necesse est.

CAP. VI.

DE DIVISIONE PEDUM.

Sed nunc conlationes ipsas numerorum videamus, id est quid una uni syllaba, aut una duabus, vel duae tribus, et deinceps in pluribus, quomodo possint sibimet conferri, vel hi motus inter se quid vocentur. Et ab uno brevi semper ordiuemus pedes, quia unitas ubique in numeris obtinet principatum. Nam unam brevem syllabam ad unam brevem aequali partitione secari necesse est, quia levatio tantum temporis occupat quantum et positio. In plaudendo enim, quia levatur et ponitur manus, partem pedis sibi levatio vindicat, partem positio: ita et in sonorum modulatione et syllabarum pronunciatione. Quo circa breviter partium mensuras in omnibus pedibus videamus. Video primum, pyrrhichium tantum habere in levatione quantum in positione. Spondeus, dactylus, anapaestus, procelenmaticus, choriambus, diambus, dichorius, antispastus, dispondeus, eadem ratione dividuntur: nam tantundem temporis in his ponit plausus, quantum levat. Video secundum, iambum simpli et dupli habere rationem; quam rationem cerno et in chorio et in tribracho,

et molosso, et in utroque ionico. Nam amphibrachi levatio et positio; simpli et tripli ratione constat; qui solus ab omni copulatione pedum secluditur. Nam bachium, creticum, et palimbachium, et paeones IIII·, sesqualteri numeri ratione levationem ac positionem habere video. Reliqui sunt IIII· epitriti, quorum levationem ac positionem sesquitertius continet numerus.

CAP. VII.

QUID IUNCTIS PEDIBUS EFFICIATUR, VEL QUI SIBI METRICE IUNGENDI SINT.

Nonne ut contextis syllabis pedes facti sunt, ita etiam contextis pedibus aliquid esse aestimandum est? Sed hoc quicquid est, aliqua certa ratione coercendum est, ne per infinitam longitudinem, vel quoslibet vel quibuslibet conectere liceat pedes. Utique hanc pedum copulationem rhythmum, sive metrum, sive versum veteres nuncupari sanxerunt. Sed videamus, qui pedes sibimet copulandi sint. Est enim summa aequalitas, cum eius generis et nominis sese consequuntur. Sed et alios pedes aliis, aequalitate servata, non abnegandum est esse miscendos. Quid enim auribus potest esse iucundius, quam cum et veritate mulcentur, nec aequalitate fraudantur? Num alii aequales habendi sunt pedes, nisi qui eiusdem mensurae sunt? Qui eiusdem mensurae sunt putandi, nisi qui temporis tantundem occupant? quos ergo inveneris pedes, totidem temporum, si plausu quoque concordent, sine aurium offensione contexes; ut est dactylus, spondeus, anapaestus, proceleumaticus; qui non solum aequalium sunt temporum, sed etiam percutiuntur aequaliter. In omnibus enim tantum levatio quantum positio sibi vindicat. Nam VI· temporum pedes mira sibi concordant aequalitate. Tametsi III· ex illis ad simplum et duplum percutiantur, molossus scilicet, et uterque ionicus; tamen quia in III· aequalia dividi possunt, idest in II· II· et II; et binaliter a medio respondent, ut ceteri IIII, dichorius, diambus, antispastus, choriambus, aequis partibus feriuntur. Ergo tribachus sive iambo sive chorio iungitur. Bachio creticum, et paeones primum, et II· et IIII; palimbachio eundem creticum; et paeones primum, III· et IIII; et temporibus et plausu concordare manifestum est. Ergo cretico et paeonibus primo, et IIII; quoniam a II· et a III· temporibus eorum incipere divisio potest. Ceteri omnes, quinûm temporum pedes possunt sine ulla claudicatione copulari. Porro septenûm temporum pedes cum sint IIII·, qui epitriti nominantur, primum et secundum invenio posse copulari: amborum enim divisio incipit a III· temporibus: idcirco nec temporis spatio, nec plausu dissident. Rursus libenter sibi iunguntur tertius et quartus, quia uterque in dividendo incipit a

IIII. temporibus: quare et metiuntur et plauduntur aequaliter. Restat VIII. temporum pes, qui dispondeus vocatur, cui sicut pyrrhichio par nullus: nec etiam amphibracho in plausu nullus concordat, quem triplo ferire necesse est.

CAP. VIII.

QUID SIT INTER RHYTHMUM METRUM ET VERSUM.

Quoniam de pedum amicitia quadam concordiaque dictum est, videamus utrum possint copulati sibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, ubi nullus finis certus appareat: velut cum symphoniaci scabella et cymbala pedibus feriunt certis quidem numeris, et his qui sibi cum aurium voluptate iunguntur, sed tamen tenore perpetuo. Sive si velit quislibet centum vel amplius, quousque libitum est pyrrhichios vel alios, qui inter se amici sunt, pedes continua conexione decurrere. Sed et quandam quoque pedum esse conexionem video, in qua certum est, usque ad quot pedes progrediundum sit, atque inde redeundum. Et illud superius genus copulationis rhythmum a graecis, hoc alterum metrum vocari. Latine autem dici possunt, illud numerus, hoc mensio sive mensura. Nam illud quoniam pedibus certis provolvitur, peccaturque in eo si pedes dissoni misceantur, recte appellatus est rhythmus, hoc est numerus: sed propter nullam mensuram continuationis, non debuit metrum vocari. Hoc utrumque habet; nam et certis pedibus currit, et certo terminatur modo. Itaque non solum metrum propter insignem finem, sed etiam rhythmus est propter rationabilem conexionem. Quocirca omne metrum rhythmus, non omnis rhythmus etiam metrum est. Rhythmi enim nomen in musica usque adeo late patet, ut haec tota pars eius, quae ad diu et non diu pertinet, rhythmus nominata sit. Sed et tertium copulationis genus exoritur: et hoc versus dicitur, quia non solum certo ut metrum clauditur fine, sed etiam ante finem certo quodam loco quaedam eius partitio eminet, et quasi membris conficitur duobus. Ergo haec III. sic distinguuntur, ut omne metrum etiam rhythmus sit, non omnis rhythmus etiam metrum. Item omnis versus etiam metrum sit, non omne metrum etiam versus. Ergo omnis versus est rhythmus et metrum. Nam hoc esse consequens arbitror.

CAP. VIIII.

QUOT PEDES VOCE PLAUSU ET IMPULSU ALIQUO ATQUE, UT SYLLABAE, FIERI POSSUNT.

Prius igitur de rhythmo, in quo nullum metrum est; dein de metro,

ubi versus non est; postremo de ipso versu, quantum possumus, disseramus. Sed in primis sciendum est, quia hi quinque numeri copulationis, quos propter faciliorem intellegentiam exempli gratia in syllabis posituri sumus, possunt simili ratione et in voce fieri, et in pulsu aliquo sive plausu, qui plausus manibus confici solet. Ac ideo ergo sicuti aurem in sonum, ita in plausum oculos intendere necesse est. Non enim audire, sed videre plaudentem opus est manum, et animadverti acriter quanta temporis mora in levatione, quanta in positione sit. Ergo rhythmus, metrum, et versus, sicut syllabis ut diximus solet fieri, ita eodem modo et voce canentis et pede scabella et cymbala ferientis, et manu plaudentis legitima pedum conexione servata fiunt. Sed et illi, qui cognitionem syllabarum longarum sive brevium, quae a grammaticis proprie traditur, non habent, possunt tamen naturale habere iudicium aurium ad temporum momenta moderanda. Et hoc a grammatica maxime discernitur musica, quia res omnium mentibus communiter sunt insitae, nomina vero iuxta placitum quorumlibet imponuntur. Horum sunt auctoritatem atque consuetudinem posteriores secuti: unde etiam esse linguarum diversitas potest, rerum autem in ipsa veritate constitutarum profecto non potest.

CAP. X.

DE RHYTHMO, VEL QUI PEDES COPULATI RHYTHMUM FACIANT.

Sumamus ergo ab ipso capite pedes pyrrhichios, et eis rhythmum contexamus. Exempli enim gratia id faciemus usque ad VI. pedes: nam usque ad hunc pedum numerum non progreditur gressus. " Ego celeriter agile, quod ago tibi, quod anima velit „. Hoc ergo quotiens libet repetendo efficiemus rhythmi longitudinem quantum volemus, quanquam hi VI. pedes ad exemplum sufficiant. Sed ne hic proceleumaticus, rhythmus putetur, iudicium ad plausum est revocandum, et cum tale incertum evenit, plausu discernitur, quo pede currat. Ut si pyrrhichio velis currere, unum tibi tempus levandum, unum ponendum sit. Si proceleumatico, II. et II. Et ita pedes apparebunt, et nullus erit a rhythmi continuatione seclusus. Et qui aequalem habent plausum, possunt sibimet adiungi, ut spondeus, proceleumaticus: nam in utroque bina levamus tempora ac ponimus. Sed necesse est ut ille regnet in nomine, qui in ordine pedum prior sit. Nunc ex ordine videamus, qui pedes in hac numerorum continuatione copulari possint. Iambus enim suum rhythmum obtinet cui tribrachus iungitur, sicut et chorio. Spondeo vero dactylus, anapaestus, proceleumaticus, quia nulla imparilitate, nulla claudicatione plausus discordant. Tribracho etiam nullus post se miscebitur. Dactylo anapaestus, utrique proceleumaticus, bacchio creticus, et de paeonibus primus et secundus et IIII. Porro ipsi cretico, om-

nes, qui post illum sunt, V. temporum pedes iure miscentur; sed non omnes eadem divisione: alii namque ad II. et III, ad III. et II. tempora dividuntnr. Iste autem creticus utroqne modo dividi potest, quia media brevis cuilibet parti tribuitur. Palimbacchius autem, qnia eius divisio a duobus temporibus iucipiens in III. desinit, congruos et copulabiles habet paeones omnes praeter secnndum. Molossus de trisyllabis restat, a quo primo incipiunt VI. temporum pedes, qui omnes eidem coniungi possunt, partim propter dupli simplique rationem, partim propter illam, quam nobis plausus ostendit, partitionem longae syllabae, quae singula tempora parti utrique concedit; quia in senario numero par lateribus medium est. Ob quam causam et molossus, et ambo ionici non solum iu simplum et duplum, sed etiam in aequas partes per terna tempora feriuntur. Hinc efficitur, ut deinceps omnibus VI. temporum pedibus, omnes itidem temporum posteriores copulari queant, solusque antispastus, qui nullum sibi velit misceri, remaneat. Hos consequuntur IIII. epitriti, quorum primus admittit secundum; secundus nullum; quartum tertius; nullum quartus. Restat dispondeus, rhythmum solus etiam ipse facturus, quia nec posteriorem quemquam iuvenit nec aequalem. Itaque pedum omnium VIII. sunt, qui nullo alio mixti rhythmum faciunt, pyrrhichius, tribrachus, proceleumaticus, paeon IIII, antispastus, epitritus secundus et quartus, et dispondeus. Reliqui omnes, qui se posteriores sunt, copulari sibi patiuntur; ita ut rhythmi nomen obtineant priores, etiamsi pauciores sint numero.

CAP. XI.

QUOD PRO UNA LONGA SYLLABA DUAE BREVES PONI POSSUNT.

Illud etiam considerandum est, utrum aliqua dimensio pedis quamvis VIII. tempora non excedat, quae dispondeus obtinet, excedat tamen numerum IIII. syllabarum; ita ut sine ulla fraude vel offensione aurium, sive quae ad plausum ac divisionem pedum, sive quae ad spatium temporis pertinet, pro una longa syllaba duae possint poni breves. Hinc est ergo, ut reor, quod pro iambo vel chorio, tribrachum ponimus, et pro spondeo dactylum vel anapaestum vel proceleumaticum: vel pro secunda eius vel pro prima duas breves, vel quatuor pro utraque: nec quicqnam mensurae deperit, vel plausui resistit. Ita etiam et in pedibus quadrisyllabis licet facere usque ad dispondeum, qui in VIII. tenditur breves. Hi tamen omnes legitimi pedes usque ad quaternariam progressionem multiplicati, principatum in rhythmo tenent, eumque vi sua et nomine efficiunt. Illi vero, qui plures quam quattuor

syllabas habent, pro aliis poni possunt; sed ipsi per se rhythmum facere ac rhythmi nomen obtinere non possunt: et ideo ne pedes quidem istos appellandos putarunt. Oportebat enim esse pedi constitutum aliquem modum progressionis in syllabis. Is modus constitui optimus potuit, qui de ipsa numerorum ratione translatus, in quaternario constitit; atque longarum syllabarum quattuor pes esse potuit. Cum autem pro eo breves VIII. constituimus, quia tantum spatii habent in tempore, pro altero poni possunt. Quia vero legitimam progressionem, idest quaternarium numerum excedunt, pro se ipsis poni ac rhythmum gignere, non sensu aurium sed disciplinae lege prohibentur.

CAP. XII.

DE METRO.

Metrum est pedum quaedam rationabilis conexio, certo quodam fine currentium. Ergo unus pes metrum non est, nec unus et semipes, quia metrum pedibus conficitur. Nec itaque pedes possunt dici, ubi nusquam duo sunt. Igitur metrum plus est, quam pes, certumque finem habet, sensusque aurium suavi numerositate demulcet; est enim huiusmodi.

Ite igitur Camoenae
Fonticolae puellae,
Quae canitis sub antris
Mellifluos sonores.

Sed illud, quod aliqua numerositate auditum demulcet, dum dicitur " quae canitis sub antris ,, tamen quasi claudum quid offendit auditum, si ita repetitur, ut post finem nihil sileatur, nisi ultima syllaba plus quam ceterae producatur, aut brevis superaddatur, ut sit " quae canitis sub antrisve ,, Sed hoc quicquid est, necesse est in tempore aliquid habere spatii; metire (a) tamen difficile est, nisi hic brevis illa metiatur syllaba: quam eum adicimus, neque longae ultimae ultra solitum productionem, neque illud silentium in eius metri repetitionem sensus] desiderabit. Teneamus igitur oportet haec silentiorum spatia certa in metris esse. Quare cum invenitur aliquid deesse pedi legitimo, considerari oportebit, utrum in menso atque adnumerato silentio conpensetur. Ex quo colligi datur, metrum a duobus incipere pedibus, sive ipso sono plenis, sive ad implendum quod deest adnumerato silentio. Sed duplicata illa quaternaria progressione in VIII. pedes eum tendi debuisse, ratio docet.

(a) Ita cod. Et quidem mox *metiatur* sensu passivo.

CAP. XIII.

USQUE AD QUOT TEMPORA MODUS SILENTII POSSIT PROCEDERE.

Itaque in hoc metro, ubi post choriambum bacchium comperimus, quia unum tempus deest, ut VI. temporum esset sicut choriambus facillime id aures senserunt, et in repetitione tantum spatii silentium interponere coegerunt, quantum syllaba occuparet brevis. At si post choriambum locetur spondeus, duo nobis tempora silentio peragenda sunt, ne plus claudicet, ad caput redeuntibus. Veluti hoc est, "quae canitis fontes". At si post choriambum locetur, ut est "quae canitis locos" tria tempora silere cogimur. Potest quoque post choriambum una syllaba longa constitui, ut IIII. tempora sileantur, sicuti est "quae canitis res". Sed ut experire (a) queas quanta silentii huius mensura sit, adde tot syllabas breves, sive unam longam pro duabus brevibus, quot tempora silere cogeris, atque hoc cum plausu repete; videbis tantum occupare temporis plausum, quantum occupabat silentium. Veluti est, ubi duo tempora silere diximus "quae canitis locos nemore". Ubi vero IIII. "quae canitis res modo bene". Quibus cognitis, credo satis apparere, nec minus uno tempore silere posse, nec plus quattuor temporibus silere oportere. Nam et ipsa est illa, de qua iam multa dicta sunt, moderata progressio, et in omnibus pedibus nulla levatio aut positio amplius, quam IIII, occupat tempora. Itaque cum aliquid canitur sive pronuntiatur, quod habeat certum finem, et plus habeat quam unum pedem, et naturali motu ante considerationem numerorum sensum quadam aequalitate demulceat; iam metrum est. Quamquam enim minus habeat, quam II. pedes; tamen quia excedit unum, et silere cogit, non sine mensura, et quantum implendis temporibus satis est, quae alteri debentur pedi, pro duobus pedibus auditus accepit, quod duorum pedum occupat tempora; donec ad caput redeatur, dum annumeratur sono etiam certum atque dimensum intervalli silentium est.

CAP. XIIII.

QUOT NUMERI TEMPORUM METRO ET VERSUI COMMUNES SINT.

Iam manifestum est, versum a doctis esse appellatum, qui duobus membris certa ratione dimensis copulatisque constaret. Cum ergo non sit dic-

(a) Ita cod. ut retro *metire*.

tum duobus pedibus, sed duobus membris constare versum; cumque manifestum sit, versum non unum pedem habere, sed plures, nonne ipse indicat longius membrum esse, quam pedem? At si aequalia sunt in versu, nonne praeposterari poterit, ut prima pars sine discrimine ultima, et ultima prima fiat? Ergo ut hoc non accidat, satisque appareat discernaturque in versu, aliud esse membrum quo incipit, aliud quo desinit, non possumus recusare inaequalia membra esse oportere. Id ergo in pyrrhichio consideremus, si placet, in quo iam credo videri minus III. temporibus membrum esse non posse, quoniam id primum est plus quam pes. Ergo VII. tempora minimus habet versus, quod sunt tres semis pyrrhichii, dum unum membrum habet II. tempora, aliud IIII. Debetur etiam unius temporis silentium, dum ad principium reditur, ut spatium pedis impleri possit. Hoc annumerato, VIII. sunt tempora. Ut ergo minimus, qui etiam primus est pes, minus quam II; ita minimus, qui primus est versus, minus habere quam VIII. tempora non potest. Quid maximus versus, quo ampliorem esse non oporteat? quot tandem temporum esse debet? Nonne statim videbitur, octonario quater multiplicato ampliorem quam XXX. duum temporum esse non posse? Cum ergo metrum incipiat a duobus pedibus, versus a IIII; aut illud a spatio duum pedum, hoc a IIII; annumerato silentio; metrum autem VIII. pedes non excedat; nonne cum versus metrum sit, necesse erit eum totidem non excedere? Rursus cum versus non sit longior, quam XXX. duum temporum, et metrum sit etiam longitudo versus; si coniunctionem duorum membrorum talem non habeat, qualis in versu praecipitur, sed tamen certo fine claudatur, neque debeat longius esse quam versus, nonne manifestum est, ut versum pedes VIII, ita metrum XXXII. tempora excedere non oportere? Erit ergo idem spatium temporis, et idem numerus pedum; et quidam terminus metro et versui communis, ultra quem progredi utrumque non debeat; quamvis metrum quadruplicatis pedibus, a quibus esse incipit; versus autem quadruplicatis temporibus, a quibus et ipse esse incipit, finiatur: ut crescendi scilicet modum, quaternaria illa ratione servata, metrum cum versu communicaverit in pedibus, versus cum metro in temporibus.

CAP. XV.

DE GENERIBUS METRORUM QUOD RATIONABILITER ULTIMA SYLLABA IN METRIS INDIFFERENS SIT.

Non enim absurde poetae, atque horum iudices grammatici, ultimam syllabam, quae metrum terminat, seu longa seu brevis sit, nihil ad

rem pertinere voluere. Ubi enim finis est, silentium sequitur, quantum ad ipsum metrum adtinet quod finitur. Sed si haec licentia propter silentium fit, quoniam ita consideratus est finis, quasi deinceps nihil qui finierit, sonaturus sit, et ob hoc spatium temporis in ipsa quiete largissimum; nihil distat, quae ibi syllaba locetur; nonne illud est consequens, ut ipsa indifferentia quae propter largum spatium conceditur, ad id proficiat ut sive ibi brevis syllaba, sive longa sit, eam sibi aures pro longa vindicent? Ergo minimum metrum est pyrrhichium III. syllabis brevibus, ut unius brevis spatio sileatur, dum ad initium revertimur; quod aequa voce fit plausa percussione, ut syllabis, dum ea temporum dimensio canitur in sonis, qua pronuntiatur in syllabis. Cuius exemplum: "Si aliquid bene vis, bene dic, bene fac, animus": in quo unum semper levatio in utroque pede, et unum positio sibi vindicat tempus. Possunt eo modo usque ad VIII. pedes, unius semper adiectione syllabae, ex pyrrhichiis metra conponi. Horum exempla sunt: "Si aliquid es, age bene. Quid erit homo? qui amat hominem. Bonus erit amor. Anima bona sit." Tres semispedes videamus: "Animus hominis est, mala bonave agitans". Quattuor pyrrhichii: "Animus hominis ait ut habeat ea bona". Quinque semis: "Homo malus amat et eget". Quinque pleni: "levicula fragilia bona". VI. semis: "vaga levia fragilia bona". VII. semis: "fluida (a) levicula, fragilia bona". VII. pleni: "levicula gracilia fragilia bona". VIII. semis: "vaga, fluida (b) levicula fragilia bona". Metrum autem, quod restat huius generis, sententia feliciori componamus: "Solida bona bonus amat, et ea quae amat, habet". Est etiam potestatis persequi cetera, quae ex iambo chorio, spondeo, fieri possint; quorum quisque per VI. IIII. creat metra. Sed et trisyllabi et tetrasyllabi pedes metra sua a duobus incipientes pedibus, et in VIII. producentes, multa genera ex se procreare possunt metrorum, quae .D. XLVII. sine ulla admixtione aliorum pedum fieri queunt. Copulatis vero pedibus, qui sibi concinenti plausu copulari queunt, tantus erit numerus metrorum, ut fortasse nomen eorum non inveniatur.

CAP. XVI.

DE VERSU ET DE PARTITIONE MEMBRORUM EIUS.

Fortasse a contrario versus dicitur; quemadmodum grammatici deponens verbum appellaverunt, quoniam .R. litteram non deponit, sicuti est "luctor". Ita quoniam duobus membris conficitur, quorum neutrum in alterius loco, salva lege numerorum, constituitur, quia verti non potest, versus vocetur. Sed de nominibus placet minime laborare, in quibus concessio inter se lo-

(a) Cod. *frugida*. (b) Cod. *frugida*.

quentium, et vetustatis auctoritas totum valet. Cetera vero, sensu nuntio, indice ratione, investiganda sunt; ut etiam veteres auctores non instituisse ista quasi ea, quae in natura rerum integra, et perfecta non fuerint, sed ratiocinando invenisse, et appellando notasse, cognoscamus. Quare primum nobis intellegendum est, quod non ob aliud pes aurem mulcet, nisi quod in eo duae illae partes, quarum prima in levatione, altera in positione est, numerosa sibi concinnitate respondent. Manifestum est, versum pedum conlatione confici, et quod ex dividuis pedibus constat, absurdissime individuum putatur. At omnia, quae recipiunt divisionem, nonne pulchriora sunt, si eorum partes aliqua parilitate concordent, quam si discordes ac dissonae sint? Cuius parilis divisionis dualis numerus auctor est. Ut ergo in duas partes concinentes dividi pedem, et eo ipso aurem delectare conperimus, si etiam metrum tale inveniamus, nonne ceteris non talibus iure anteponetur? At tunc aliquid inter partem praecedentem atque incipientem, et illam quae subsequitur ac terminat, interesse oportet; ne saepius repetendo, incertum efficiatur, quae pars prior sit, quae posterior. Sicuti est versus ille: " Cornua velatarum vertimus antemnarum ". Neque enim minus stat versus, si ita pronuntietur: " Vertimus antemnarum cornua velatarum ". Quod summopere vitandum est. Cuius una pars est: " Arma virumque cano ". Altera subsequens: " Troiae, qui primus ab oris ". Quae usque adeo differunt, ut si ordinem vertas, et hoc modo pronunties. " Troiae qui primus ab oris, arma virumque cano ", alios pedes metri esse necesse est. Et ne multa; prosequere cetera quantum voles, et invenies priores partes versus, V. semipede articulatas, et VII. terminatas. Quinque igitur et VII semipedes versum heroicum in duo metra partiuntur, quem VI. pedibus quaternorum temporum constare aequissimum est. Et sine concinnitate quidem duorum membrorum, sive ista sive alia aliqua, versus nullus est. Teneamus igitur has leges inconcussas, ut neque membrorum duorum tendens ad aequalitatem partitio versui desit; neque cum ista vitatur conversio, nimis a se membra discedant; sed quae possint, proximis numeris prope aequentur: ut versus heroicus in V. et VII; aut in VII. et V, hoc est XII. semipedes dividendus est. Nam hi numeri ambo sunt impares, et sibi proximi. Nec membrum posterius paris numeri semipedes habeat, ne pleno pede versus finitus non habeat terminum breviorem notandum.

CAP. XVII.

QUO SIT FINE VERSUS CLAUDENDUS.

Sequitur ut de versus termino requiramus. Nam et hunc aliqua differentia notatum atque insignitum esse videmus, ut finis, quo provolutio numeri coercetur, non perturbata temporum aequalitate tunc (a) emineat, quam si

(a) Ed. Aug. tamen.

cum ceteris partibus, quae finem non faciunt, confundatur. Sed hanc quaerimus termini notam, quam a temporis brevitate ducendam esse veteres sanxerunt; et nullum versum pleno pede finiri, sed semper semipede. Sed videndum est quomodo heroicus versus sit metiendus, ut et membrorum lex ista servetur, et haec termini nota, in quo XII. esse semipedes video; et quia propter illam conversionem vitandam, senos pedes (a) habere membra non possunt. Neque a se longe oportet discedere, ut sint III et VIIII, aut VIIII. et III. Neque paris numeri semipedes posteriori membro dandi sunt, ut sint VIII. et IIII, aut IIII. et VIII, ne pleno pede versus finiatur: in V. et VII, aut VII. et V. divisio est facienda. Nam hi numeri ambo sunt impares proximi. Sed videndum est, quot pedes metiantur in eo, uti nihil superiorum legum iam inconcusse constitutarum violetur. Quamquam hic ratio appareat, forte tamen aliquos conturbat: non enim solemus in hoc genere, nisi spondeum pedem et dactylum scandere: quod nemo est tam indoctus, qui non audierit, etiamsi minus id facere possit. Hanc ergo pervulgatissimam consuetudinem si nunc sequimur, lex illa terminata (b) est abroganda: praecedens enim licet membrum semipede claudetur, posterius autem pleno pede, quod contra esse debuit. Sed quia illam legem iniquissimum est tollere, et in numeris iam didicimus fieri posse, ut a non pleno pede ordiamur; restat, ut non hic dactylum cum spondeo, sed anapaestum locari iudicemus, ut incipiat versus a longa una syllaba. Deinde duo pedes vel spondei vel anapaesti vel alterni membrum superius terminent: dum tres rursus vel anapaesti, vel quolibet loco spondeus, sive omnibus, et in fine una syllaba, qua versus legitime terminatur; quod licet rectissimum iudicetur, non tamen populo persuadetur. Tanta enim est vis consuetudinis, ut ea inveterata, si falsa opinione genita est, nihil sit inimicius veritati. Namque ad faciendum versum, nihil interest, utrum in hoc genere anapaestus cum spondeo, an dactylus collocetur. Ad metiendum tamen rationaliter, quod non aurium sed mentis est proprium, nimium haec ratio ab illa opinione discernitur. Neque nunc a nobis primum inventa est, sed multo haec est inveterata consuetudine antiquis animadversa. Quare si eos legant, qui vel in graeca vel in latina lingua disciplinae huius doctissimi fuere, non mirabuntur nimis, qui forte hoc audierunt: quamquam pudet imbecillitatis, cum rationi roborandae hominum auctoritas quaeritur; cum ipsius rationis atque veritatis auctoritate (quae profecto est omni homine melior) nihil deberet esse praestantius. Non enim ut in producenda corripiendave syllaba nonnisi auctoritatem veterum hominum quaerimus, ut quemadmodum sunt usi verbis, quibus nos quoque loquimur, ita et nos utamur; ita in metiendo versu non inveterata hominum volun-

(a) Aug. semipedes. (b) Aug. termini.

tas, sed aeterna rerum ratio cogitanda est: cum et moderatam eius longitudinem prius naturaliter aure sentiamus, deinde adprobemus rationabili consideratione numerorum, tum breviore temporis nota longitudinem indiscretam coercemus, et quodammodo frenamus, quatenus insigni claudatur fine. Eodemque modo versus iambicus senarius fit trochaicus, ut est " phaselus ille quem videtis hospites „. Quia semipede incipiat necesse est, ut semipede quoque terminari possit, cuius membra in V. et VII semipedes dividi ratio probat.

CAP. XVIII.

DE AEQUALITATE MEMBRORUM.

Nunc instat considerandum, quonam modo imparilitas semipedum ad quandam parilitatem referatur, obscuriore aliquantum sed tamen subtilissima ratione numerorum. Igitur cum II. et III. dicimus, quot numeros dicimus? nonne duo? ergo et duo et unus et III, unus est numerus: et idcirco perspicuum est, unum cum quolibet numero non absurde posse conferri. Siquidem III. (a) II. esse non possumus dicere: II. autem, unum esse quodammodo. Et item III. vel IIII, unum esse, non falso dici potest. Et ne diutius immorer, figenda est regula: a duobus et deinceps quoslibet constitueris, minor per maiorem multiplicatus eum excedat necesse est. Quid enim tam parvum in plurali numero, quam duo? quem (b) tamen numerum si milies duxero, ita excedit mille ut duplum fiat. Sed constitue unum et quemlibet deinde maiorem numerum; et quemadmodum in illis faciebamus, minorem per maiorem multiplica; et iam maiori minor aequabitur. Nam unum bis, duo; et unum decies, X; et unum millies, mille: et ita in ceteris. Habet ergo unum cum aliis numeris ius quoddam aequalitatis non modo, quod cuiuscumque numerus est, sed etiam quod totiens ductus tantumdem facit. Age nunc referamus animum ad semipedes, quibus in versu fiunt membra inaequalia; miram quandam aequalitatem ista quam tractavimus ratione repperies. Nam versus minimus inaequali semipedum numero membris est IIII. et III: ut in hoc "hospes ille „ secari aequaliter potest in duas partes binorum semipedum. Secunda autem quod est " quem vides „ ita dividitur, ut una pars duos semipedes habeat, alia unum; quod ita est quasi duo et duo sint, iure illo aequalitatis, quod habet unum cum omnibus numeris. Quo fit ut ista divisione tantum sit quodammodo superius membrum, quantum posterius. Itaque si fuerint IIII. et V. semipedes, sicuti est hoc "Roma Roma cerne quanta sit „ non ita probatur; et propterea metrum erit potius,

(a) Aug. ed. *unum*. non *III*. (b) Cod. *quodque*.

quam versus; quia ita sunt membra inaeqnalia, ut ad nullam aequalitatis legem aliqua sectione possint referri. Cernis quippe, ut opinor, superioris membri IIII· semipedes. " Roma Roma ,, in binos posse discindere. V autem posteros in II· et III " cerne quanta sit ,, ubi nullo iure apparet aequalitas. Neque enim possuut aliquo modo tautum valere V· semipedes propter II· et III, quantum IIII· valent; quomodo iuvenimus superius in breviori versu tantum valere III· semipedes, quantum IIII, propter I· et II. Etiam nunc V· et III· semipedes videamus, qualis est iste versiculus " phaselus ille, quem vides ,,. Itaque cum primum membrum in semipedes II· et III· secueris, et secundum in II· et I, coniungens (a) particulas quas ab utraque parte (b) inveneris, quia et in primo membro habemus II·, et in secundo *restant* II· particulae, una iu tribus semipedibus de priore membro, altera in uno (c) de posteriore. Has ergo et sociabiliter iungemus, quia I· cum omnibus habet consocietatem (d), et in summa I· et III, IIII· fiunt: quod est tantundem quantum II· et II· Per hanc igitur sectionem etiam V· et III· semipedes ad concordiam rediguntur. Sequitur ut de V· et VII· semipedibus disseramus, quales sunt senarii versus illi nobilissimi, heroicus et quem vulgo iambicuum vocant. Sed quia ipsa tractatio aliquanto est longior, quamvis omnino iucundior, restare nobis debet extrema, ut iam omni cura liberati ad horum scrutanda penetralia veniamus. In duobus etiam membris, quorum primum sex habeat semipedes, alterum VII, non reperitur ea aequalitas, ut rite esse versus queat; ut est " Roma Roma cerne quanta sit deûm benignitas ,,. Primum membrum potest in ternos semipedes dividi, quia sunt VI· semipedes. Secundum in III· et IIII, quod sunt VII Quae duae partes dividuntur, idest IIII· in II·; et et II· III· in II· et I. Et ista tamquam sint IIII· accipiamus, propter unius cum ceteris numeris concordiam, VIII. simul fiunt, magisque excedunt summam senariam, quam cum VII· fuissent. In illis vero, quorum primum habet VIII· semipedes, VII· secundum, cuius exemplum est " Roma cerne quauta sit deûm benignitas ,,. Nam praecedentis membri partem dimidiam cum parte subsequentis maiore, quae dimidiae proxima est, iunges. Quoniam quaterni semipedes sunt, octonarius adcrescit. Restant quattuor semipedes de priore, de posteriore tres. Duo inde et duo hinc copulati, IIII· fiunt. Duo rursus inde residui et unus hinc, ad legem illius convenientiae copulati, quia I· reliquis par est, quodammodo sumuntur pro IIII· Ita iam octonarius superiori convenit octonario. In ea quoque conexione, quae VIIII· et VII· semipedibus dividitur, ut est " vir optimus, beatus ille, qui procul negotio ,, facilis est cognitu ista congruentia. Superius enim membrum in IIII· et V, posterius in III· et IIII· semipedes divi-

(a) Aug. ed. *coniungas.* (b) Aug. ed. *quas in utroque pares.* (c) Cod. *alteram unam.* (d) Notemus vocabulum. Aug. ed. *societatem.*

ditur. Pars ergo superioris minor cum parte posterioris maiore coniuncta, octonarium numerum creat: et maior superioris cum minore posterioris, item octonarium. Nam illa coniunctio est IIII. et IIII; ista V. et III. Sed nisi fallor longius membrorum copulatio non procedit, quia ad VIII. perventum est pedes; quem numerum versui, sicut satis cognoscimus, non fas est excedere.

CAP. XVIIII.

CUR VERSUS HEROICUS ET IAMBICUS CETERIS OMNIBUS SINT NOBILIORES.

Disputemus iam de senariorum versuum excellentia, et probemus si poterimus decentissimos senarios, nisi duorum istorum generum esse non posse, quae omnium etiam celeberrima sunt; quorum unum est heroicum " ut arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris „ quod usus metitur spondeo et dactylo; suptilior ratio spondeo et anapaesto. Alterum quod iambicum dicitur, et eadem ratione invenitur trochaicum, cuius exemplum " phaselus ille quem videtis hospites „. Scire debemus illos pedes, quorum partes ad sesque conveniant, sive in duobus et tribus, ut est creticus et paeones, sive in III. et IIII, exclusos a poetis propter minoris venustatis sonum, solutae orationis severitatem decorare congruentius, cum his clausulae conligantur oportet. Huiusmodi pedibus a poetarum tractatione seiunctis, non remanere nisi eos, qui ad tantundem, ut spondeus est: aut eos, quibus ad utrumque partes conveniant, ut choriambus. Manifestumque est, longis syllabis, nisi breves interponantur, obtundi quodammodo spatia sonorum. Item nisi brevibus longae, nimis concisa et quasi tremula fieri, neutra esse temperata, quamvis temporum aequalitate aures impleantur. Quamobrem nec illi versus, qui longarum syllabarum pedibus componuntur; nec illi qui brevium, quamvis VI. pedum possunt fieri, adspirant ad heroici vel trochaici dignitatem. Huc accedit, quia in istis quos ceteris ipsa ratio psaeponit, si membra praeposteres, totum ita commutat, ut alios etiam pedes necessario metiamur. Itaque inconversibiliores, ut ita dicamus, quam illi qui aut omnibus brevibus, aut longis omnibus constant. Et ideo sive V. et IIII. et V. membra in his temperationibus ordinentur, nihil interest: neutro enim converti versus potest sine tanta commutatione, ut non aliis pedibus currere videatur. At illis tunc si carmen coeptum erit, quorum priorum membra, quinos semipedes habeant, non oportet eos miscere, in quibus VII. priores sunt.

CAP. XX.

CUR INTER IPSOS SENARIOS HI SINT EXCELLENTIORES.

Quaeri potest cur meliores versus iudicati sint senarii, in quibus ana-

paestum subtilis illa ratio metitur; et hi in quibus trochaeum quam si dactylum ibi, ot hic iambum metiretur. Sine praeiudicio enim sententiae, quoniam hic de numeris agimus, si versus ita fiat " Troiae qui primus ab oris arma virumque cano ,,; vel illo genere " qui procul malo pius, beatus ille ,,; uterque eorum nec minus senarius esset, nec minus brevium longarum syllabarum temperatione moderatus, nec magis converti poterat, et in utroque membra ita ordinata sunt, ut et in quinto et in septimo semipede pars orationis terminetur. Cur ergo meliores istis putentur, si potius ita sint? " Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris. Beatus ille, qui procul pius malo ,,. In qua quaestione facilius et proclivius dixerim, forte invenisse ut isti prius animadverterentur et frequentarentur: aut si id non est fortuitum, melius credo visum fuisse ut heroicus duabus longis, quam duabus brevibus et longa clauderetur, quia in longis aures commodius adquiescunt: ille autem alter in finali semipede longam syllabam potius haberet, quam brevem. Res quidem se sic habet, ut quicunque horum priores eligerentur, necessario aliis auferrent locum qui membris isdem praeposteratis fieri possent. Quocirca si melior iudicatus est, cuius exemplum est " arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris ,,; inepto iam fieret ista conversio. Aliud genus, sicuti est " Troiae, qui primus ab oris, arma virumque cano ,,. Quod etiam de trochaico genere intellegendum est. Nam si est honestior " beatus ille, qui procul negotio ,,: quod genus isto praeposterato fieret, ut est " qui procul negotio beatus illo ,,; fieri profecto non oportet. Tamen si quis audeat, et faciat tales versus, manifestum est eum alia genera senariorum esse facturum, quibus sunt meliora. Hi ergo senariorum omnium pulcherrimi sunt.

CAP. XXI.

DE MIRA HEROICI SIVE TROCHAICI VERSUS AEQUALITATE MEMBRORUM.

Sed nunc illa senariorum versuum heroici et iambici, quo intentionem nostram distulimus, ipsa ratio, quae omnibus communis est, nobis aperiat secreta. Nec dubitare quemquam posse arbitror, quin omnis longitudo, quae linea dicitur, habeat dimensam sui partem; ac per hoc in duas lineas decussatim secari queat. Et quia et ipsae duae lineae, quae ipsa secatione (a) fiunt, procul dubio lineae *sunt*, etiam in ipsis hoc fieri posse manifestum est. Ita quantulacunque longitudo in quotlibet partes secari potest. Sed omnis longitudo ad latitudinem porrigendam, quae ab ipsa oritur, tantum va-

(a) Ita cod. Et notemus vocabulum *secatio* pro *sectio*.

let, quantum latitudinis quadratum occupat. Si enim minus aut amplius in latum spatium proceditur, quam longa est linea unde proceditur, quadratum non fit. Sin tantum, nihil aliud quam quadratum fit. Illud ergo, ut opinor, consequens est, ut si pro linea in longum ordinati calculi pares ponantur, non perveniat illa longitudo ad quadratam formam nisi per eundem numerum multiplicati calculi fuerint, ut si verbi gratia, duos calculos ponas, quadratum non facias, nisi aliis duobus ad latitudinem adiunctis. Sin III, VI. adiungendi sunt, sed terni distributi ad duos ordines similiter ad latitudinem. Si autem ad longitudinem additi fuerint, nulla figura fit. Longitudo enim sine latitudine, figuratio non est. Atque ita proportione licet considerare alios numeros. Ut enim bis bina, et tres terna quadratas figuras in numeris faciunt, ita quater quaterna, quinquies quina, sexies sena, atque ita per infinita in ceteris etiam ista rata et manifesta sunt. Nunc etiam adtendendum est, utrum sit temporis aliqua longitudo. Sed quis dubitaverit nullum esse tempus sine aliqua longitudine? At si tempus sine aliqua longitudine fieri non potest, non necesse est uti versus aliquam temporis obtineat longitudinem? Quid in ista longitudine diversis pro calculis melius conlocamus? pedesne, qui in duas partes, idest levationem et positionem distribuuntur; an semipedes potius, qui singulas levationes positionesque obtinent? Quis non videat semipedes congruentius pro illis calculis poni? Nonne membrum versus heroici brevius V. habet semipedes " Arma virumque cano? „ Num igitur aliud desideramus, nisi, ut alii VII. semipedes cum istis V. aliqua aequalitate conveniant? Iam diximus, quia semipedes primum et minimum, adnumerato in fine silentio, faciunt versum, qui in duo membra III. et IIII. semipedum dividitur. Ducamus ergo in legem quadratorum has partes singulas, et videamus quid faciunt. Quattuor quater, XVI. faciunt, et III. ter VIIII, et totum simul XXV. Septem semipedes, quoniam possunt habere membra II, singulis membris suis ad quadratorum rationem relatis, XXV. numerum in summa faciunt, et est una pars versus heroici. Altera igitur, quae habet V. semipedes, quoniam non potest in duo membra dividi, et debet aliqua aequalitate concinere, nonne tota in quadratum ducenda est? Quinque enim quinquies ducta, eadem XXV. consummant. Ergo agnoscenda est duorum membrorum versus heroici mirabilis aequalitas. Nec immerito senarii versus ceteris celebratiores nobilioresque facti sunt: dici enim vix potest quantum inter istorum aequalitatem in membris imparibus, et aliorum omnium, intersit.

INSTITUTIONES MUSICAE ARTIS

SUMPTAE EX LIBRIS AURELII AUGUSTINI EXPLICITAE

FELICITER.

SERMONES DOMINICALES IV (*).

SERMO I. IN SEPTUAGESIMA.

1. Ad cursum spiritalis stadii hodierna lectione provocati, qualiter currendum, et a quibus abstinendum sit, fratres dilectissimi, mente persollicita considerare debemus. Stadium namque iuxta litteram quarta pars dicitur miliarii, quod primum Hercules uno anhelitu cucurrisse fertur, in cuius fine ponebatur antiquitus palus, superposita corona de floribus texta: ibique propter hanc capiendam expedita iuvenum cohors currere solebat, ut aliquis horum primus si posset velocius currens, bravium, quod nos coronam vocamus, raperet: ac per hoc regis et intuentium laudem, deinde multa donorum munera specialiter haberet. Multi enim ad hoc communi animo tendebant, sed ab uno cuncti superati erant; qui quod erat cursu velocior, rerum collectione ceteris videbatur dignior; et quanto gaudebat victor regiis muneribus ditatus, tanto victi dolebant, non solum donis privati, sed etiam tarditatis suae verecundia dehonestati. Abstinebant quidem se a cibis, qui cursui nocent, sed non aequaliter; quia illius abstinentia fuerat maior, qui in cursu erat ceteris velocior. Non miremini, fratres, quod ex paganica superstititione pro tuendis animabus apostolus imitabile dedit exemplum, ut putet aliquis vestrum in nullo gentilium cultus esse sequendos, a quibus christiana religio Christo cogente nos fecit extraneos. Primum deinde cognoscat caritas vestra, quoniam ex eorum ritu quaedam sibi sancta usurpavit ecclesia, quae non carnaliter sed spiritaliter sunt sequenda; ex quibus istud est exemplum, quod hodierna lectio nobis protulit utillimum. Stadii siquidem finis, qui illis ad currendum metitus erat, praesentis vitae terminum significat, qui ad cursum salvationis nostrae nobis datus est, dicente et monente Domino: curre miser, curre; festina, dum tempus habes, ne incidas in mortem. Currebant etenim illi pro temporali et corruptibili bravio capiendo, ut a rege mortali terrena munera caperent; curramus nos melius pro spiritali et incorruptibili bravio post carnis finem capiendo, ut a rege regum, qui aeternus et immortalis est, aeterna et indeficientia munera capiamus; audientes exoptabilem vocem illius dicentis: venite qui laboratis etc. Illi quidem abstinebant se a pinguibus cibis, ut expeditiores in cursu redderentur; abstineamus et nos melius non tantum a cibis, quantum a vitiis, ut ad currendum veloces existamus. Quod autem ex magna

(*) Ex eodem perantiquo codice, unde Paridis Augustinique epitomas sumpsi.

iuvenum frequentia unus bravium capiebat, ceteris incassum currentibus; quantum ad nos pertinet, fratres carissimi, valde timendum est; scilicet ne ab uno omnes superemur, qui pro corona currere disposuimus. Unde monet apostolus: sic currite, ut comprehendatis. Et quomodo illam comprehendere poterimus, quoniam currere nolumus; et si aliquando currere inchoamus, heu crassitudine vitiorum fatigati, turpiter in cursu deficimus? Nam cum omnis ecclesia in clericali et laicali sit ordine divisa, nemo eorum est, qui pro corona gloriae currat; sed quidam insaturata cupiditate persollicitì, quidam ineffrenata voluptate polluti, quidam elatione saecularis pompae tumidi, non solum currere nolunt, sed etiam ipsos oculos ad capiendam coronam aperire nesciunt. Unde psalmista: omnes declinaverunt simul inutiles facti. Et propheta: sicut populus, sic sacerdos. Adeo enim caecati, et in quodam oblivionis puteo detrusi sumus, ut nihil de futuro cogitantes, praeter hanc vitam, in qua voluptates nostras exsequimur, aliam non putemus. Et ut amplius dicam, multi insanientes, dum cupidos animos voluptuosis desideriis pascunt, et in sibi subiectis more luporum saeviunt, aliam gloriam sonumque habere velle dicunt. Ili enim tales, naturam hominis perdunt, et naturam quadrupedum sortiuntur, qui irrationabiliter et inverecunde ventri et libidini semper insistunt. Hominem namque ita conditor rerum terrenis praeposuit creaturis, ut bene utens temporalibus, post mortem frueretur aeternis. Quid ex hoc agendum est, fratres carissimi? Omnes enim sumus perditi, nisi cito fuerimus divina misericordia sublevati. Ipsa namque ad currendum nos provocat dicens: ambulate ne tenebrae vos comprehendant. Qua vocante, si cursum iterum voluerimus repetere, non uni tantum sed plurimis fas erit coronam contingere. Et sicut non semper in omni cursu vincebat, sed qui modo victus erat, modo renovatis viribus victor existebat; ita nos, si hucusque victi fuimus, amodo victores esse curemus. Via enim currendi nobis ante oculos posita est, in qua quanto fuimus tardiores, tanto possumus esse, si volumus, velociores.

2. Quomodo enim torpentes et pigri a cursu cessare possumus, qui non solum apostolum ad coronam, sed etiam ipsum Salvatorem nostrum ad denarium capiendum monitorem habemus? Ipse namque summus paterfamilias, qui plantavit vineam, idest sanctam ecclesiam, nobis qui sero, idest in fine mundi, in vineam laboraturi intravimus, caelestis remunerationis denarium se daturum promittit: assimilans nos primis colonis, qui a mane usque ad vesperam portavere pondus diei et aestus. Audistis siquidem illum proposita vera et congruenti similitudine evangelii, mane, hora tertia, sexta, nona, et undecima, ad vineae suae culturam operarios invitantem, et aequalem denarium cunctis finito opere reddentem. Et si horarum, quas audistis, significationes cupitis; discite, quia mane fuit ab Adam usque ad Noe; hora tertia a Noe us-

que ad Abraham; sexta vero ab Abraham usque ad Moysen; nona siquidem a Moyse usque ad Domini et Salvatoris uostri adventum; undecima fuit, ab adventu Domini usque ad finem mundi; in qua nos ultimi operarii in vineam intravimus. Sed quia desides et tardi iu opere sumus, certi de denario esse non possumus. Studeamus igitur velocius operari, ut de denario possimus esse securi: et quia hodie a summo patrefamilias vocamur, vocationem eius non despicientes, in vineam laboraturi intrare studeamus. Ipse namque praesens ieiunium ad hoc instituit, ut peccata innumera, quae carnis delectatione ceteris anni diebus commisimus, in hoc tempore per paenitentiam et carnis mortificationem tergere studeamus.

3. Insuper etiam dies ista, quae veluti ianua ieiuniorum existit, et canticum laetitiae, idest alleluia, nobis subtrahit, per omnem continuationem sui officii vocem paenitentis plangentis exprimit: docens nos ab inmoderata laetitia debere cessare, et in fletu et lacrimis paenitentiae manere. Hac igitur nocte, saepius repetito nomine, ipsum alleluia affati sumus; quodammodo illud quasi hospitem retinere cupientes, dicendo illi: mane apud nos hodie, et cetera. Cui etiam ultimum vale fecimus dicentes: angelus bonus comitetur tecum, ut iterum cum gaudio revertaris ad uos, ut sciamus non antea nos perfecte gavisuros, quousque corpore et sanguine Redemptoris nostri renovati ipsum canticum gaudendo recipiamus. Antiphona siquidem missae, quae vulgo introitus dicitur, cum paenitentibus plangit dicens: circumdederunt me dolores mortis et in tribulatione mea. Collecta siquidem cum responso afflictionem paenitentiae sonant. Ille denique cantus, quem pro alleluia conmutavimus (qui tractus ideo dicitur quod longos cantus habeat) paenitentes profundo gemitu ad Deum clamare docet. Et sic cetera verba officii ordinatim digesta, uon laetitiam gaudentium, sed luctum et maerorem videntur exprimere peccatorum.

